





P. 11


Class
252.02


Book
VI₅



Рандольф 83,







ADMODVM REVERENDI PATRIS

ANTONII VIEIRA

E SOCIETATE JESU,

Regii in Lusitania Prædicatoris,

SERMONES

SELECTISSIMI,

Fœcunditate Materiarum, Sublimitate,

Subtilitate, & acumine Conceptuum

admirabiles:

Idiomate Lusitanico conscripti & typis evulgati,

Nunc in Cartusia Colonienſi latinitate donati.

Cum triplici Indice, Thematum, Locorum Sacræ Scripturæ,

& rerum memorabilium.


P A R S Q V I N T A.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus HERMANNI DEMEN, Anno M. DC. XCV.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.





ADMODUM VENERABILI ET RELIGIOSIS-
SIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

D. GODEFRIDO ROVENIO,

Cartusiae Dulmaniensis (alias Castri Mariani) Priori di-
gnissimo , Patri meo observandissimo.



Ovit Admodum Venerabilis Paternitas Tua , quâ occasione non multo ab hinc tempore , peregrino quopiam in agro, fortè fortuna in mineram inciderimus auriferam; quam fodere aggressi non contemnendum eruerimus thesaurum, fossionem impigrè continuaturi , & assistente nobis gratiâ divinâ feliciter, absoluturi, nisi mors inimica medio in cursu fossionis filum præcidisset, meum mihi tollendo Collegam, qui solus mihi noverat detegere venam. Cùm igitur quicquid concordie eiusque labore fuit collectum, unanimi etiam consensu, & utriusque arbitrato fuerit erogatum; Hic verò Quintus thesaurus & ultimus, tanquam ab intestato dispensationi meæ videatur relictus; ut simul hoc passu p. m. Collegæ quondam mei Venerabilis P. ac D. Joannis Gruter, Celebrerrimæ Cartusiae Coloniensis Professori voluntati faciam satis; partium mearum esse duxi, tali eum offerre & dedicare Viro, qui præ cætris, non uno illum nomine, jure sibi vendicare posse videatur; Quique communem hunc laborem nostrum, nunc autem verum mihi Benoni, id est, doloris filium eo excipiat, amplectetur & foveat animo & affectu, ut ex Benoni Benjaminum se factum esse lætetur.

† 2

Enim.

D E D I C A T I O.

Enim verò ne longius abeam, néve diutius suspensum te habeam, Pater amantissime, Tu es ille Vir, in quo etiam vix intuenti ea sese motiva mox offerunt, quæ meritò hoc evincere, & secus facientem delicti reum agere possint. Tibi enim tanquam veterano & emerito in castris Imperatoris summi militi non Gregario, Regale quoddam debetur donativum; quippe qui fidei tuæ commissum, consecratum Reginae cæli castrum, tot jam annis ea fidelitate, prudentia & strenuitate gubernas, & contra quoscunque hostiles propugnans incurfus, ut non solum optata fruantur pace omnia quæ possidet, verum etiam in præsens usque non mediocriter utroque in statu incrementum acceperint; nec hodie dum adhuc crescere desinant benedicente Domino.

Et in specie quidem præfidiariorum ipsius spiritualium, Claustralium inquam, notabiliter adhuc accresceret numerus, nisi tentoria, cellæ inquam & habitacula recipiendis deessent, quos (disciplinae utique Tuæ fama excitos) ad Arcem hanc Marianam cæstatim undique convolare facit, sub sancti Patriarchæ nostri Brunonis Vexillo, tuoque respectivè ducatu Imperatori supremo militare gestientes

Accedit huic titulus alius prior ehaud quaquam inferior, qui Tibi tanquam indefesso, & indefatigabili in vinea Domini Sabbath operario, præfens Opus tanquam denarium divinum citra omnem controversiam adju dicet. Tu quippe à supremo Patrefamilias ad excolendam hanc vineam singulariter destinatus, non unius diei, sed tot, non dierum, sed annorum in præfentiarum usque exantlando labores, pondus portando & æstum, culturae Tuæ dexteritate & industria hanc ad eam formam redigesti & statum, ut vix prædecessorum tuorum quispiam similiter Tibi in hoc possit gloriari. Vineæ hujus pulchritudo præfens sic planè videtur aridire plurimis, ut gloriosè profectò latius & gloriosius suos extensura foret palmites, ní mace-riæ angustia excluderet eos, qui numerosè undique confluunt, in finis contententes precibus, ut sub culturae tuæ moderatione inferi mereantur.

Plures adducendo titulos Nuncupatoriæ Epistolæ modum excederem, servata igitur proportione, illisque transmissis; Age, maeste animo; Præsul Venerande, Dux invictæ & inconfusibilis operariæ: perge quo cœpisti pede, & persevera in finem; erit enim merces condigna operi tuo; Quando nimirum Agonothera supremus, idemque Paterfamilias omnium ditissimus gloriae æternæ reddet denarium.

Interim

DEDICATIO.

Interim ego officii mei memor, & supra memorati p. m. Collegæ quondam mei V. P. & D. JOANNIS GRUTER, celeberrimæ Cartusie Colon. Professi, Tuique consequenter comprofessi Voluntatis executor, utrique satisfacere conatus, natu minimum hunc illi, pro dolor! posthumum, ideòque verum mihi doloris filium, in quaecunque donativum, & advesperascente senesim die in laboris mercedem, admodum V. Paternitati Tux, eo, quo par est, animo exhibeo & consecro, insita Tibi & notâ humanitate frerus, quod tali eum exceptura sit affectu, & profecutura favore, ut ex Beñoni Benjaminum evasisse experiar.

Admodum Venerabilis Paternitatis Tux

Filius obedientissimus & Confratrum
minimus

FR. GODEFRIDUS HERDING,
Cartusie Dulmanienfis
professus.

AD LECTOREM BENEVOLOM.



Ecce, Lector benevolentissime, Quintum R. P. ANTONII VIEIRA Soc. Iesu Sermonum Tomum, ultimum laboris nostri communis factum, quem adhuc eniti licuit. Sextum Authoris ejusdem Tomum vertendo fueramus aggressi, & aliquot ejusdem Sermonibus jam translatis, eundem ex toto, cum reliquis sex sequentibus Tomis feliciter absolvere sperabamus. Sed ecce spei huic nostrae & desiderio, propositoque tam pio mors praematura invidisse videtur, dum in medio cursu laboris nostri filium abruptit, nil tale, mihi opinanti tollendo Collegam V. P. D. JOANNEM GRUTER, Cartusia Colonienfis professum, qui idiomatis Lusitanici gnarus Opus auspiciatus ad expediendum facilius, me sibi in laboris socium assumpserat. Hoc igitur è vivis jam sublato, mihi quoque tam grati alias laboris continuandi spes omnis praecisa est. Unde non immeritò Tomum hunc quintum Benoni, id est, doloris mei filium indigitavero; quem tibi, Lector amice, sic recommendatum cupio, ut ex Benoni Benjaminum se factum esse lateatur. Per omnia quatuor suis fratribus, si non dignior, saltem nullatenus rerum pondere est inferior: de quo aliud praefari nequeo, quam quod caeteris factum constat. In quo si quid forè non satis clarum occurrere videtur, absentia mea, & praematura seu inopinata Collegae mei mortis imputa & condona: dum perspicacioris ingenii oculo, saniorique judicio omnia libens subjicio: denique sic utere jam juris communis factis, ut major inde Dei honor & gloria nec non & tua, & aliorum salus resultet. Amen. vale.



CENSURA A. R. P. F. ANTONII de S. THOMA, Seraphici Ordinis S. Francisci Religiosi, Qualificatoris S. Officii.

Eminentissime Domine.

Librum istum, Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA, Religiosi S. J. & suae Majestatis Praedicatoris, partem Quintam vidi Liber est numero & ordine Quintus, inter omnes Authoris Libros, primus quoad excellentiam jure censendus: Cum enim quicquid suum inter se & adinvicem collatum, non videatur habere secundum: Liber iste cum reliquis in aequilibrio positus, ingenii singularis Authoris talis factus facile dignoscitur: in eo etenim, uti & in reliquis, spiritus & stylus est proprius, fluidus, doctus, doctrinalis, gravis, elegans,

CENSURÆ.

elegans, & tam clarus, etiam in eis, de quibus discurret ut Theologus, ut omnis generis hominibus, qui illum legerint (pro cuiusque capacitate) discursus ipsius intelligibilis sit futurus. Neque minore laude dignum censendum, quod non in hoc tantum, sed in omnibus quasi scriptis suis, teste experientia, etiam in trivialibus scripturæ sacræ, quicquid concipit & probat velut scripturæ alumnus tantum excellat, ut magis vulgaribus etiam, magisque ut sitis & tritis, iudicium ipsius rarissimos eruat Conceptus, admirabileque novas educat probationes. Hinc quorundam videtur iudicio, postquam in quolibet Libro ejus legerint (pro ut jam multis fuit usum, quando magnus hic Prædicator in pulpito fuit auditus) se quidem dicturos idem, quod dixit, sed nunquam id plenè ascuturos. Omnes illum uno ore tantquam singularem & excellentissimum in hac parte publicè prædicant (Ex quo etiam Liber hic Quintus lectionem merebitur) Gloria hæc & prærogativa, quam certatim omnes in hoc Authore venerantur, majori ipsi æmulatione venerandum ostendunt; Et sic revera esse videtur; si quidem non ab extraneis tantum, sed à Lusitanis etiam, inter quos magis fama ejus vivit, univèrsaliter in arte scientiæ prædicandi subiectum extremi reputatur: Primum quippe illi Extraneorum voce Prædicatorem hunc agnoscunt in omnibus peregrinum, per omnia prudentem, politicum, percruditum, & plane eloquentem, incomparabilem denique; in bono quo instruit, persuadet, convincit, ædificat spiritum, pro ut specificè in variis Libri hujus Sermonibus passim patet, qui totus hac sua varietate, ornatu, elegantiaque idiomatis Lusitanici ad delectationem conspersus doctrinam spirat sanctam, in omnibus sanctæ nostræ fidei bonisque moribus conformem. Quare commune beneficium erit, divinoque servitio non parum utile, precitam concedere licentiam, ut mediante impressione publicam lucem videat. Ulyssipone in Conventu S. Francisci in Civitate 30. Aprilis 1688.

Fr. ANTONIUS de S. THOMA.



Censura A. R. P. Fr. Thomæ de Conceptione, sacri Ordinis de Carmelo, Qualificatoris S. Officii,

Eminentissime Domine.

Quintam hanc partem Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA S. J. Religiosi, & Majestatis suæ Prædicatoris vidi: quibus cum attentione perlectis, nihil in correctione dignum inveniens, admirabundus nescio utrum genium, vel artem insignis hujus talenti magis deprædicare debeam. Solummodo dicere scio, Sermones ejus pretiosiores, quam illo impressionis communis prælo dignissimos esse: idemque quod jam de aliis ipsius formavi iudicium, super hisce repetito. Ulyssipone in Conventu de Carmelo 30. Maij 1688.

Fr. THOMAS de CONCEPTIONE.

Censura

CENSURÆ.

Censura A. R. P. Emmanuelis de Sousa, Prapofiti Congregationis
S. Philippi Nerei.

Clementissime Domine.

EX mandato Majestatis tuæ vidi Sermones istos P. ANTONII VIEIRA S. J. Nomen
Authoris eorundem, quod in paginarum frontispicio ostendant, pro maximo operis
hujus sufficit Elogio. Quid mirum, quod faciat nomen P. ANTONII VIEIRA im-
pressum id, quod Valerius Maximus dixit de nomine Demosthenis tantum audito? *Cujus
commemorato nomine maxima eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur.* Tantoque
justiore titulo, quanto magis per totum mundum P. ANTONIUS VIEIRA celebratus est
pro principe eloquentiæ sacræ, quam fuit Demosthenes pro principe eloquentiæ Græcæ. Et
quidem justè magis celebratur; est enim inter omnes prædicatores, id quod Sol inter omnes
lucet. S. Augustinus Solem proprium prædicatoris Evangelici, symbolum esse affirmat: &
hujus est maximè proprium, in ipso enim omnes Solis proprietates non tantum ad vivum,
sed cum excessu clucescunt. Ecclesiasticus Solem vocavit *Vas admirabile, & opus Excelli.*
Quis admirabilius Patre ANTONIO VIEIRA suis in Sermonibus per omnia admirandis,
tanquam ab ingenio ipsius & intellectu revera Vase Luminum admirabili procedentibus: *Vas
admirabile: Opus Excelli:* id est, opus singularæ Dei! Qui speciali hoc providentiâ fecisse
videtur, ut appareret quousque intellectus humanus auxilio adjunctus divino pertingere pos-
sit. Sol astrorum omnium splendorem absorbet. Illâ P. ANTONII VIEIRA luce maxi-
morum ingeniorum lumen videtur absorptum. Lux Solis tenebrosiora loca dispulsis tene-
bris manifestat: P. ANTONII VIEIRA, intelligentiâ suâ obscuriora S. Scripturæ loca e-
lucidat & illustrat. Sol abyssorum penetrat profundum ad formandum in ipsis aurum & a-
damantes: Pater ANTONIUS VIEIRA cordium humanorum profundissimos penetrat
abyssos, suâque persuadendi vi & efficaciâ, purum in ea charitatis aurum, solidarumque in-
trodeicit adamantines virtutum. Unicus est Sol: & similiter P. ANTONIUS VIEIRA uni-
cus existit. Est seculi nostri Phœnix, Phœnix est avis fabulosa, sed representando vera.
(pro ut variis locis probat doctissimus Cornelius à Lapide) est Sol: ad representandas quip-
pe planetæ hujus qualitates, Ægyptii hanc fabulam invenere; ad quod (juxta ejusdem Au-
thoris sensum) Propheta Malachias alludit, Solem pennatum, seu alatum introducens. Est
igitur Sol phœnix sphaeræ quartæ; & P. ANTONIUS VIEIRA phœnix sphaeræ nostræ,
melior phœnix scribendo, quam Sol volando: melior phœnix suorum pennæ scriptorum,
quam Sol suorum pennæ radorum, porro hoc pacto in Sole hoc rationali, Solis visibilibus
proprietas videntur expressæ. Veruntamen non eas tantum ad vivum, sed exprimit cum
excessu: Lux enim Solis non nisi per unum extenditur Hemispherium, & illa ANTONII
VIEIRA per duo: Lucens enim in Hemispherio Americæ, etiam illuminat Hemispherium
Europæ, post alteram residens partem lineæ splendet Ulyssipone, & inde mediante impres-
sione tota lucet terrarum orbi. Sol vergens ad occasum, moderatur & remittit splendores:

P. AN.

CENSURÆ.


P. ANTONIUS VIEIRA, adeò jam post multos annos declinans ad occasum , ad luc-
ces intendit, auget, & roborat. Denique Sol jam stitit & regressus est? & **P. ANTONIUS**
VIEIRA nunquam stitit, nec retrogressus est: nunquam sublitit in zelo: nunquam retro-
gressus est in stylo. Nihil hisce Sermonibus Regii Majestatis Tuz servitii offensivum conti-
netur: & casu quo nonnemo opinionis foret contrariæ, audire mereretur illud de Sole as-
sertum Pythagoræ, *Contra Solem ne loquaris*. Contra Solem nihil est dicendum: contra **P.**
P. ANTONIUM VIEIRA nihil est notandum. Ego, Clementissime Domine, vel maxi-
mè, & unicè optarem, ut omnes quotquot Sermones hosce legerint, non tantum eorum-
dem sese oblectarent luce, sed etiam corda sua eorum penetrari sinerent calore. Lucem Au-
thor ipsorum suo infundit intellectu, calorem spiritu: lux est plausibilis, sed calor utilis. Mul-
ti prò dolor! (quod frequens est in mundo) contempro utili, magnificunt plausibile:
plausibili recreantur blandimento conceptuum, relicto veritatem eis detegentis & demon-
strantis utili spiritus; Et post tam efficacem, (velut illa horum Sermonum est) lectionem
admirabundi & attoniti remanent intellectibus; sed æquè ut ante in amore Dei frigidi cordi-
bus. Porrò sanctitas & virtus non in intellectu speculationibus, sed in voluntatis consistit
resolutionibus; Si voluntati deest calor ad bene operandum, parum prodest lumen intelle-
ctus nisi ad non intelligendum. Sermones igitur hosce legenti magis attendendum est ad ca-
lorem spiritus, qui in doctrina eorum includitur, quàm ad lumen intellectus, quod in eo-
rum elegantia diffunditur. Idem Ecclesiasticus conclusionem faciat, dum Solem laudat: *Ma-
gnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter*. Non est melior modus lau-
dandi Solem, quàm laudare Deum, qui ipsum creavit adeò luminosum: pari ratione in-
tendo ingenii hujus felicissimi Solem, optimum ejus præconium est, laudare Deum, qui il-
lum adeò fecit sapientem. Sol in Verbo Dei suum peragit iter; & **P. ANTONIUS VIE-**
IRA in Verbo Dei suum peragit iter: *In Sermonibus suis festinavit iter*. Sol in Verbo Dei
suum peragit iter per Zodiacum in duodecim signa divisum; & **P. ANTONIUS VIEIRA**,
in Verbo Dei Sermonum suorum peragit iter, quos in Tomos duodecim velut totidem
Solis hujus signa dividit. Porrò numeri hujus, quem in prima Parte sua nobis promisit, hic
est Quintus. Magis accelerare gradum necesse est, & ut Majestas Tua illi mandet, ut Solis
adinstar diligentie hujus mereatur prærogativam, hocque modo impleatur in illo de Sole
dictum: *Et in sermonibus ejus festinavit iter*. Hæc mea est sententia, si hæc in materia eam
dare fas est, qui tam parum, ut ego, cum Aquila participat; cum solius sit Aquilæ Solis exa-
minare radios. Majestas Tua mandabit utique quod sibi placuerit. Ulyssipone & Congre-
gatione Oratorii 26. Junii 1688.

Fr. EMMANUEL de SÔUSA,

LICENTIA R. P. PROVINCIALIS S. J.

EGO ALEXANDER de GUSMAN S. J. Provincialis Provinciae Brasiliae, ex speciali Commissione A. R. P. Generalis Dominici Maria de Marinis, do licentiam imprimendi Tomum Quintum Sermonum P. ANTONII VIEIRA, ejusdem Societatis, Prædicatoris sacre Majestatis, per ejusdem Religiosos doctos per nos ad hoc specialiter deputatos revivum & approbatum. In cujus rei fidem dedi præsentem manu mea signatas, & officii mei sigillo communitas. Bahia 12. Augusti 1687.

ALEXANDER de GUSMAN.



APPROBATIONES RR. PP. PRÆDICATORUM.

Quintam hanc excellentissimi Prædicatoris Admodum Reverendi Patris ANTONII VIEIRA Societatis Jesu Partem, eo quo quatuor priores studio ac diligentia perlegimus, invenimusque eam raris Conceptibus prædivitem, fidei Catholicæ, bonisque moribus nec in minimo adversantem, ideoque ut laude sic luce dignissimam existimamus. Coloniae in Conventu S. Crucis Ord. Prædicatorum 1693. die 23. Octobris.

Fr. ADRIANUS SCHONEN Ord. Præd.
SS. Theologiae Magister.

Fr. PETRUS DIETZINGER, Ord. Præd.
SS. Theologiae Doctor.

Vis supra positis Approbationibus, hic Tomus Quintus Concionum R. P. ANTONII VIEIRA Societatis Jesu imprimi potest, ita Censeo. Coloniae 1693. 15. Decembris.

Fr. SEBASTIANUS SMIPPENBERGH, Ord. Præd.
SS. Theologiae Doctor & Professor Ordinarius,
Inquisitor Apostolicus.



PRIVILEGIUM

CÆSAREUM.

Lepoldus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus ac norum facimus tenore præsentium univèrsis, quod, cum nobis noster factique Imperii fidelis dilectus HERMANNUS DEHMEN, Bibliopola Colonienfis humillime exposuerit se constituisse P. VIEIRÆ Prædicatoris Regii in Lusitania selectissimos Conciones, typo in lucem edere, vereri autem ne multorum invidia eundem Librum alibi recudentium impendii & laboris sui fructa frustretur, ideoque nobis demissè supplicarit, ut indemnitati suæ Privilegio nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur, nos attento hoc supplicantis laudabili studio, quod ad publicum rei litterariæ usum impendit, ejusdem justis precibus benignè annuerimus, man jamus proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, aliisque quibuscunque rem & negotiationem Librariam quovis modo exercentibus districtè atque seridè inhibentes, ne quisquam eorum præfatum Opus intra decem annorum spatium sub pœna quinque Marcarum auri à prima recusionis & editionis die memorati Libri numerandum, intra Sacri Imperii, Regnorumque & Provinciarum nostrarum hæreditariarum fines eodem aut alio typo integrè aut pro parte recudere, invchere, & clam vel palam vendere atque distrahere præsumat, quatenus multam quinque Marcarum auri puri ex semissè Camera nostræ Imperiali, ex altero verò parti læsæ irremissibiliter pendendam incurrere, & omnibus Exemplaribus quocunque loco repertis (quorum sibi vel propria autoritate, vel Magistratus, ubi eadem reperta fuerint auxilio vindicandorum dicto supplicanti ejusque hæredibus vigore præsentium facultatem & potestatem nostram Cæsaream concedimus) privari noverint, dummodo tamen nihil honestis moribus contrarium dictus Liber uspiam contineat, & præfatus supplicans postquam

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Exemplaria quinque debita nobis exhibuit, Privilegium hoc nostrum Cæsa-
reum in capite dicti Libri, imprimi curet. Mandamus porro univeſis no-
ſtris & Sacri Imperii Regnorumque & Provinciarum noſtrarum Magiſtra-
tibus Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, cujuſcunque ordinis, conditionis & gra-
dus fuerint, ne quenquam huic noſtro Cæſareo Privilegio ullatenus impu-
ne contravenire patiantur, quin potius ejuſdem tranſgreſſores ſupradictis
pœnis aliisq; modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mul-
ctam evitare voluerint; Harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcri-
ptarum & Sigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in
Civitate noſtra Viennæ die prima menſis Auguſti, Anno Miſleſimo, Sex-
centefimo nonageſimo, Regnorum noſtrorum, Romani trigefimo tertio,
Hungariæ trigefimo ſexto, Bohemiæ verò trigefimo quarto.

LEOPOLDUS



Vt. LEOPOLDUS GUILLIELMUS:
Comes in Konigſeg.

Ad Mandatum Sacræ Cæſaræ
Majeſtatis proprium

FRANCISCUS WINANDUS BERTRAMS.

I N D E X

SERMONUM & THEMATUM,

qui in hac Quinta Parte continentur.

- | | | |
|-------|--|---------|
| I | Sermo pro Dominica prima Adventus.
<i>Celum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.</i> | pag. 1. |
| | Luc. 2. | |
| II. | Sermo pro Dominica secunda Adventus.
<i>Joannes in vinculis.</i> Matth. 11. | 40 |
| III. | Sermo pro Dominica tertia Adventus.
<i>Tu quis es? & quid dicis de te ipso?</i> Joan. 1. | 63 |
| IV. | Sermo pro Dominica quarta Adventus.
<i>Factum est verbum Domini super Joannem, & venit in omnem Regionem Jordanis, predicans Baptismum penitentiae in Remissionem peccatorum.</i> Luc. 3. | 86 |
| V. | Sermo de Immaculata Conceptione B. V. Mariae.
<i>De qua natus est Jesus.</i> Matth. 1. | 111 |
| VI. | Sermo pro Dominica sexta post Pentecosten.
<i>Recumbe in novissimo loco.</i> Luc. 14. | 135 |
| VII. | Sermo de sanctissimo Sacramento Corporis Christi.
<i>Hic est panis, qui de caelo descendit.</i> Joan. 6. | 164 |
| VIII. | Sermo de S. Gundifalvo.
<i>Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita in venerit: Beati sunt servi illi.</i> Luc. 12. | 198 |
| IX. | Sermo pro Dominica 22. post Pentecosten.
<i>Cujus est imago hac & superscriptio? dicunt ei Caesaris.</i> Matth. | |

22.

232

INDEX SERMONUM ET THEMATUM.

- X. Sermo de B. V. Maria de Gratia sive Assumptionis.
Maria optimam partem elegit, Luc. 10. 256
- XI. Sermo de S. JOANNE Evangelista.
*Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat
 Jesus sequentem, Joan. 21* 286
- XII. Sermo pro Dominica secunda Quadragesimæ.
*Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit
 illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est
 ante eos, Matth. 17.* 306
- XIII. Sermo de S. BARBARA.
*Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito in agro;
 quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius
 vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum
 illum Matth. 13.* 336
- XIV. Sermo pro Sabbatho ante Dominicam Palmarum.
*Cogitarunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum inter-
 ficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, &
 credebant in Jesum: In crastinum autem turba multa,
 quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia Jesus
 venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, &
 processerunt obviam ei, Joan. 12.* 336
- XV. Sermo de S. JOANNE Baptista.
Elisabeth impletum est tempus, & reliqua, Luc. 1. 382



S E R M O

PRO

Dominica prima Adventûs.

Cœlum & terra transibunt : Verba autem mea
non transibunt. Luc. 21.

§. I.

*Cœlum & terra transibunt : Verba autem
mea non transibunt.*



NOTABILI hac inu-
sitataque sententia
Redemptor noster
Christus narratione
concludit Evange-
lii , cujus lectio-
nem audivimus, Venturum se ad
judicandum, rationemque à mun-
do, extremo ejusdem die, sese ex-
acturum affirmat: & quoniam ante
judicium mundus concremabitur
in cineres redigendus , ipsum in-
cendium, quo consumetur , pri-
ma conclusionis pars tangit : *Cœ-
lum & terra transibunt* : ipsam ve-
ro rationem , quam cum universo

hominum genere initurum se di-
cit, pars altera concernit : *Verba
autem mea non transibunt.* Hæc duo
vel maximè portentosa in illo uni-
versalis Judicii theatro Homines
& Angeli videbunt. Ibi Mundi
principium suo extremo, & extre-
mum suo junctum videbitur prin-
cipio : principium suo fini, in om-
nibus quæ transierunt ; & finis duo
principio , in omnibus quæ non
transibunt. Difficilis quidem illa
videtur unio , in tanta sæculorum
distantia; Verùm istud ex mirabi-
lioribus dici istius unum erit: Om-
nia quippe præterita, quæ esse de-

Pars F.

A

sierunt,

fierunt, & cum tempore dispa-
 ruerunt, ac si non transissent, &
 denuò esse reinciperent, ad red-
 dendam rationem apparebunt.
 Respicendo ad omnia, quæ fue-
 runt, sunt, & erunt in Mundo; om-
 nia transiisse videbuntur, *transi-
 bunt*: Respicendo verò eadem
 omnia, quæ cum genere humano
 veluti resuscitata, cum eodem ad
 comparandum in iudicio citabun-
 tur; nihil eorum transiisse, majore
 cum stupore similiter apparebit:
Non transibunt. Hæ igitur duæ ve-
 ritates, quibus iudex supremus
 tam expressè fidem adstruit &
 confirmat; duplex hæc fraudis de-
 ceptionisque detectio, quam diffi-
 culter adeò mortales nobis per-
 suademus, dum vivimus: gemina
 denique consideratio illius, quod
 transiit, & illius quod non transi-
 bit: *Transibunt, & non transibunt*,
 hodierni discursus mei gemini e-
 runt poli & objecta, in primo vide-
 bimus, transire cuncta: in secun-
 do transire omnino nihil. In pri-
 mo, omnia transire vitæ: in secun-
 do, nihil transire reddendæ ratio-
 ni. In dietanto sermo nequit esse
 succinctus. Ab Auditoribus non
 attentionem, sed patientiam effla-
 gito. Placeat Deo, cui dicendo-
 rum hodie rationem me non red-
 diturum protektor, sua no-
 bis gratia assistere in materia,

quæ tantum concernit omnes.

§. II.

TRanseunt cuncta; transitque
 Nihil. Transeunt omnia vitæ,
 transitque nihil reddendæ rationi.
 Veritas, fraudisque seu deceptio-
 nis detectio cunctorum transeun-
 tium (quod primum nostrum est
 punctum) ex una licet parte tam
 sint evidentes, ut probatione nul-
 latenus indigere videantur; ex
 parte tamen altera tam sunt diffi-
 ciles, ut nulla easdem persuadere
 sufficiat evidentiâ. Legite Philo-
 sophos; Prophetas revolvite &
 Apostolos, sanctos legite Patres,
 & mox patebit, qua ratione om-
 nes non semel, sed sæpius cala-
 mum applicarint, omnemque e-
 loquentiæ vim, huic declarandæ
 Veritati, fraudique quamvis ex se
 tam claræ, detegendæ impende-
 rint.

Sapienter planè locutus est,
 perfectionem non in verbis, sed in
 adverbis consistere asserens: non
 in eo, quod opera nostra bona
 sint & honesta; sed quod bene fa-
 cta, Proinde ut hæc tanti momen-
 ti conditio, ad res causasque ex-
 tenderetur naturales & indiffe-
 rentes, S. Paulus Apostolus Ad-
 verbium adinvenit notabile. Et
 quodnam illud? *Tanquam non. Ut,*

1. Cor. 7.
 v. 29. *ut*
 30.

*qui habent uxores, tanquam non ha-
 bentes*

bentes sint : & qui flent , tanquam non flentes. Et qui gaudent , tanquam non gaudentes : & qui emunt , tanquam non possidentes : & qui utuntur hoc mundo , tanquam non utantur. Ita, ut in omni quod est , vel haberi potest in mundo , quantumcunque illud amemus , utile censeamus, in deliciis habeamus. Huic omni S. Paulus nos addere jubet unum , *tanquam non.* Tanquam tale quid non esset , tanquam non foret nostrum , tanquam ad nos minimè pertineret. Et quare? Ecce rationem: *Præterit enim figura hujus Mundi.* Nihil enim rerum hujus Mundi permanenter subsistit, omnia transeunt. Porro quemadmodum cuncta transeunt, & sunt, ac si non fuissent; sic bonum est, iis uti, tanquam non uteremur : *Tanquam non utantur.* Hinc eadem tortii Cœli oraculum non res, sed apparentias appellavit : & Mundum non Mundum, sed figuram Mundi vocavit: *Præterit enim figura hujus Mundi.*

Agite, ex principiis ejusdem Mundum considerate, semper illum in theatrò novam apparentem & disparentem, quia semper transeuntem, videbitis figuram. Prima Theatri hujus scena terrestris fuit paradisus, in quo Mundus immortalitate apparuit

vestitus, deliciisque circumdatus: sed quàm diu ista duravit apparentia? Eva brachium ad fructum extendit vetitum, & brevissimo spatio, quo bolus fatalis per fauces transiit hominis, cum illo pariter & Mundus à statu innocentiae ad statum culpæ, ab immortalitate ad mortem, à patria ad exilium, à floribus ad spinas, à requie ad labores & ærumnas, à felicitate summa, ad summum transiit infelicitatis & miseriae. O infelix Munde! si sic stabiliter sis, in sudore vultus tui pane tuo vesci contentus, minùs miserabilis esses. Verumtamen nisi naturali tibi labilitate & inclinatione de miseria una magna, ad majorem alteram semper transires, Mundus non esses. In prima ista Mundi infantia homines cuncti vestiebantur pelliculis, unicolores erant omnes, eadem omnes lingua utentes, eadem omnes legem observantes: sed tempore haud longo fraternitatis hujus naturalis harmonia perleveravit: Mox pelles cum tanta vestium varietate sunt immutatae, ut quotidie à pedibus ad caput usque nova appareat figura. Mox variarunt labia & loquelas tanta eum dissonantia & confusione, sicut in Turris Babylonicae fabrica. Variarunt mox colores, pro Regionum Climatunq; diver-

sitate, commiscendo sanguinem; etiam toto rubricato. Immutârunt extemplò leges non cum illis Platónis, Solonis, & Lycurgi: sed illa imperiosi vel maximè violentique legislatoris, proprii videlicet arbitrii. Mutarunt omnia, seu mutata sunt omnia, quia transeunt omnia.

Ævo illo viventes ad septingentos, octingentos, nongentos, & ad mille usque annos vitam producebant: & cheu quantillo tempore optima illa desuit consuetudo! Tunc multis vivere sæculis erat natura; hodie non unum attingere, sed propiùs ad unum accedere sæculum, reputatur miraculû. Tardius transferunt usque ad Noë, & transferunt. Cum viventibus illis nõ anni solùm, sed & corpora crescebant; & ex filiis Dei, progenie scilicet Seth, & ex filiabus Hominum, progenie scilicet Cain, nati sunt Gigantes, de quibus ait Scriptura: *Erant Gigantes super terram.* Nonnulla eorum, quos Scriptura viros vocat famosòs, extantia adhuc ossa, juxta symetriad humanam, non minus quam viginti pluriusve cubitorum altitudinis eos fuisse demonstrat: porrò certaminum Davidicorum historia quatuor, quamvis longè minoris staturæ commemorat. Verùm expirarunt tandem præterierunt-

q; ista Gigantum sæcula; quò enim quid majus est in hoc Mundo, eò velociùs finitur & transit.

Imminutâ hominum ætate & staturâ, & morte propiùs oculis obversante (quis mortalium tale quid crederet) in ambitione evererunt & superbia. Cùmque omnes conditione essent æquales, & liberi natura, non defecerunt, qui alios dominio suo subdicere conati violenter, hoc ipsum sunt consecuti. Primus diadematis affectator, fuit Nembrod, qui etiam sub nomine Nini seu Beli, quatuor Monarchias mundi fuit auspicator. Prima Assyriorum fuit & Chaldæorum: ubinam verò hoc tempore Imperium est Chaldaicum? Secunda fuit Persarum; ubinam verò nunc Persicum est Imperium? Tertia fuit Græcorum; & ubi Græcum nunc Imperium? Quarta & omnium maxima fuit Romanorum: & ubi nunc Romanum est Imperium? Si quippiam hujus superest, non nisi nomen habet: transiêre cuncta; quia transeunt omnia. Celebrioribus visionibus tribus, Deus Imperia eadem Regi unì, & duobus repræsenteravit Prophetis. Prima visio ostensa fuit Nabuchodonosori Regi, in quatuor metallorum statua: Secunda Zachariæ, in quatuor curribus diversorumque colorum equis ostensa.

stenſa: Tertia Danieli, in quatuor ventorum principalium, in medio pugnantium mari conſiſtu. Enim verò ſi viſiones iſtæ omnes oſtendebantur à Deo, eademque repræſentabant regna, ut quid Sapientia Divina adeò variavit figuras, & præter ſtatuum luculentam adeò & claram, duas alias adeò diverſas adjunxit? Quia ſtatua metallorum, ex quibus ſtatua duritie, atque ipſo ſuo nomine ſtabilitatem firmitatemque repræſentâſſe videtur: quia verò Regnorum horum nullum ſtabiliter erat perfeveraturum, ſed ſucceſſivè omnia mutanda, & de Gente ad Gentem tranſitura; hinc eadem varietate curruum, inconstantia rotarum, equorumque currendi pernicitate repræſentavit. Verùm non hic repræſentationis energia, tanquam ſufficienter necdum exaggerata ſtitit. Statua conſiſtebat pedibus, curruſque ſiſtere valebant: Quia verò Imperia illa præcipitiùs quàm fræno ſoluto, eodem in paſſu nec momenti quidem ſpatio ſubſtitura erant, ſed indefinenter mutanda & tranſitura; hinc demum illa Deus re inquietiſſima, inconstantiſſima & mutabiliſſima, quales ſunt venti, & quidem furioſiſſimi, repræſentavit: *Et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.*

Dan. 7.
v. 2.

§. III.

Quatenùs quatuor iſta tranſcunt Imperia, quod tertiâ, quartâ, quintâ, & ſextâ contigit ætate Mundi, etiam ſeptimâ incluſa: Quis, quæſo, comprehendet, quantum in eodem tranſierit Mundo? Sub primi Imperii exordio, ſimul exorta fuit idololatRIA: condignâ ſanè cœleſti vindictâ, ut cum homines adorari voluerunt, ad adorandum ligna & lapides ipſi devenirent. Reges verò qui ipſi IdololatRæ adulationibus & aſſentationibus canonizati vel vivi adhuc, vel jam mortui Idola evadebant. Sic Saturnus, ſic Jupiter, ſic Mercurius, ſic Apollo, ſic Mars, ſic Venus, ſic Diana; & quamvis hi omnes nomina ſua impreſſa reliquere Stellis; hiſ permanentibus, illi tranſierunt. Tranſcunt Idola, ſimiliterque ſiluerunt & tranſierunt oracula, quibus mendaciorum Pater eis reſpondebat: inſonante enim veritate Evangelicâ obmutuerunt omnia.

Initium tunc ſumpſerunt bella. Et quid de innumera bilibus dicâ exercitibus, pugnis campeſtribus & navalibus nationis hujus & populi victoriis & triumphis, alterius verò clade, ruina, & exitio, ſemper tã inconstanti & varia fortuna? Hoc tantum dico, quod ſicut gloria vincuntium & lætitia, ſic dolor pariter

A 2 Victo-

Victorum & ignominia transierunt, quia transeunt omnia. Exercitus Xerxis, quo majorem nunquam Mundus vidit, quinque millibus constabat navibus, & quinque pugnatorum millionibus: & quia utrimque junxit Hellepontum, perfossumque Athum montem reddidit navigabilem, affirmavit de eo Marcus Tullius, quod maria ambulaverit, terramque navigarit: *Tantis classibus Xerxes in Græciam transit, ut Helleponto juncto, Athoque monte perfosso, maria ambulavit, terramque navigarit, maria pedibus peragrans, classibus montes.* Ast totus iste immensus, & formidabilis apparatus, qui visus tremore mare terramque concussit, velociter adeò transit, profligatusque disparuit, ut solum de eo effatum illud remanserit. Ipse quoque Themistocles qui impari valde vi & potentia illum delevit & profligavit, pariter transit; non secus ac in Græcia, & extra eandem omnes famosi transiere Belliduces, eorumque Victoriæ. Transit Pyrrhus, transit Myrtridates, transit Philippus Macedo; transierunt Hector & Achilles; transierunt Hannibal & Scipio, transierunt Pompejus, & Julius Cæsar, transit Alexander Magnus, nomine singularis & sine simili; & usque

Cicero
lib. 2. de
sibus.

ad Herculem, sive unus fuerit, sive multi, omnes transiere, quia transeunt omnia.

Artes & scientiæ sequi solent atma, omnia quippe post se maxima trahit potentia: proinde locis diversis, Regnorum illorum tempore omnes artes & scientiæ mirificè floruerunt. Floruit Philosophia, floruit Mathesis, floruit Theologia, floruit Astrologia, floruit Medicina, floruit Musica, floruit Rethorica, floruit Poësis, floruit Historia, floruit Architectura, floruit pingendi Scientia, floruit Sculptura, seu ars statuaria; Verumtamen non secus ac marcescunt flores & arescunt, artium scientiarumque celeberrimi transierunt Authores: In arte sculptoria transit Phidias & Lyssippo: in pictoria transit Timantes & Apelles: in Architectonica Meliagenes transit, & Democrates: in Musica Orpheus transit & Amphion: in Historica Tuciddides & Livius, in Rethorica Demosthenes & Tullius: in Poësi Homerus & Virgilius: in Astrologia Anaxagoras & Ptolomæus: in Medicina Esculapius & Hypocrates: in Mathesi Euclides & Archimedes: in Philosophia Plato & Aristoteles: in Theologia Mercurius Trismegistus & Apollonius Thyaneus: & in omnibus simul sumptis scientiis

tiis eodem tempore septem Græciæ transferunt Sapientes: nam si ve simul, si ve seorsim, transeunt omnia. Sola Ethica, moralisque scientia tanquam vitæ virtutisque ad eò necessaria transitura non videtur. Sed Platōnici, Peripatetici, Epicurei, Cynici, Pythagorici, Stoici, Academici, ipsi eorumque scholæ & sectæ omnes transiēre.

Considerationi huic nihil congruentius, quàm ludi & spectacula publica recreationis, temporisque fallendi ergò ab hominibus adinventæ, ac si tempus idem non velocius cunctis transeuntibus transiret. Ludorum quidam illi fuēre Circenses, alii Dionysii, alii Juvenales, alii Numei, Maratonæi alii, omnes denique voluptatibus variis pleni, quibus vel prostituebatur honestas, sicut in illis Veneris; vel periclitatur iudicium sicut in illis Bacchi: Nulli vero humano indigniores aspectu pietateque naturali, quam illi gladiatorii. Tota ad Amphitheatrum consuebat Roma, & quo fine? ad videndum & celebrandum quomodo sese interficerent homines: His cadentibus superveniebant alii ac alii, ut ne momento quidem temporis locus vacaret, applaudente æque ferinè ac crudeliter Mundi capite tam

vulnera inferenti, quam recipienti; tam impavidè mortuis & morientibus, quam furiosè interficientibus. Porrò ludi sæculares sic vocabantur, quod revertente tantùm sæculo celebrarentur, ad quos publicus Præco invitans aiebat: *Venite ad ludos, quos nemo vidit unquam, nec visurus est*: Et sic veraciter vitam agnoscentes præteritam, & desperantes futuram, omnes visum abibant, & vocabantur Ludi. Omnium denique celeberrimi Ludi erant Olympici, ad quos omni quinquennio ad certam quādam Civitatem totus consuebat Mundus vel ad tollendam, vel videndum, quis lauream tolleret coronam. Hisce Ludis potius, quàm Solis cursu numerabantur, & discernabantur anni; & quemadmodum tota concertatio in cursu solum consistebat, eurrendoque præcellens bravium reportabat; non poterant non Olympiades transire, sicut omnes alii temporum istorum transiēre Ludi seu insumpta Ludis istis tempora.

Unum tantùm transire nequit; quod enim nunquam fuit, esse desinere nequit. Tale quid fuisse videntur fabulæ eodem tempore inventæ seu confictæ: sed enim, si non transierunt in semetipsis, in illis saltem transierunt casibus & causis

causis, quæ confingendis occasionem præbuerunt. In siccitate univerſali quæ totum exuſſit orbem, fabula tranſiit Phaëtonis: in diluvio particulari, quod magnam Mundi inundavit partem fabula tranſiit Deucalionis: in ſtudio, quo Rex Athlas ſitum motumque contemplabatur Stellarum, pertranſiit figmentum quod humeris ſuſtentaret Cælum: In continua nocturna ſpeculatione, qua viciniſſimæ terræ planetæ effectum Eudymion obſervabat, ſuorum cum luna amorum fabula tranſiit. Et quia noſtra quoque vitia, & virtus noſtra infirma, nec non ipſa denique noſtra vita inſtar fabulæ tranſiit, complacentia propria, & noſtri ipſorum amor in fabula tranſiit Narcifci: Divitiæ ſine ratione, in fabula Mydæ: Cupiditas inſatiabilis in fabula Tantalii: Alieni invidentia boni, in fabula & abuſu Titii: Summa fortunæ inconstantia, in fabula & Euxionis rota: Aſſequendi virtutis medium, & ad extrema vitiorum non declinandi periculum, in fabula Scyllæ & Charybdis. Certitudo denique mortis, & ſemper à filo pendentis vitæ incertitudo, jam tranſiit, indefinenterque tranſiit in fabula Parcarum. Hoc pacto ſapientes illius ævi hoc, quod eſt, cum eo quod non

eſt, & certum cum fabuloſo miſcuerunt: ne laus & gloria evaneſcere nos faciat, neque calumnia deſiciat, cum verum & falſum, veritas & mendacium tranſeant.

Verum enim verò juſtum non videtur in hoc ærum omnium tranſitu, quæ quatuor profanorum Mundi Regnorum tempore tranſierunt, ſilentio præterire facram Rempublicam, quæ durante dictorum quatuor ſtatu viguit, & quia à Deo fundata non tranſeundi jure videtur fuiſſe gaviſa. Nata & orta eſt Hebraica Reſpublica in ſervitute Ægyptiaca, & qui tunc ipſi conſtruxiſſet figuram, abſque omni negotio tres ipſi prognostiicare potuiſſet captivitates & tranſmigrationes, quibus à Patria fuit avulſa. Captiva ſemel per Salmaſarum, exalterum abducta in Aſſyrios: altera vice captiva per Nabuchodonofera, proſcripta tranſiens ad Babylonios. Tertiò & ultimò ſubacta à Tito & Veſpaſiano, quâ captivitate ad omnes tranſiit Mundi nationes & terras. In faſoſo Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, toties ipſo Dei ore nominato & celebrato cœpit triumviratu, nec tamen propterea omnes tres tranſire deſierunt. His Joſeph ſucceſſit, qui ſomnando omnem ſuam futuram proſperitatem, parentumque

que suorum & fratrum adorationes præcognovit: & quamvis sortitæ fuerint effectum, omnes nihilominus somnii adinstar transierunt. Populus idem triplicem habuit Regiminis statum, Judicum scilicet, Regum, & Ducum; & quamvis ascendendo & descendendo virgæ mutatæ sint cum sceptris, & sceptræ cum baculis & virgis, nullus statuum horum fuit stabilis, omnes transierunt. In Judicibus gladius transit Gedeonis, aratrum Samgar, & mandibula Samsonis. In Regibus transit robur & magnanimitas Davidis, Sapientia Salomonis, pietas religioque Josiæ. In Ducibus invincibile transit brachium Judæ Machabæi tot certaminum victoris: transit immortale facinus Eleazari, qui se supponens Elephantis, propriam suam occidit sepulturam: transit denique gloriosior cunctis venerabilis Testamenti Veteris zelator Matathias, æneis in sculpilaminis digni. Et ne nationis ejusdem silentio prætereantur Heroinæ; Quatuor in ea memorantur fuisse forma & pulchritudine insigniores, Sara, Rachel, Esther, & Judith, omnes nihilominus suo amatori fatales. Sara peregrino, periculis: Rachel pastori, laboribus: Esther Regi, fastidiis, Judith Duci

Pars V.

Exercitus, occisione: Hic miserabiliter finivit vitam; formæ verò pulchritudines necdum finitâ vitâ, jam transierant. In eodem florere populo præter alios æquè Veraces, sedecim canonizati Prophetæ, Majores quatuor, & duodecim Minores: Sed trium sæculorum spatio Majores & Minores ab Osee usque ad Malachiam omnes transierunt. Transierunt miracula: transierunt illa serpentis æneis; transierunt illa Eliæ & Elisæi: & quoniam restabat ut lex quoque Moyse & Sacerdotium transieret Aaronis; Lex denique & Sacerdotium transierunt, omnia enim transeunt.

Interrogare nunc cuperem Mundum, utrum, sicut memoriam meam tot rerum præteritarum replet imaginibus, rem aliquam exhibere possit oculis, quæ non præterisset? Septem illis fabricis, quibus fama Mirabilem nomen imposuit, nonnulli octavum annumerarunt mirabile Amphitheatrum Romanum: Sed octavum seu nonum mirabile est, quod omnia ista mirabilia, opinione hominum æterna transierint. Primum sibi in mirabilibus locum vendicârunt Pyramides Ægypti; Secundum muri Babylonis; Tertium, Pharus; Quartum Colossus Rhodius; Quintum Mausoleum

B *læum*

læum Regis Cariz; Sextum templum Dianæ Ephesinæ; Septimum simulachrum Jovis Olympici. Omissio Amphitheatro, cujus apparent ruina; pyramides collapsæ sunt, muri corruerunt, Colossus in nihilum redactus, Mausoleum sepultum, turris everfa, lucerna extincta, templum exustum, & simulachrum, velut simulachrum se ipso evanuit. Nunquid habet Mundus quoddicac & ulterius opponat, munitissimas tantum solidæque exædificatas civitates, aulas, potentissimorumque Metropoles & Residentias Regnorum allegare potest? argumentum sanè, antequam ponderetur grande quid sonans Ninive, residentia Nini Civitatum Mundi maxima fuit, non nisi tridui itineris de porta ibatur ad portam: tam fastuosè & splendide ex proposito constructa, ut similem sibi non haberet aliam, sicuti nec habuit. Ubi verò nunc ista est Ninive? Ecbatana Residentia Arphaxad, Civitasque sacri testimonio textus potentissima, septemplici mœnium ordine, ex lapidibus quadris, & singulis viginti & septem palmis undiquaque latis circumdata erat: & portæ altitudinis prodigiosæ centum cubitos continebant. Sed ubi nunc Ecbatana ista? Susæ Assueri Residentia, nec non viginti sep-

tem Provinciarum Metropolis, cujus palatium stellatum referebat Cœlum, basibus aureis, pretiosisque inædificatum lapidibus, & cujus parietes marmore constabant albo, & diversicolore Jaspide; hinc concludere conjicere obvium est, quam munitam inexpugnabilemque fuisse oporteat, cum tam dilatata defenderet Monarchiam, tot Regnorum Dominam, tantarumque opum thesaurariam. Sed ubi hæc Susæ? Si idem de ruinis Thebes, Memphæos, Bactræ, Carthaginis, Corinthi, Sebastes, omniumque celebratissimæ Jerusalem percontandum foret, totum terræ circumlucum circumire oporteret. De Troja cecinit Ovidius.

jam seges est, ubi Troja fuit.

*Ovid. in
Heroid.*

Idem omninò affirmare licet de planitiebus, vallibus & montibus, unde vastissimæ molis artificia, Muri & Turres ad nubes usque consurgebant. Quorundam locus, ubi steterint, nescitur: aliorum loca coluntur, seminantur, & conservantur arboribus, nullo alio apparente vestigio, quod unquam extiterint, nisi quæ inveniunt, qui terram aratro scindunt. Ne homines carne constantes & sanguine, de brevitate vitæ conquerantur, cum etiam saxa moriantur: & ne quis negare

gare auit transiſſe omnia, quæ
tuerunt; & tranſitura omnia, quæ
adhuc ſunt.

§. IV.

CURſus hujus præcipitiſque ge-
neraliſ, quo tranſeunt omnia,
non ſimplex ſed duplex eſt ratio:
una omni ſtabilitati contraria,
& altera ipſi repugnans entitati.
Et quænam illæ? Tempus, &
ante tempus. Nihil. Quid, ama-
bò, velocius, quid fugacius, quid
denique tempore inſtabilius? In-
ſtabile adeò, ut potentia nulla,
immo nec divina illud ſiſtere poſ-
ſit. Hinc quatuor illa anima-
lia, Gloriæ Dei currum in hoc
Mundo trahentia fræno care-
bant. Poëtarum omnium faci-
le ingenioſiſſimus in palatio So-
lis deſcripſit, & in ſuas illud di-
videns partes, ita cecinit elegan-
ter.

*A dextra lævaque dies, & menſis, &
annus,*

*Sæculaque & poſita ſpatiis equali-
bus horæ;*

*Verque novum ſtabat cinctum flo-
rente corona,*

*Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta ge-
rebat,*

*Stabat & Autumnus calcatis ſordi-
bus urvis,*

*Et glacialis Hyems canis hirsuta ca-
pillis,*

Iterum dico, eleganter quidem,
ſed erroneè & improprie. Iſtud
repetitum toties, *ſtabat*, om-
nem ingenioſæ picturæ veriſi-
militudinem ademit: Nec e-
nim ver cum ſuis floribus, nec
æſtas cum ſuis ſpicis, neque cum
fructibus ſuis Autumnus, neque
cum glacie ſua & nivibus vel læ-
viſſima Hyems, vel momento
ſtare poſſunt. Tranſeunt horæ,
tranſeunt dies, tranſeunt anni,
tranſeunt ſæcula: porrò ſi quo
Hieroglyphico depingi poſſent,
ſingulas alas addi oporteret,
non ut current ſolum & fuge-
rent, ſed volarent, nec ap-
parerent. Improprietatem iſtam
non excuſat, Solem ſedere: *Se-
debat in Solio Phæbus*; Sol etenim
ſtare poteſt, ſicut tempore Jo-
ſue; & retrocedere, ſicut tem-
pore Ezechiæ; tempus verò nul-
lo tempore ſiſtere, eademque
ſemper velocitate non progredi
nequit. Hanc improprietatem
ſuam idem Poëta benè corrigens
poſtea ait:

*Ipsa quoque aſſiduo labuntur tem-
pora motu*

Non ſecus ac flumen: neque enim

conſiſtere flumen,

Aut levis hora poteſt.

Quia verò tempus non habet,
non habere poteſt conſiſtentiam

ullam, & omnia à suo simul principio cum tempore nata : hinc nec illud, nec ista vel momento stare possunt, sed perpetuo cum motu, & revolutione insuperabili transire & præterire necessario & incessanter debent.

Secunda ratio naturalis magis, fortiorque existit ; illud scilicet Nihil. Omnia revolutione naturali, & impetu, totoque pondere in suam feruntur originem. Homo, quia formatus de terra, cum propriæ quamvis dispendio vitæ, & summa voluntatis repugnantia, semper quærit terram, & non nisi in sepultura quiescit. Flumina aquarum suarum dulcedinem oblita, quantumvis maris sint amaræ, omnia in ipsum mare tendunt, & in eo tantum, velut centro suo conquiescunt. Pari planè ratione omnia quæ Mundi hujus sunt, quantumcumque grandia & stabilia videantur, cum ipso Mundo de non esse ad esseeducta sunt : proindè sicut Deus ea produxit ex nihilo, ad idè, ex quo creatafuerunt nihilum præcipitanter currunt omnia, nullo ea retinere & sistere valente. Nonne subitanè tempestate formatum vidistis torrentem, quomodo cum impetu & sonitu ex alto delabatur & decurrit ; & cessante mox pluviâ exsiccatus, & absorptus ad nihilum,

quod erat ante redierit ? Idem omnibus, nobisque omnibus usu venit, inquit David : *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* ^{Pf. 57. v. 8.} Nunquid ultimo noctis quadrate, quando confusæ minùs phantasiæ repræsentatum fuit, quod amplas possideretis divitias, ingentibus frueremini deliciis, ad sublimes promoti essetis dignitates ; experrecti verò nunquid oculis apertis, omnia nihil esse, vidistis ? Sic instar somnii ad nihilum transeunt omnes Mundi hujus apparentiæ, idem ait Propheta : *Velut somnium surgentium, Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* ^{Pf. 72. v. 20.} Ita ut duæ hæ sint rationes, cur omnia transeunt. Transeunt, quia cum tempore volant ; & transeunt, qui ad nihilum, unde exierunt, incessanter pergunt. Hinc attestante Spiritu sancto, aliquibus jam præteritis, succedere oporteat alia, similiter transitura : *Generatio præterit, & Generatio advenit ; terra autem in æternum stat.* ^{Eccl. 1. v. 4.}

Verum enim verò consideratâ benè hac sententiâ, cum tam paucis constet verbis, sicut aliqua confirmant quod dicimus, sic quædam idem impugnant. Si enim terra stabilis semper & firma perseverat ! *Terra autem in æternum stat* : Ipsam saltem terram non transire, & in mundo aliquid non

tran-

transiturum esse sequitur. Num igitur contra assumptum nostrum aliquid concedemus, dicentes figuras transire, ut inquit S. Paulus, Terram verò, quæ est theatrum, non transire? Absit. Nec hoc dico, nec concedo. Terram non transit simul tota: sed transeunt semper, prætereuntque ejus partes. Terra constat Regnis, Regna Civitatibus, Civitates domibus & agris, & potissimum hominibus: porrò omnia ista, quæ terra sunt, (& tota terra) indefinenter transeunt & prætereunt. Daniel mysterium & significatum visæ à Nabuchodonosore statuat ipsi revelans, Deum tempora mutare & ætates, & ex eis de Gente in Gentem regna transferre dixit: *Ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit.* Hoc modo ipsius Nabuchodonosoris Regnum transit ad Persas; Persarum ad Græcos; Græcorum ad Romanos; Romanorum denique ad tot alios, quorum hodie capita coronat, quos meminisse oportet infallibilis istius sententiæ; *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitias.* Regnum nostrum originaliter non majoribus annumerandum, quoties ad alias transit Gentes? transit ad Suevos, transit ad Alanos; transit ad Carthaginenses, transit ad Romanos,

transit ad Arabes & Saracenos, & in ipsam transit Hispaniam, & denudò præteriit. Terræ motus ex æris violentia in terræ visceribus generati rariores sunt; in superficie verò illius nati, perpetuò illam motu concutiunt.

Enim verò si Regna vasta & Imperia non sunt stabilia; quid Civitatibus particularibus fiet, ubi totam fortunæ rotam circumvolvi non opus est? Non loquor de iis, quæ subitanè quasi morte perierunt, eadem nocte ad ultimos usque cineres favillasque, instar Trojæ, & Lugduni redactæ. De qua sententiæ pronuntiavit Seneca: *Quando una nox fuit inter orbem maximam & nullam, nihil privatim, nihil publicè stabile est: tam hominum, quam urbium fata voluntur.* Relictis igitur illis, quæ ab esse ad non esse subito transeunt: de illis tantum modo loquar, quæ numeratis quasi passibus de dominio ad dominium transeunt. Quoties Columbæ Babylonis, Hierosolymæ Leones, Romæ & Constantinopolis Aquilæ, in mœnibus suis alia viderunt Vexilla? Maximum Martis theatrum, hoc ævo nostro, & quo forte majus nullum aliud vidit sæculum, fuisse bella Belgica; & in maxima Hollandiæ Provincia, Civitate Dorthexcepta, & ex hoc

Seneca
Epist. 92

Dan. 2.
v. 21.

Ecl. 10.
v. 8.

Virginis nomen fortitâ , nulla fuit Civitas , quæ expugnata Dominum non mutâffer. Quid de confiniis loquar semper incertis , & tam frequenter mutatis Hispaniæ cum Gallia , Galliæ cum Germania , Germaniæ cum Turcia , & Turciæ cum Italia ? Multis ab hinc annis Creta antiqua , hodie Candia , absque quod esset ex erantibus Archipelagi Insulis , Mundum reliquit dubium , quoniam tenderet , & ubinam Cruces , vel medias agnosceret Lunas.

Porrò quantum ad ades velut membra minora , è quibus innumerabilibus constituuntur Civitates; Quis , quæso , inextricabilem comprehendet Labyrinthum , quo velut pisces in mari semper moventur de Domino ad Dominum transeuntes ? Familiarem auscultemus evidentiam , quâ singulare sancti Augustini iudicium cuidam eorum perpetuam hanc instabilitatem demonstravit. Divitem introducit , qui se domus suæ Dominum gloriose jaetabat dicens : *Domum meam habeo. Quem sanctus Augustinus sic interrogat ; Quam domum tuam ? Quam Pater meus mihi dimisit. Et unde ille habuit ? Avus noster illam reliquit. Recurre ad proavum , inde ad avavum , & jam nomina non*

potes dicere. Pater tuus hic eam dimisit , transiit per illam sic & tu transibis. Hoc pacto sine omni firmitate & subtilitate in hoc Mundo transeunt domus , Villæ , Civitates , Hæreditates , & Primogenituræ : Hæ , quoniam mors ea transire facit ; Illæ , quoniam justitia eas transire mandat : Illæ , quia ad transeundum eas invitat ementium opulencia ; aliæ , quia venditium compellit necessitas ; aliæ , quia vis eas tollit & potentia , & per violentiam spoliat , in potestatem suam redigit & dominatur. In summa ut non sit lapis , nec tegula , neque planta , aut radix , neque palmus terræ in terra , quin non indefinenter transeat , quia omnia transeunt.

S. V.

TRanseuntium illorum omnium , homo non tantum principalis pars est , sed veraciter totum : Et homine oculis vidente apertis , & adhuc cæcis , quomodo omnia transeunt ; nos tantum vivimus , ac si non transiremus. Similes illis fumus , qui prospeto navigantes vento , & Tagum seu Rhenum rapidissimo transfretantes cursu , si fixis terram respiciant oculis , Montes & Turres , & Civitates esse videntur , quod

Aug.
comm. in
Psalm. 22.

quod transit : & transeuntes sunt ipsi. Quod cecinit Poëta:

Montes urbesque recedunt.

Verum ad eandem redeundo comparationem , majus adhuc in terra genus fallaciæ videbimus. Vel maxima Majestatis magnificentiæq; in hoc Mundo visa ostentatio, est trium illorum, quæ S. Augustinus vidisse optabat, unum, Romanorum triumphorum pompa fuit. Per unam orbis illius tum temporis amplissimæ portam intrantes ordine longo ad Capitolium deducebantur : præcedente victore milite cum applausibus , repræsentatæ ad vivum victæ sequebantur Civitates , conscensifcalis inaccessibiles montes ; transitæ pontibus ingentia flumina : fortalitia , & hostium arma, nec non machinæ , quibus illa fuere expugnata : item innumera spoliis onusta plaustra , Divitiæ , & quicquid in Regionibus subjectis rarum fuit & admirabile : deinde numerosa captivorum turba , & quandoque Reges ipsi manibus in tergo revertentis : Agmen clauderat aureo lapidibusque pretiosis exornato , à cicuribus Elephantis , Tygridibus , & Leonibus tracto reitens curru gloriosus & famosus triumphator. insonari sibi longo spatio audiens , triste illud

& timendum : *Memento te esse mortalem.* Durante hac processione (sic eam vocat Seneca) plateæ , fora , fenestras , sedes & præparata hunc in finem theatra infinita hominum multitudine , qui ad videndum confluxerant , repleta erant. Et si Diogenes tunc interrogasset , quales essent , qui transirent , utrum triumphantes , vel spectantes ; nemo dubitabit quin responsio risu digna videretur. Ast certum est , tam agentes processionem & triumphum , quam spectantes ex fenestris , & theatris æquæ transiisse , vita quippe & tempus nunquam sistit : & seu stantes , seu euntes ; ambulantes , vel sistentes , omnes semper , æqualique velocitate transimus.

Veritatem hanc tam neglectim observatam, sanctus Ambrosius similitudine quapiam propriâ valdè eleganter declaravit : *Etsi S. Amb. non videmur ire corporaliter , pro in ps. x. gredimur . Nam sicut in navibus v. l. dormientes ventis aguntur in portus ; Sic vita nostræ spatio defluente , ad proprium uniusquisque finem , cursu labente deducimur . Tu enim dormis , & tempus tuum ambulat.* Omnes in eadem navi, quæ est vita , verſamur ; eodemq; omnes velificamus vento, qui est tempus : & quemadmodum

modum quidam in navi gubernaculum seu clavum moderantur ; alii vela contrahunt & extendunt ; illis vigilantibus hi dormiunt ; nonnulli spatiantur & deambulant, alii sedent ; aliqui cantant, alii ludunt, alii comedunt, alii otiosi nihil operantes, & simul omnes ad eundem portum tendunt : sic & nos, quamvis foris non pareat, semper insensibiliter transimus, & quilibet suo fini appropinquat ; *Nam tu* (concludit S. Ambrosius) *dormis & tempus tuum ambulat.* Parum dixit, inquit, quod tempus ambulat, nam currit & volat : optimè verò advertit, nos dormire inquit ; oculos enim habentes apertos ad videndum quod omnia transeunt, ad considerandum tantum quod etiam nos transeamus, clausos illos habere videmur.

Socrat.
in Eratilo.

Effatum fuit Heracliti insignioris Philosophi, à Socrate allegatum cum encomio ; *Non posse quemquam bis in eundem fluvium descendere.* Et quare ? quia, quando secunda descenderet vice, jam fluvium semper labentem & pertranseuntem esse alium. unde ego infero idem usuventurum, si non esset fluvius, sed lacus vel stagnum, id quod homo intraret ; licet enim aqua lacu & stagni non currat, nec mutetur, nihilominus currit sem-

per & mutatur homo, qui nunquam in eodem statu permanet : *Et nunquam in eodem statu permanet.* Ita Job pronunciavit, quique idem de homine omni, deque seipso non pronunciaverit, semetipsum non cognoscit, admiratur sanè Philo Hebræus quod interroganti Adamum Deo, *Adam, ubi es?* ipse non responderit : sed mox ipsum excusat Adamum, & quemlibet alium sic interrogatum à Deo hominem ; *Quo enim pacto respondere potest ubi est, qui non est ?* Si diceret sum hic (prout subtiliter argumētatur S. Aug.) inter primam Syllabam & secundam, *jam sum,* non esset, *sum;* neque illud, *Hic,* idem esset locus ; nam sicut omnia transeunt, omnia mutata essent ; Hinc idem concludit Philo, quod si Adamo veraciter propriè respondendum fuisset, ubinam esset, respondendum fuisset, *nusquam* : qui nusquam & nullibi est, quod nunquam est, sed semper transit : *Ad quod propriè respondere poterat, nusquam : eo quod humana res nunquam in eodem statu maneat.*

Job. 14.
v. 2.

Philo;

Considerato continuo hoc hominis transitu (non extra se, sed ubi verè videtur quod est, & permanet, id est intra se) Græciæ Sapientes dicebant, referente Eusebio Cæsariensi, omnem hominem

pro-

provectoris ætatis, senilesque affectum annos, senis mori vicibus. Et quomodo? Transeundo ab infantia ad pueritiam, moritur infantia: à pueritia transeundo ad adolescentiam, moritur pueritia: ab adolescentia transeundo ad juventutem, moritur adolescentia: à juventute transeundo ad ætatem virilem, moritur juvenus: à virili ætate transeundo, ad senectutem, virilis moritur ætas: & deficiente tandem tam continua diversarum successione mortium vita, ultimâ, quam solummodo mortem appellamus, moritur senectus. Ita hoc ipsum largiusculè, minusque sapienter debito, illi expenderunt sapientes, quos propterea corrigit S. Paulus dicens, se indes mori: *Quotidie morior*. Enim verò esse potest, quod ex communicatione mutua, quam Seneca cum sancto Paulo habuit, hanc eandem lectionem suo tradiderit discipulo, illi dicens: *Singulos dies, singulas vitas perit*. Si Sol qui semper idem est, diebus singulis, quotidieque novum habet ortum & occasum, quanto magis homo, nativa sibi inconstantia tam mutabilis, ut nemo sit hodie, qui fuit heri, neque cras futurus, qualis est hodie! Agnoscamus igitur veritatem omnes, & dicat, seu

Pars V.

sibi quilibet dicat cum Rege Ezechia: *De mane usque ad vesperam finies me*. Ultima igitur prolixi hujus discursus conclusio esto; nos tunc definituros bene; & cognituros quid præsens sit vita; & hic Mundus, cum perspexerimus, nos in illo non tantum in perpetuo versari transitu, sed in perpetuo cursu & quasi volatu.

*Isai. 38.
v. 12.*

S. VI.

HOc pacto transimus omnes, & sic transeunt omnia pro vita: Veritas non solum triftis, sed tristissima, nisi superlativum istud aliaque horribiliora magis deberentur illi, quod, postquam transierint omnia, subsequetur. Finita vita, reddenda sequitur ratio. Porro cum ratio reddenda sit de cunctis quæ transierunt in vita; tristitia sane & horrore plenissima consideratio est, quod transeuntibus cunctis pro vita, nihil transeat pro ratione! Quod difficilem facit & faciet rationem, sunt vitæ, & quidem totius vitæ peccata. Qualem proinde inducet confusionem tremenda & terribilissima die illa, vitam ipsam totiusque vitæ intueri peccata, & vitam videre transiisse, & non transiisse peccata!

De hoc transire, & non transire

C

fire

fire non documenta solùm Scripturæ , sed ingentia & luculenta suppetunt exempla naturæ. Christus Redemptor noster & Judex universalis, diem Judicii missæ in mare sagenæ comparavit , *Sagenæ missæ in mare.* Mare est hic Mundus : Sagenæ Scientiæ Justitiæque divinæ est comprehensio : ambulantes in ea natando jam capti, magis minusve largè sunt homines. Porrò sicut sagenam constructam & angustam non nisi aqua transire potest , reliquis manentibus conclusis ; pariratione , per illam vita tantummodò transit, & quicquid reliquum (quæ sunt peccata) intus remanens , transire nequit. O quam constricta & angusta est illa sagenæ Dei , & quam facillè illam transit, aquæ adinstar semper dilabens vita ! *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Christus ipse transire istud, & non transire cribro comparavit, Discipulis suis dicens : *Sathanas expetivit vos , ut cribraret sicut triticum.* Quemadmodum in cribro (inquit S. Johannes Chryostomus, in hæc verba commentando) quemadmodum in cribro sæpius percussò , transeunt grana , & paleæ tantùm remanent : Sic in Mundo hoc totaliter perforato , continua dierum annorumque revolutione, transit vita cum omnibus deliciis suis ,

Et in novissimo nihil remanet , nisi solum peccatum. De alio cribro loquitur David , quod est illud nubium , quo cribratur aqua pluvialis , idem nobis documentum altius inculcans : *Cribrans aquas de nubibus cælorum.* Descendit nubes velut spongia ad bibendum in mari, & cum aqua maris sit salsa & amara , cùm tamen per nubem transit , quod ibi remanet amarum est, quod verò huc ascendit , dulce. Proinde transire illud , & non transire in nube , Cribro ; in vita verò & ratione reddenda Nubi comparatur. Quod per illam transit, & quo hinc fruimur est dulce illud vitæ : quod ibi remanet superius invisibile, est amarum illud rationis.

Non potuit non assumptum hoc, tanquam experimentaliter ad eò sibi notum Job illustrius reddere similitudine quæpiam quæ magis illud nobis declararet , dicens Deo : *Observasti omnes semitas meas , & vestigia pedum meorum considerasti.* Enim verò quare Deus non gressus & passus , sed vestigia considerat ? Quia passus transeunt, vestigia remanent : passus ad transeuntem pertinent vitam , vestigia ad non transituram pertinent rationem. Sed quanta differentia Deus non transit, quod nos tam facillè transimus!

Nos

S. Chry-
sost.2. Reg.
22. v. 12.Job. 13. v.
27.Matt.
13. v. 47.2. Reg.
14. v. 14.Luc. 22.
v. 31.

Nos vestigia post terga relin-
quimus, & Deus ea semper ante oc-
ulos habet, quibus ea notat & ob-
servat: Vestigia bona delentur,
veluti in pulvere formata; Deo
non delentur velut adamanti in-
sculpta. Hujuscemodi est pecca-
torum nostrorum consideratio,
quæ in nostra mox memoria tran-
sit & perit; in scientia verò Dei
præsens semper perseverat. Sep-
tuaginta loco vestigiorum transtu-
lerunt, Radices: *Et radices pedum*
meorum considerasti. Quemadmo-
dum pedes vocantur plantæ, sic
vestigii bene quadrat nomen ra-
dicum. Eccur, amabo, nomen
illud passuum suorum vestigiis
Job imposuit? Non tantum, quia
passibus transeuntibus, vestigia
simpliciter remanent; sed quia
radicum more, firma, profunda,
semperque permanent. Vestigia
manifesta sunt & apparent; radi-
ces invisibiles latent; & hoc mo-
do Deus invisibiliter nostra pec-
cata conservat, quæ in die judicii
radicum more pullulantia, flagel-
la & supplexia pro cuiusque natura
germinabunt. Quod sollicitum a-
deò & anxium Job reddebat.

Denique Apostolus S. Paulus
contra abutentes patientiâ & lon-
ganimitate Dei, & loco ejus, ut
ex indulto pœnitendi spatio pro-
ficerent, peccata cumulando pec-

catis vitam transeunt: Nonne vi-
des [inquit] ð homo, quod divi-
tias patientiæ longanimitatisque
divinæ contemnas: & è diverso se-
cundum cordis tui duritiam, tibi
iram vindictamque thesaurizas,
quæ in judicii die te expectat? *An*
divitias bonitatis ejus, & patientia,
& longanimitatis contemnis? secun-
dum autem duritiam, & impœnitens
cor, thesaurizas tibi iram, in die
ira, & revelationis justi judicii Dei?

Ita ut peccatis peccata cumulare,
S. Paulus vocet, thesaurizare, *the-*
saurizas tibi: licet enim vita, diel-
que in quibus peccamus tran-
seant; peccata quæ in eis com-
mittimus non transeunt, sed in
thesauris iræ divinæ deposita ma-
nent. Apostolus ipsius ore Dei lo-
quitur, qui in Deuteronomio ait:
Nonne hæc condita sunt apud me, &
& firmata in thesauris meis? Mea
est ultio, & ego retribuam in tempo-
re. Hi igitur thesauri nunc clau-
si, suo aperientur & discooperien-
tur tempore ad reddendam ratio-
nem in die judicii; Hoc quippe in-
sinuat: *In die ira, & revelationis*
justi judicii Dei. Agite, Hominem
considerate divitem, & qui annuè
superfluis sustentationi suæ rediti-
bus gaudet. *Quid* homo iste facit?
aliquam partem ejus absumit, re-
liquum in thesauris recondens. I-
dem facimus omnes, omnes con-

Rom. 2.
v. 4. & 5.

Deut. 32.
v. 34. &
35.

sumimus; & omnes thesaurum acquirimus: quod transit cōsumimus omnes, quod non transit in thesaurum reponimus: quod consumimus est illud vitæ: & quod in thesaurū reponimus, est illud rationis.

Infinita se nobis hic offerret materia, si nunc ad praxin alterutram demonstrationis hujus partem reducere, & utramque in theatrum producere vellemus. Propterea verò primo discursus nostri puncto tam diu immorati sumus. Nunquid in eo vidimus, quomodo ab origine Mundi omnia transferunt? Nunquid vidimus, quomodo omnes, qui tot vixerant sæculis, præterierunt? Istud igitur quod nunc transit pro vita, est nihilum illud quod non transit pro reddenda ratione: porro omnes tūc mortui, & jam sepulti sunt, qui hoc eodem die resuscitati, vivi ante Tribunal Dei apparebunt, ad strictissimam omnium factorum suorum reddendam rationem. In hoc Tribunali S. Joannes supremum sedentem vidit Judicem in admirandæ Majestatis Throno, aspectu tam terribili, ut cælum & terram ab eo fugisse affirmet: *Et Thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cælum.* Ulteriusque vidisse se dicit mortuos omnes, magnos & parvos ante eundem stantes thronum: *Et vi-*

di mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu throni. Tandemque concludit sic: Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & judicati sunt mortui ex his que scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Ex distinctione hæc quam facit Evangelista de libro ad libros, clarè datur intelligi, quod liber erat vitæ, liber, qui est vita: & quod *librierant* rationum; ex libris enim mortui fuerunt judicati: *Et judicati sunt mortui ex his, que scripta erant in libris.* Hoc modo ad literam intelligunt hos textus Bedæ & alii Patres. Verum enim verò, quare liber vitæ erat liber, & libri rationis, libri? quia liber vitæ, ipsius vitæ complectitur dies, qui sunt pauci, & libri rationis commissa eisdem diebus continent peccata, quæ sunt multa. Ita ut in tremendo judicio, in oculis Tribunalis posito libro, & illic libris, conspirare & concurrere videantur ambæ illæ assumpti nostri combinationes. In libro, quomodo omnia transeunt pro vita; in libris, quomodo nihil transit pro reddenda ratione.

§. VII.

Nihil istud, de quo asserimus, quod nihil pro ratione transeat, nunc à nobis excutiendum est. In-

terro-

terrogosi nihil transit pro ratione, videturne etiam nihil vocari posse ad iudicium? Et, casu quo vocetur, evadetur rationem & iudicium eò quod nihil sit; Omnes dicturos credo, quod sic, sed certum est & de fide etiam nihil, quomodocunque qualificatum, etiam vocandum ad iudicium: & quia nihil transit pro ratione, etiam ipsum Nihil sine illa, & quidem rigida valde non transire oportet. In lege naturæ nemo dispositus melius Jobo: in lege verò Gratia nemo melius dispositus S. Paulo: Quid vero de se ipso uterque confitebatur? Job in nullo se Deum operando offendisse protestatur: *Quia nihil impium fecerim*. S. Paulus, pro se conscientia suæ testimonium allegans ait: *Nihil mihi conscius sum*. Ast, nunquid *Nihil* illud Job, & S. Pauli rationem iudiciumque effugerunt? Contrarium ipsum et confitentur. Job, Deum nihil illud in quaestione vocasse inquit per modum scrutinii, ad probandum, & confirmandum, utrum verè nihil esset, quod pro nihilo ab ipso habebatur: *Ut quaras iniquitatem meam, & peccatum meum scrutaberis, & scias, quia nihil impium fecerim*. Et S. Paulus, iustificatum se non putabat ex eo quod nihil conscientiam suam gravaret, quia nihili huius non ipse, sed Deus iudex esset futurus:

Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Ecce quàm luculenter & veraciter probatum, quod nihil pro ratione transeat, cum ad ipsum usque nihil, illam, & quidem strictissimam Deus ex-acturus sit.

Verum, amabò, quænam est, aut esse potest ratio, cur duobus tantis, tam omnibus suis numeris absolutis, tanta sanctitate præfulgentibus, Jobo scilicet & Paulo nullius sibi culpæ consciis hominibus, eam quasi imputabit, & rationem ab eis exiget? Prima huius rei ratio ex parte Dei (quæ solum ignorari potest ab eo, qui eum minus cognoscit) est, quia in iis, quæ nobis magis intima sunt, Deus nos cognoscit melius, quàm ipsi nos. Christo in ultima Cœna Apostolis revelante, sese ab uno eorum tradendum: *Amendico vobis, quia unus vestrum me traditurus est*: omnes ex significatione tali valde fuisse contristatos, inquit Evangelista, & interrogare cœpisse singulos: *Nunquid ego sum Dominus*; Petrus, Andreas, Joannes, & reliqui, Judâ excepto. Quilibet se non traditurum sciebat, nec tale quid sibi venisse in mentem; ut quid igitur conscientia suæ dictamini non acquiescunt, sed in dubium vocantes, de quo non dubitabāt, interro-

I. Cor. 4.
v. 4.

Matth.
26. v. 21.

ibid. v. 22.

Job. 10.
v. 7.

I. Cor. 4.
v. 4.

Job. 10.
v. 6.

gant singuli num traditores futuri sint? *Nunquid ego sum?* Quia, etiam propria nō arguente conscientia, noverant Christum de ipsis, & singulis eorum plus scire, quā quilibet sciret de se ipso. Ipsi se noverant velut homines: Christus eos noverat velut Deus. Hic fuit error S. Petri, eidem in cœna mensæ assidentis! Petrus se vitam, si sic necesse foret, pro Christo profusurum protestatus fuit: Christus è contrario, quod tribus se vicibus illa nocte negaturus esset affirmavit. Enim vero undenam hoc verificatum? Quia Petrus de se asseruit, quod ignorabat: Christus verò affirmavit quod de eo noverat. *Hoc illi Christus pronuntiabat, quod in se ipse ignorabat,* inquit Augustinus. Quoniam verò diei illius Judex plus novit de nobis, quā nos ipsi: Quid mirum quod ipse nos condemnet ob incognita nobis, & quod in iudicio ipsius reputetur culpa, quod in nostro videtur innocentia.

Secunda ratio, & ex parte nostra, est, quia quemadmodum Deus tantum scit de nobis, nos similiter tam modicum novimus de nobis; hinc rationes nostræ, rationes ipsius assequi non possunt. Die quadam Christus Jerusalem triumphans ingressurus, è Bethania veniens eidem urbi appropin-

quans *esuriit*; vidensque eminens ficulneam virentem & toliis gravem, ad eam gressus direxit, si forte fructum inveniret in ea: *Siquid* *Ibid. v. 13.* *forte inveniret in ea:* sed quia non nisi folia invenit, maledixit illi, ne in æternum fructum deinceps proferret: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum:* *Math. 21 v. 19.* *co-* demque mox momento à foliis usque ad radices arbor exaruit. Quo in casu singulariter venit advertendum, prout S. Marcus advertit, quod non erat ficorum tempus: *Non enim erat tempus ficorum.* *Marc. II v. 13.* Si igitur non erat tempus, quo fructum haberet arbor, quare Christum maledicendo, non pro illo tantum anno, sed in sempiternum exarescere fecit? Quid magis, natura que conformius excusare poterat fructuum carentiam, quā non esse fructus proferendi tempus? de arbore, cui comparatur justus, asserit David, quod dabit fructum suum in tempore suo: *Et fructum suum dabit in tempore suo.* *Psal. v. 3.* Si igitur in optimis arboribus laudandum quod fructum suum dent in tempore suo, quo pacto reprehensibile fuit in hac arbore, inventum non fuisse in ea fructum, quando tempus non erat? Idem S. Marcus Evangelista sententiam hanc Christi responsum fuisse inquit arbori datum: *Et respon-*

Marc. II
v. 14.

spondens dixit ei; *Iam non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet.* Si Christi sententia fuit arbori data responsio, argumento est quod ipsam primo audierit, & illa suam allegaverit justitiam. Considerent hinc iudices, seu condemnatores, quod nec truncum quidem, irrationalem & insensitivum nisi prius auditum Deus condemnet. Quid verò allegavit arbor? eundem utique Evangelistæ textum, quasi tacitè dicens christo: Ego quidem gravidam me maturis lapidisque fructibus optarem, quos Conditori meo præsentarem; causa verò impedimentumque naturale, quod illis destituar, est quod tempus illorum nondum advēnit: *Non erat tempus sicorum.* Et non obstante hac, specie tenus, adeò justa replica, Christus illam condemnârit æternùm, *in sempiternum!* Ita factum est. Sed quo fundamento, quave justitia? Inter doctissimos quosque excellentissimique ingenii Scripturæ sacræ Expositores hucusque non fuit inventus, qui respondendo dubio huic plenè satisfaceret. Porrò quare non inveniatur hujus ratio, est, quia rationes hominum, Dei rationes non assequuntur: & ubi culpam reterege judicium nescit humanum, ibi reperire eam valet divinum. Quare homo non

comprehendit Deum? Quia Deus incomprehensibilis existit. Proinde judicia humana non comprehendunt divina, quia hæc sunt incomprehensibilia: *Quam incomprehensibilia judicia ejus!*

Ex duobus hisce tam luculentis principiis, altero scientiæ Dei quoad nos; altero ignorantia nostræ quoad Deum, omnis cessat admiratio, quod Deus judicaturus sit etiam illud, quod pro nihilo reputamus, eodemque in nihilo reperturus sit, quod arguat, & ad reddendam de eo rationem in judicium adducat. Unus tantum superest scrupulus quiescere non sicens, scilicet, contra justitiam, quâ Deus ob ignorata nos puniet. Certum est Deum de nobis scire quod nos later; sed eadem hæc ignorantia nostra, non solum nos excusare, sed & securos nos reddere videtur, pro peccato non fore imputandum, quod scientiam, seu cognitionem nostram quâ tale effugit. Sine voluntate non datur culpa, sine cognitione non est voluntas. Quoniam igitur pacto, peccatum esse potest, & peccati subire pœnam, quod ignoro? optime & breviter Theologiam hanc nostri proverbii Author notavit: *Qui ignoranter peccat, ignoranter ad infernum pergit.* Una tantùm ignorantia, scilicet invincibilis

Rom. II.
v. 33.

bilis à peccato excusat : sed hæc rarò invenitur. Alii non solum peccant peccato , sed & ignorantia , qua illud non cognoscunt. Enim verò , nunquid gravissimè peccarunt Judæi in morte Christi? & nihilominus S. Petrus ipsos eorumque principes ignorantes hoc fecisse affirmat : *Scio quia per ignorantiam fecistis , sicut & principes vestri.* Et ipse Christus dicens : *Pater , ignosce illis , non enim sciunt quid faciunt* , allegando pro eis ignorantiam , eis petiit veniam. Si ignorantia eos liberasset à culpa , non indigerent venia : Christus verò eis petiit veniam , eorundem protestatus ignorantiam ; tantum enim abfuit ut à peccato eximerentur per ignorantiam , qua illud perpetrarunt , ut ipsa potius ignorantia peccatum illorum peccato accumularet. Peccatum unum , quia è medio sustulerunt non agnitum ; & alterum , quia ipsum non cognoverunt , tanta obligatione constricti , quanta ad cognoscendum eum evidentià convicti.

Idem istud hodie videtur in illis , qui Christum adorant & agnoscunt ; & non ex raro contingenti , sed communiter ; neque in vita solum , sed etiam in morte. Quot & quanta , quamq; enormia videmus peccata , nec in vita emendata , nec in morte confessa ,

non Deo tantum sed toti propatula Mundo , & committentibus ipsis solum incognita ! non cognoscunt illa , quia vivendi laxitas , & dissolutio conscientie obcurtatem , animeque cœcitatè inducit : non agnoscunt , quia amor proprius semper excusat , & extenuat quod damnationi nos addicit. Non cognoscunt ea , quia Mundi hujus prospera , lucra & commoda , alterius oblivionem secum trahunt. Non illa cognoscunt , quia ea discutere , nec , quem deberent , desuper consulere volunt. Denique ea non cognoscunt , quia ignorantia affectata ea novisse nolunt , ut emendent : *Noluit intelligere , ut bene ageret.* *Psal. 35. v. 4.* Ecce nunc , utrum Deus in die iudicii ignorata peccata justè puniet , dum , quà commissa , unam , & quà ignorata , alteram majorem merentur pœnam ? Et quamvis ad illam usque diem incognita , tenebrisque malitiosæ hujus & ignorantis hujus ignorantie fuerint sepulta , tunc resuscitata prodibunt in lucem : ipse quippe universalis Judex , teste S. Paulo , presentie sue splendore omnium hominum conscientias revelabit , & unicuique quicquid in eis latuerat deteget , & manifestum oculis singulorum apponet : *Quoadusque veniat Dominus , qui & illuminabit*

Act. 3. v. 17. Luc. 23. v. 34.

1. Cor. 4.
v. 5.

bit abscondita tenebrarum. Hac mediante luce, eadem conscientia agnita veritate obstupescunt super illo Multo, quod sub quasi Nihilò prodire cernent, quod non viderant, aut videre noluerant. Nullius omnium conscientia reprehendet, aut opponere quicquam audebit sententia, quamvis damnationis fuerit æternæ, sed omnes convictæ dicent: *justus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Pf. 118.
v. 137.

§. VIII.

Quantam nobis Deus exhiberet gratiam, si, dum hodie eandem judicii diem ob oculos ponimus, supremus ille judex vel unicuique nobis lucis illius communicaret radium, ut modò videremus quod tunc videbimus, & cum peccatis agnitis nos prius sisteremus ante Tribunal suæ misericordiæ, quàm postmodum ante tribunal suæ justitiæ: sed benedicta sit ejusdem Domini bonitas, qui non unum tantum, in doctrina sua lucis istius communicavit radium, sed omninò tres, nisi oculos nostros illis clauferimus. Cum materia omnium, quæ transierunt pro vita, & non transibant pro ratione, capacitati humanæ tam sit impenfa, sola Sapientia divina eam comprehendere valebit: proinde Christus Dominus hoc modo

Pars V.

ad tres eam parabolas reducendo divisit, quibus summam nos docuit quam à nobis, & de quo rationem exacturus sit. Parabola prima est de officiis; secunda de talentis: tertia de debitis. Eundem hunc modum pro distinctione & charitate majore sequemur.

Et quidem quoad officia, prima parabola (quæ est de Villico;) divitem fuisse dicit hominem, qui administrandis bonis suis famulorum quempiam profecerat: quem cum malè administrare intelligeret, vocatum ad se rationem reddere compulsi dicens: *Redde rationem villicationis tuæ. jam enim non poteris villicare.* q. d. redde rationem administrationis tuæ; ab hac enim hora ea privaberis. Circumstantia hæc, rationem fore ultimam, & non emendari posse, ex potissimis diei judicii rigoribus unus est. Agedum ut Parabolæ sensum enucleemus. Homo dives, est Deus: bona ipsius & hæreditates Ecclesiæ sunt & Provinciæ: Dispositio in Spiritualibus summus est Pontifex: in temporalibus, Rex, & supremis hisce duobus omnes alii subordinati, tū ecclesiastici, tū sæculares Ministri, qui partitò inferiorè super subditos eosdè habet jurisdictionem. Ab his igitur omnibus deus strictà exiget rationem, nò solū

Luc. x6.
v. 2.

D

quoad

quoad personas, sed etiam, immò multò magis, quantum ad officia. Quantum ad personam, cuilibet pro se ratio reddenda incumbit; quantum ad officia, rationem reddere oportet pro omnibus, gubernationi suæ commissis & subditis. Ita ut Papæ, de tota Christianitate; Regi de tota Monarchia; Episcopo de tota Diœcesi; Gubernatori de tota Provincia; Parocho de tota parochia, Magistratui de tota Civitate, Patri-seu Matri familias de tota domo ratio sit reddenda. O si homines scirent pondus, quod sibi, seu ecclesiastica, seu sæcularia tam anxie, tantisque negotiationibus prætendendo & procurando officia impo-nunt, certius nihil quàm quod longissimè ab eis fugerent! Verum, non illa propter onus, sed propter dignitatem, potestatem, respectum, auctoritatem & estimationem, & hodie dùm & plurimùm, propter lucrum commodumque procurant. Veruntamen in die iudicii rationem postulati iuxta pondus, videbunt quonam eos deducet statera.

Enim verò si tam difficile est rationem reddere bonam de anima propria, quæ una est, quàm difficile, immò impossibile erit, de tot millenis rationem reddere bonam? sicut fidei nos non habere

certò constat, neque scimus ad quid nos obligat. Nonne videtis, quot animæ in hac sint Civitate, quot animæ in hac Provincia; quot deniq; animæ in toto Regno? Scitote igitur, si fortè ignoratis vel minus advertitis, de omnibus ista rationem reddituros illos, qui Civitatem, Provinciam, Regnumve gubernant. Quemadmodum enim in omnes singulosque eorum regimen potestatemq; obtinent: Ita procurare tenentur, ut omnes & singuli non humanas solum, sed diurnas etiam leges observent. Quod non mea est exaggeratio, sed doctrina solida & de fide ore S. Pauli pronunciata: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* q. d. Obedite Superioribus vestris valde subiecti, ipsi enim ex zelo vitæ vestræ invigilare tenentur tanquam Deo de animabus vestris rationem reddituri. Ecce quantum major obligatio sit Superiorum, quàm subditorum. Quotquot sunt subditi Superiori subiecti, totidem sunt animæ pro quibus Superior rationem Deo reddere obligatur. Unde quanquam Oraculum istud sufficeret, quo minus hominum quispiam fide præditus hanc in se obligationem reciperet: Audite modò, quod audistis.

nun-

nunquam. Omnes Christi sententia non exant literis exarata: aliqua Discipulorum ipsius traditionibus manserunt impressa, quas inter tam notabilis, quam terribilis legitur ista: *Omne peccatum, quod remissus & indisciplinatus admiserit frater, ad negligentem protinus revertitur Superiorem.* Ita ut juxta hanc sententiam, ipsiusque Christi revelationem omnia homicidia, omnia adulteria, omnia furta, omnia sacrilegia, reliquaque omnia peccata à subditis vivente & regnante aliquo Rege fuerint commissa: & ab ovis & subditis in vita & regimine Superioris alicujus & Prælati patrata in libris Dei, sub nomine tituloque Regis talis, Prælati talis, & Superioris scribantur, ut ab eo in die judicii ratio exigatur.

Agedum, jam Regem istum, postmodum istum quoque Prælatum & Superiorem ante divinum statuamus Tribunal, ut palam fiat, quidnam ad onera ista respondeant. Rex subditorum caput existit, & cuius, nisi capiti de membris rationem reddere competit? Rex anima est Regni: & quis rationem reddet de corpore, nisi anima? Deus ergo à Rege quolibet, non suorum & personæ solummodo, sed officii quoque exiget rationem; Et quid jam non

Rex, sed reus respondebit? Dicere posse videtur: Ego quidem, Domine, obligatum me novi ad impedienda pro viribus subditorum meorum peccata: Verum Regia mea erat ampla, Regnum meum dilatatum, Monarchia mea per Africam, Asiam, & Americam extensa; porro quia impossibile erat in tot tãq; distitis morari regionibus & locis, in Aula providerã de Tribunalibus, Præsidentibus, & Cõsiliariis; Regno de ministris justitiæ. Conquisitionibus de Vice-Regibus & Gubernatoribus, de justa numerisq; omnibus absoluta regendi methodo optime instructis. hoc totum feci, nec ultra quod facerem habui. Hisce suum annumerare poterit Palatium, & eos quibus familiaris & in secretionibus est usus. Sed in omnes replicabitur. Quos elegisti (inquiet Deus) quare elegisti? Nonne hi ex affectu, illi per intercessionem, alii adulatione mediante, alii denique ex mala & partiali & passionata informatione? Et qui majoris meriti fuerit exclusi, quare eos exclusisti? sed posito omnes ordinatè, & legitimè fuisse electos: postquam in officiorum administratione ex justis dictamine, ritè non procedere cognovisti, quare statim eos non amovisti, quare dissimulasti, quare tolerasti &

*Refertur
ab Amberto
Phalefo
inter
Collecta
ab Affligens
Abbate
in monasticis
disquisitionibus.*

coſervasti; imò , quod pejus est , novis honoribus , autoritate , dignitatibus & officiis decorasti ? Si Provinciæ unius everforem & destructorem destructionem eandem continuare permifisti , & ad gubernaculum majus promovisti , quo pacto , quæſo , injustitiarum ipsius & scelerum , quæ , loco ejus ut emendaret , suis ipsius culpis earumque exemplo auxit , complex non fuisti ? si Tyrannis ipſius tibi innotuit , quomodo per te mansit impunita , & læſorum damna non refarcita ? Quot orphanorum lachrymæ , quod viduarum gemitus , quot pauperum clamores , te regente ad cælum pertingebant , quando ad complenda superflua vana , donationesque inofficioſas , Miniſtri tui (idcirco remunerati & laudati) impietate plus quam inhumana non illos ſpoliabant , ſed æquebant , & nudabant? Iſtud obmureſcenti , nec , quod respondeat , habenti miſero Regi Deus poterit replicare. Et qualem referet ſententiam ? Hæc in judicii die audietur. Extra controverſiam est , quod David Rex ſanctus , antequam peccator , & poſt peccatum , pœnitentiæ ſpeculum , ab occultis & alienis tantum peccatis petierit abſolvi : *ab occultis meis munda me , & ab alienis parce ſervo tuo.* Peccata occulta in die il-

*Pſal. 18
v. 13.*

la erunt manifeſta : & de alienis , eò quod Rex fuerit , nõ minùs ſtricta , quã de propriis ratio exigetur.

Prodeat nũc Præſatus & Superior ad reddendam rationem & audiendum in ſtatua proceſſum , qui poſt reſurrexerit illi formabitur in carne. O quàm triſte erit ſpectaculum mitra privatam , pontificalibusque ornamentis exutum ante Jeſu Chriſti Majeſtatem comparere illum , quem Chriſtus ipſe & nomine & autoritate Vicarii ſui inſignivit , cujuſque perſonam humano-divinam in hac vita repræſentavit! *O Paſtor Zach. ix. & Idolam!* dicit illi Chriſtus, Tu, *v. 17.* qui Paſtor ſolo fuiſti nomine , & velut Idolam ſola contentus immeritã adoratione externa , redde rationem. Non à te poſco rationem de culpis occultis , ſed de publicis & ſcandalofis malè cuſtoditarum & neglectarum ovium tuarum peccatis & miſeriis. Miſeræ fuerunt in temporalibus , nec curæ tibi fuit , earum providere neceſſitatibus; laborarunt in Spiritualibus , neque ſolicitus fuiſti , quo pacto illas à peccatis ſanares , aut præſervares. Porrò ſi tã anxie collecti , tamque avarè cuſtoditi redditus , meum erãt , ſanguine meo acquiſitum patrimonium; quare illud inter creditores meos , id eſt , pauperes non diſperſiſti? quare illud eur-

ribus

ribus, exquisitoribus equis impendisti, illis fame extinctis: Tu parietes tuos auro, argento & serico vestiisti, illis nudis, & præ frigore tremulis incedentibus? Si ministri tui zelosè invigilantes vitæ & conversationi minorum, id egerunt sollicitè, quo eos in commodum suum damnarent potius, quàm eorum conscientias emendarent: Grandium & Magnatùm tam scandalosè & superbè vidente Mundo viventium monstruosa peccata quare semper impunita dissimulasti, tanquam Ecclesiæ meæ legibus Superiores essent?

Equidem confiteor, Domine, respondebit Prælati & Superior, in utroque me partibus meis defuisse: sed non sine causa. Quod enim familiæ meæ & personæ impendi, ut hominum & plebis satisfacerem oculis, factum est, qui exteriora tantum attendunt, utq; simul auctoritatem officio, & dignitati venerationem conservarem. Porro si quid contra Grandium Magnatumq; delicta nihil attentare fui ausus, id factum est, quia potestas ipsorum videtur insuperabilis, tutiusq; putavi cum eis in arenam non descendere, quàm cum injuria, ipsarumque Ecclesiæ legum præjudicio in sine pugnæ succumbere. Denique, Domine in

utraque omissione universale secutus sum exemplum, & quo, hoc in officio potioribus armis, amplioreq; quam mea est, jurisdictione instructi utentes faciunt idem. O rudis! o incurie! replicabit christus; stupide adeò & laxè, ac si Scripturas, aut canones, ejusdem Ecclesiæ nec exempla legisses! Num fortassis Petrus & Paulus, aliiq; imitatores mei Apostoli, seu vestigiis ipsorum veraciter in hærentes, hisce mediis personæ suæ, aut officio auctoritatem inter ipsos adeò usque gentiles conciliant? An ignoras, quod idem ipse populus, cujus te oculis excusas, si omnia donando pauperibus, te sine comitatu frequenti, solū te & peditē in plateis, & quidē nudipede incedere vidisset, flexis te genibus adorasset? Quoad negligentiam verò, quod cōtra Grâdes & Magnates, etiâ Petri gladio accinctus, nihil attentare fueris ausus; cōtra quē ausus nō fuit David, pastorū meorū Exemplar? Inter feras congregiebatur cū leonibus, inter homines, cū Gigantibus. Quæ nā quæso efferata magis fera, quàm Eudoxia? Et tamen vide quomodo illā nullatenus extimuerit Chrysost. Quis leo corona insignior, quàm Theodos. Imperator? & ecce quomodo eum peditibus suis prostraverit Ambr. Deniq; si nō illorum æmulatus magna-

nimitatem, sed aliorum, uti vocas, secutus consuetudinem, nunc experieris in te, & in illis videbis, quod si illi consueverint facere sic, ego quoque similiter sic facientes mittere consueverim in infernum. Ad rationem officiorum quod attinet illud (sufficiat, sumantque exemplum à ratione Regis Ministri sæculares, ecclesiastici verò à ratione Prælati & Superioris.

§. IX.

Quantum ad rationem Talentorum, illam nobis parabola servorum insinuat, quibus Rex diversa distribuit talenta, quibus negotiarentur usque dum ab itinere rediret: *Negotiamini dum venio.* Rex est Christus, iter fuit ascensio in cælum, reditus erit in die iudicii, in quo rationem exiget à singulis, quomodo traditis sibi talentis negotiati, quidque iisdem fuerint lucrati visurus: *Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Talenta sunt mediata universalia, quam particularia, quibus Providentia divina hominibus assistit, & cuique ad salutem perfectionemque ascendendam succurrit: Porò profectus & lucra augmenta sunt virtutum, meritum & gratiæ, quæ exercitio & industria quâ media illa ap-

plicant diligentiores obtinent. Quam verò exacta postmodum & rigida malè usi futura sit ratio ex eadem parabola patet. Servi quibus Rex talenta credidit, numero fuere tres: Primo dedit quinque; qui lucratus est alia quinque; Secundo tradidit duo, qui lucratus est alia duo, & ambo fuere laudati: Tertio unicum tantum tradidit talentum, quod ille terræ infodit. Quod quamvis positâ ratione obtulit, integrumque & illibatum restituit, eo quod illo neque negotiatus, neque lucratus fuisset, Dominus non solum talento privatum è domo sua eiecit, sed in super servum malum & nequam appellavit: *serve nequam:* quâ sententia fuit condemnatus. Enim verò si quis rationem postulatus creditum sibi à Deo talentum redhibet integrum & inviolatum sine fraude & dolo, condemnatur; Quid fiet illis, qui illud dissipant & perdunt, & quandoque id ipsum contra se, & quod gravius est, contra ipsum Deum convertunt.

Pro gravissima & periculosissima materie hujus intelligentia supponendum est, quod minus putatur; & est talentorum nomine non solum venire censenda dotes naturæ, bona fortunæ, & specialia Gratia dona; sed etiam his contraria, & omnium horum

priva-

Luc. 19.
v. 13.

Matth.
25. v. 19.

Luc. 19.
v. 22.

privaciones. Non tantum dos est naturæ formositas, sed etiam deformitas: non tantum grande robur, sed etiam debilitas: non tantum ingenii acumen & subtilitas, sed etiam ruditas & stupiditas: non tantum visus perspicacitas, sed etiam oculorum cæcitas: non tantum sanitas, sed etiam infirmitas: non tantum vita longa, sed etiam brevis in bonis ut vocant, fortunæ par est ratio. Non tantum illustris prosapia & nativitas, sed & conditionis abjectio & vilitas: non sublimes solum dignitates, sed & loca humilia: non opulencia tantum, sed & paupertas: non quies tantum, sed & labores: non prosperi solum rerum successus sed etiam inversi: Non solum regere & imperare, sed & subesse & parere: neque victoriæ solum & triumphi, sed & victum subiacere. In Gratiis denique seu Gratiæ donis, non solum est Gratia donum linguarum, sed & nescire loqui, & mutum esse: non solum literæ & scientia, sed etiam ruditas & inscitia: non solum est donum consilii, sed etiam suffragium non habere, aut dare non posse: non solum ostentationis donum, miraculorumque beatus, sed etiam in nulla re esse miraculosum sed incognitum plane & despectum.

Veritatis hujus intrinsecæ, ve-

réque divinæ Providentiæ ratio est: quia hæc omnia quamvis sibi contraria, media esse queunt, quæ æqualiter nos ad salutem deducant, & ad veritatem promoveant; præsertim cum à Deo sint distributa & dispensata, & cujusque genio & indoli attemperata. Unde & textus talenta distributa asserit, *unicuique secundum propriam virtutem*. Ita ut Rachel tantumdem lucrari & proficere potuerit sua venustate, quam Lia sua lipitudine: tantum Achitophel iudicii sui sagacitate, quantum Nabal sua stupiditate: tantum noæ gentis suis annis Mathusalem, quantum adolescens de Naim suis annis viginti: tantum Cræsus thesauris suis & opulencia, quantum Irus paupertate sua & inopia: tantum Julius Cæsar sua prosperitate & fortuna, quantum Pompejus infelicitate sua, & quam incurrit offensam Alexander Magnus suis victoriis, quantum Darius & Porus acceptis ab eo cladibus: tantum Aaron linguæ suæ facundia, quantum Moyses linguæ suæ impedimento & tarditate: tantum subtilissimus Scotus scientiâ suâ & doctrinâ, quantum frater Juniperus sua simplicitate: tantum S. Petrus suis miraculis, quantum S. Joannes Baptista, qui nunquam miracula patravit. Hinc sequitur quod

Math.
25. v. 15.

quod Deus eandem à Divite de divitiis, quàm à paupere de inopia exiget rationem: tantam à sano de sua sanitate, quantam ab infirmo de sua infirmitate: tantam à celebri & in dignitate constituto de sua existimatione, quantam ab humiliato & abjecto de sua humilitate & abjectione: tantam denique ab omnibus quibus aliqua contulit, quantam ab aliis quibus aliqua negavit: Si enim dives suo lucrari potest talento mediante elemosynâ, pauper similiter mediante sua lucrari potest patientiâ. Et sic de reliquis: immò verò nihil certius, quàm quod inter illa, quæ prospera vocantur seu adversa, ad merendum efficaciora existant, quæ naturam mortificant, quam quæ sensualitati blandiuntur: & pro salute tutiora sunt illa quæ gravant & premunt per humilitatem, quàm quæ elevant & evanescere faciunt per superbiam. Utraque media tractare, sibi que utilia reddere æqualiter noverunt

Ad Philip. 4. v. 12. S. Paulus dicens: *Scio abundare, & scio esurire*: & Jobus, qui in eadem fortunæ volubilitate, à prima, ad secundam aiebat: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Verum homines isti quadrati rari nascuntur in mundo. Alex non minus firmæ paucis, quam multis incubant punctis: &

æqualiter fortibus favent felicibus, quàm infortunatis.

Hoc pacto [quæ unica & saluberrima sit nota] hoc inquam pacto acceptare nos oportet velut de manu Dei, & contentos esse talento seu talentis, quæ juxta beneplacitum suum nobis dispertierit, sive quinque sint, sive duo, sive tantum unum: & si dari posset etiam nullum, magis foret tutum, Rege distribuente inter servos talenta nullum eorum, in partitione legimus minus fuisse contentum. Si aliis majora quàm vobis fuerint collata, ipsi de pluribus, quam vos rationem reddere cogentur ipsi Deo. Sed nos similes sumus illis, qui dispensant se, conducunt redditus Regum, qui ad recepta tantum attendentes in præsentem, negligunt id de quo rationem reddituri sunt in futuro. In hac parte, admirabili sanè fortunæ varietate & partitione Jacob, (sic loquendo) filiis suis vaticinatus in hora mortis benedixit. Diversorum nominibus animalium est usus, & Judam Leonem compellavit, *Caulus Leonis Iuda*: Dan Serpentem, *fiat Dan coluber in via*: Benjamin Lupum, *Benjamin Lupus rapax*: Nepthali Cervum, *Nepthali Cervus emissus*: Issachar Asinum seu jumentum, *Issachar Asinus fortis*. Omnia animalia suas habent inclinatione,

Gen. 49. v. 9.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 27.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 28.

nationes, instinctus & proprietates, & singula suas quasi virtutes & vitia à natura sibi insita: Leo magnanimus, serpens astutus, lupus vorax, cervus velox, asinus seu jumentum oneribus assuetum. Proinde hisce sub metaphoris Jacob singulis filiis, sua talenta, utrumque eorum & adiones, nec non vitam, descendentiumque eventus significabat. Porrò cum illi ipsi fratres tam ægrè tulerint, quod pater uni eorum tunicam fecisset polymitam, & proprio illam tingere voluerint sanguine: quo pacto nunc nullus eorum conqueritur, quod pater tam diversis eos pellibus vestiat & pilis, tam differentia imponat nomina, nec non tam diversimoda nobilitate discernat, qualis est inter lupum & cervum, inter serpentem & leonem, inter leonem & asinum? Quia in tunica operabatur Jacob velut pater nomine suo: in differentia & talentorum divisione, loquebatur velut Propheta nomine Dei: sicut distributio erat à Deo facta, & talenta ab ipso distributa; quamvis discrepant æstimatione & fama, quantum differt Imperium à servitute, Leo ab Asino, demisso singulis capite sua fuere forte contenti, illi sese conformantes; nec fuit qui aut quærelæ os aperiret; aut oculorum motu dif-

plicentiam demonstraret. Quid, quæso, ad hocce dicent, qui toties religionem, & ipsam deseruerunt fidem, humilitatis patientiæque defectu sibi anteponi non ferentes, quos talento non poterant adæquare?

Omne talentum perditionis periculo est expositum, vel ut præsumptione humana, quis de bonam non reddat rationem. Majora per superbiam; minora per invidiam; minima per desperationem & pusillanimitatem. De ultimorum horum genere fuit ille, qui talentum fodit in terram, cum melior celebriorque evadere potuisset omnibus, si terræ non infodisset. Theologorum quibusdam in quæstionem & dubium vocare placuit, quis fervorom se magis industrium probasset, utrum ille qui duobus talentis lucratus est alia duo, an qui quinque talentis alia quinque lucratus est: quæ cum inter illos non decideretur, ad Academiam quandam mercatoriam devoluta est, qui uniformiter resolverunt omnes, magis industrium fuisse illum, qui duobus alia duo fuerat lucratus, quam illum, qui quinque lucratus fuerat alia quinque; difficius quippe est modico lucrari modicum, quam multo multum. Huic maximæ primæ in negotiatoribus, experientia u-

fuque probare addiderunt, quod qui unum tantum habuit talentum, si lucratus fuisset alterum, comparatione ad invicem facta; & illum qui duo, & qui quinque talenta habuerat, industriâ longè superâisset. Magna sanè & vera consolatio, si acceptare illam vellet mediocritas. Sed cheu, quisnam curare poterit cæcitatem, & pacare invidiam excedi & superari sese videntium! Saul auditis aggratulationibus & applausibus Davidi factis, tot vicibus modis que cum è medio tollere tentavit, hinc coronam perdidit. Celebris ille artifex Dædalus, in turri quadam captivus adinvenit sibi que formavit alas, quibus ex ea volando aufugeret, videns perdicem discipulum suum & fororis filium invenisse circinum, & imitando spinam ferram, ne se talento superaret timens, ipsum prius ex eadem turre in imum præcipitavit.

Verùm enim verò majoribus adhuc periculis exposita sunt talenta omnibus supereminentia. Quid futurum fuisse putamus Saulo, nisi Christus ipse è cælo descendens ad refranandam audaciam ipsum & superbiam; ex equo ipsum in terram prostravisset? Quid factum fuisset de Augustino, de quo in scholis reci-

tabatur catholicis: *A Logica Augustini libera nos Domine*: Nisi lacrymis S. Monicæ matris [velut lilium, quod à lacrymis generatur alterius] emollitus fuisset regeneratus? evenisset illis, quod profundissimo Tertulliani, & immenso Origenis ingenio, qui velut avi sui oracula venerati, primique Ecclesiæ Magistri, & illud & se perdidit. Sed quid mirum cadere & frangi lutum, si intellectus ingeniumque omnium, quæ creavit Deus, maximum Luciferi, solo ipsius Dei intellectu inferius, potius elegerit cadere à cælo, quam alium ibidem, imò ipsum Deum sibi videre prælatum! æqualem ipsi rationem habent talenta minora, & propterea solum rationem poterunt reddere bonam.

§. X.

Debitorum tantum ratio postrema, maxima omniumque difficillima nobis pertractanda restat. Hæc in alterius Regis parabola continetur, qui contra morem multorum, cum Domus suæ famulis rationem inire voluit: *Qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Quid hinc sequatur, in principio rationem elare innotescit, quod nimirum sic dictus Rex omnium mundi Monarcha-

Matth.
18. v. 23.

cha-

charum potentissimus & ditissimus esset; primus quippe servus convictus fuit, ærario Regio debere centum viginti Millionses auri. Eam enim summam attingit, quod textus vocat, *decem millia talenta*: Christo enim linguâ Hebraicâ cum Hebræis loquente, computus similiter & summa debiti non de talentis Græcis & Hebraicis debet intelligi. Quomodo verò possibile est, servum Regi suo centum & viginti Millionses debuisse? Respondeo, quando parabola decies millenis vicibus totidē alios dixisset, multò adhuc minùs diceret, quam significare vellet. Quoniam Rex iste est Deus, debitum verò istud conficiunt beneficia homini collata: porro quia minimum beneficium divinum ex se, & intuitu Authoris infiniti est valoris, in tota Arithmetica non datur numerus, neque pretium in omnibus creaturis, cui comparari, nedum æquiparari possit.

S. Augustinus ad luculentius & evidentius rationem hanc demonstrandam, ipsum introducit Christum personaliter à nobis debita nostra exigentem, quem admodum in iudicii die facturus est: *Quid est quod debui ultra facere vinea mea, & non feci? q. d. Quid est quod tibi facere deberem*

ô homo, vel pro te facere debuifsem quod non feci? Nihil tibi debebam, & tanquam debitor, quicquid habeo, sum, & possum tibi impendi. Creavi te, quando non eras ex abyssu nihili, & non esse te educendo ad esse: corpus tibi dedi manibus meis formatum & perfectissimum: animam tibi contuli ex visceribus meis extractam, & ad imaginem & similitudinem meam factam: utrumque excellentissimis potentiis, sensibus ornavi & instruxi, ut iis tanquam instrumentis ex amore mihi servires: & tu ingratus, quid fecisti: de curis, cogitationibus, intellectusque tui machinis rationem redde: de memoriæ tuæ officio in recordando, & obliviscendo: de voluntatis tuæ desideriis & affectibus, redde rationem de omnibus pedum tuorum gressibus, manuum tuarum operibus, oculorum tuorum visionibus, aurium tuarum auditibus, omnium linguæ verbis, & reliquis omnibus, quorum tibi conscius es, & dici fas non est. Postquam creatus es, quid te factum fuisset, nisi ego eadem te potentia & providentia conservassem? Mox perditio esse, a nihilo, unde existi, redactus fuisses. Ad conservationem tui non necessaria tantum, sed superabundantia suppeditavi, tam-

tamque creaturarum in cœlo & in terra immensitatem tibi subjeci, tuoque obsequio deputavi. Associaui tibi Angelum, qui noctu diuque vigilantem seu dormientem individuus custodiret, sicut semper assistens custodivit. Nunc occulta & secreta, à quibus illius beneficio liber fuisti tibi reuelo: Tu verò publicorum & manifestorum, quæ expertus es & vidisti recordare. Quot in aliis longè minoribus perierunt? Quot minores te ætate morte inausulta & subitanea, sine penitentia & emendationis tempore aut loco obierunt, quam tibi semper indulsi? rationem igitur redde de vita, salute, annis, diebus, horis, cum paucæ valde, numeratæque sint faciles illæ, quas non ad offensam meam impendisti.

Usque huc exteriora tibi recensui debita potestatis: jam nunc ad interna & personalia respondebis amoris, & quicquid pro te aut feci, aut sustinui. Postquam ad imaginem similitudinemque te condidi, pro te factus homo, imaginem similitudinem tuam assumpsi: pro te natus, in præsepium reclinatus fui: pro te exulavi in Ægypto: pro te opifici triginta tribus annis subditus, laborem ipsius manibus meis promovens, vultusque ipsius sudori sudorem meum

consociavi. Pro te, & propter te Regni cœlestis Evangelium prædicatum exiui in Mundum: pro te, & propter te totam Judæam & Galilæam pedes, & non infrequenter nudipes perambulavi: sitim, famem, paupertatem, nec locum habens ubi requiescerem seu caput reclinarem, fui perperus: pro te, & propter te pro beneficiis ingrati tudines, pro amore odium, pro operibus bonis persecutiones recepi: pro te sanguinem sudavi; pro te captus, iniuriis contumeliasque affectus, pro te colaphis cæsus, flagellatus, spinis coronatus: pro te denique inter latrones crucifixus, in quatuor fontes sanguineos transfossus, angustis, agonisique mortalibus tortus & afflictus, & meum mortui cor lancea transfixum & confossum. Pro omnibus istis veniam tibi Deo petii, nec aliam à te mercedem retuli, quam quod iteratò me crucifigere non omiseris, quoties graviter peccasti, quemadmodum per meum declaravi Apostolum: *Rursum crucifigentes Filium Dei.* Si effusa à me sanguinis guttæ numerum haberent, nec de una quidem bonam mihi redde-re posset rationem, quamvis mille pro me mortes subire: sed millies millenis & ultra vicibus, sanguinem meum con-

Hebr. 6.
v. 6.

enſcãſti, infinitum ejuſdem pre-
nium & meritum, appetitu-
um tuorum Idolis ſacrificando.

Certò adhuc modò aggravatur
debitum, de quo nunc rationem à
te petam, quod eſt vocationis. Re-
ſervavi te ne prodires in lucem hu-
juſ mundi, niſi tempore legis Gra-
tiæ: Vocavi te ad fidem, antequam
de ea poſſes audire: amor meus
rationis tuæ uſum prævenit, teque
mediante baptiſmo, in amicitiam
meam recepi: lacte doctrinaque
Eccleſiæ ad cognitionem meam
te contrivi, & adduxi, beneficium
ſanè quod juſtiſſimis meis judiciis,
quod quatuor ſeu quinque mil-
lium annorum ſpatio tot non con-
tuli, & quo adhuc diebus tuis ca-
ruerunt multi. Judicium tibi de-
fuit & prudentia ad confideran-
dum, quod ſicut juſtitia mea ra-
tiones habeat ad damnandum ig-
norantiã mei laborantem Genti-
lem, eaſdem miſericordia mea ha-
beat ad ignoſcendum. Chriſtiano,
toties tamque enormiter me of-
fendenti. Perditã primæ vocatio-
nis gratiã lapſus corruiſti: & ego
te revocavi, manumque ad reſur-
gendum porrexi: erectus recidi-
vãſti, toties, & ego licet toties ite-
ratis vicibus offenſus, continuam-
que propoſitorum tuorum inſtabi-
litate, & promiſſorum fallaciam
expertus, auxiliatricem offerre

manum, brachiũque extenſis te
ſemper recipere non ceſſavi: do-
nec tandem infidelis, rebellis, &
obſtinatus, aures tuas vocibus meis
totaliter obturando, in profun-
dum impœnitentiæ finalis lethar-
gum te præcipitãſti. Redde nunc
rationem de tot internis meis in-
ſpirationibus, de tot Confefſorum
& amicorum conſiliis, de tot præ-
dicatorum vocibus & minis, quas
vel invitus, vel non niſi ex curioſi-
tate auſcultabas: quam & ego ſi-
militer à te exigere poſſem, te non
vocando efficaciter in hora mor-
tis, quia illud non meruiſti in vita.

Septem Gratiæ fontes reliqui in
Eccleſiã mea (quod eſt juſtifica-
tionis) quibus animæ à ſuis lava-
rentur peccatis, & irrigarentur
ad proficiendum in virtutibus. In
quibus tam facile tibi pro culpis &
peccatis exhibui remedia, ut il-
la tantùm contenti veniam pro-
miſerim, quam tu Sacramenti il-
lius facilitatem, ac ſi rigidum fo-
ret, fugiens recipere detrecaſti,
ipſa potiùs peccata amans, quam
indulgentiam æſtimans. In alte-
ro manducandam tibi præbui
meam carnem, & bibendum
meum ſanguinem, & inſu-
per infinitos totius Divinitatis
meæ theſauros, in pignus Gloriæ
& Beatitudinis æternæ, qui unicus
& ſublimiſſimus ſuit finis, ad quem

te condidi. Despexisti finem, neglexisti media, & quia elegisti potius sine me semper agere in inferno, quam mecum esse in cælo; non mea, sed tua est sententia, quam cum cæteris maledictis & damnandis mox audies: *Ite maledicti in ignem æternum.*

§. XI.

Hic debitorum stitit Ratio, novissima pars & maxima, quæ tantum de reddendis rationibus pertractanda restabat. Et hic subsistent omnes, quotquot de illa ritè reddenda in illo die tam incurii vivunt. O Dies iræ! ô dies furoris! ô dies vindictæ! ô dies calamitatis! ô dies amaritudinis! ô dies miseriæ! ô dies stupendus! ô dies tremendus! ô dies incomprehensibiliter terribilis! sic illum cum exclamatione horribili Prophetæ compellant, propter strictissimam à nobis exigendam in illo rationem. Porrò cum omnia transeant pro vita, & nihil pro reddenda transeant ratione, qualis, quæso cæcitas & insania eorum est, qui omnes suas curas transituris consecrant, sine memoria non transituri! Nunquid in rationalem intellectum humanum major cadere potest insania, quam quod homo diu noctuque laboret, vigilet seque fatiget pro eo, quod cum vita tran-

sit, & in morte deserit, omnemque curam, laborem, sollicitudinemque dimittet de eo, quod solum secum feret, & de quo tantum ab eo ratio exigetur? Audiant stolidi illi & infani S. Augustinum. *Peccas propter pecuniam: hic dimittenda est? Peccas propter villam? hic dimittenda est. peccas propter mulierem? hic dimittenda est. Et quicquid est, propter quod peccas, hic dimittis, & ipsum peccatum quod committis tecum portas.* omnis materia peccatorum hic manebit, nam cum vita transit; & peccatum solum nos comitabitur, quia non transit pro reddenda ratione.

Ad demonstrandam veritatem habenti fidem, sufficere mihi videtur duorum punctorum horum evidentia, sed tantum à Deo obtinere, & ab Auditoribus meis efflagitare cuperem, ut veritatem hanc agnoscant & amplectantur in hoc mundo adhuc degentes, neque referent pro inferno. In Sapientia libro Spiritus sanctus colloquium quoddam in inferno inter constitutos ibidem describit, postquam vitam in omnibus, quæ cum vita transeunt consumpserant: & quod loquebantur huiusmodi erat: *Ergo erravimus à via veritatis, & Sol intelligentia non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia? Divitiarum jactantia*

Quid

*S. Aug.
hom. 42.*

*Sap. 5. v.
6.*

Ibid. 8. *quid contulit nobis ? Transferunt omnia illa tanquam umbra : tanquam nuncius percurrrens : & tanquam navis que pertransit fluctuantem aquam , cusus , cum praterierit , non est vestigium invenire : aut tanquam avis qua transvolat in aere verberans levem ventum , & nullum signum invenitur itineris illius : aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum , divisus aer in se reclusus est , ut ignoretur transitus illius. Ecce modò in inferno constituti benè agnoscences , comparationem non inveniunt , quâ sufficienter summam transeundi velocitatem , qua cuncta transeunt , declarare possint : & subdunt : Sic & nos nati continuò deservimus esse : & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

Ibid. 13.*Sap.* 5. v.
3.

Illud secum in lamentabili ista , sed veraciter seriùs detecta societate infelices damnati conferebant ; qui præ cruciatuum & dolorum vehementia oculos levantes in cœlum gloriosos ibidem & triumphantes videbant illos , quibus major in hoc mundo cura & sollicitudo fuit , de rationis rigore , quàm de vitæ laxitate : *Pœnitentiam agentes , & præ angustia Spiritus gementes. Qui gemitus jam non pro-*

derant , intra se , & secum dicebant at quid dicebant ? Hi sunt , quos aliquando habuimus in derisum , & similitudinem improperii. Id est. Hi sunt quos tanquam scrupulosa conscientia risui habuimus , ob pœnitentias & austeritates , quibus sua mortificabant corpora , quando nos de indulgendo tantùm & satisfaciendo appetitibus nostris & desiderii solliciti eramus ; & nunc prudentes illos , nos verò insipienter egisse videmus : illi enim finem præmiumque respicientes , quæ nos flocci fecimus , nunc communi cum Sanctis gloria perfruuntur , quemadmodum nos eadem cum damnatis tormenta & supplicia sustinemus : Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam , & finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei , & inter Sanctos fors illorum est. Concludensque Spiritus sanctus inquit : Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt. Agedum charissimi , quibus misericordia Dei tempus adhuc vitæque prærogat , attendite & benè expendite , utrum meliùs sit veritatem hanc in hoc mundo fructuosam sibi reddere , quàm pro inferno illam reservare : & utrum in die iudicii & rationis gaudere malinus nos prudentes fuisse

Ibid. 4.*Ibid.* 14.

imita-

imitatos, qui æternùm Dei visione fruuntur in cœlo; vel insensatos fuisse comitatos, qui per omnem æternitatem tormenta patientur in inferno.

S E R M O

PRO

Dominica secunda Adventûs.

Joannes in vinculis, Matth. II.

S. I.



Aliud fore iudicium, aliumq; mundum, præcedenti Dominica nos docuit Ecclesia Catholica fide: eundem (ni fallor) articulum eadem Ecclesia nobis hodie probat ratione. S. Matthæus cap. II. inquit: *Joannes in vinculis*. Joannes in vinculis? ergo restat aliud iudicium, aliisque mundus, probo consequentiam. Si est Deus, utique iustus est: Si est iustus: iustis tribuet præmium, malis irrogabit poenam; in mundi huius iudicio malos videmus instar Herodis exaltatos: bonos verò instar Joannis Baptistæ humiliatos, & oppressos, sequitur ergo aliud fore iudicium, aliudque mundum: aliud iudicium, in quo emenden-

tur hæc iniustitiæ: alius mundus, in quo boni suorum meritorum præmium, & mali suorum delictorum recipiant poenam. O altitudo & profunditas divinæ Providentiæ! propria nostra vitia fidei efficiunt testimonia. Ex principalioribus fidei nostræ fundamentis, est animarum immortalitas, quam nostra iniquitas optimè probat. Nisi homines essent impii, de immortalitate ipsorum dubitari posset; Deus verò in mundo tolerat iniustitias, ut innocentia coronam, & immortalitas habeat probationem. Ecquis de immortalitate alterius vitæ dubitabit, si in hac Baptistæ innocentiam in vinculis, & malitiam Herodis in throno exaltatam consideret? *Joannes in vinculis!* Sed sicut vincula Baptistæ

nam

istam doctrinam partem, quam in præcedenti sermone prædicavi, confirmant: pari planè pacto alteram ejusdem doctrinæ partem retractare me compellunt. Futurum prædicavi iudicium extremum, in quo Deus nos omnes iudicaturus foret, idem hic repeto. Dixi ulterius iudicium illud futurum rigidissimum & terribilissimum, quod nunc retracto, quod nunc revoco. Scitote Christiani aliud adhuc esse iudicium rigidius, strictius terribiliusque divino. Et quale hoc? Est hoc quod Joannem conjecit in vincula: iudicium inquam hominum, *Ioannes in vinculis*. Joannes Baptista in vinculis? ergo iudicium hominum magis timendum est, quam iudicium Dei. In iudicio Dei ad latronem usque aliquis salvatur: in iudicio hominum ad ipsum usque S. Joannem Baptistam omnes condemnantur. Est iudicium ex quo Joannis Baptistæ innocentia exit condemnata, istud est iudicium timendum, formidandum & tremendum. Hæc erit sermonis præsentis materia, quod iudicium hominum magis sit timendum quàm iudicium Dei.

§. II.

PROPOSITAM veritatem vel novitatem omnium optimè intellexit Regius Propheta David: *Ne intres in iudicium cum servo tuo* Do-

Pars V.

mine. Idem Psal. 42. ait: *Judica me Deus, & discerne causam meam*. Notabilis affectuum contrarietas. Si priùs citato Psalmo dicit, ne intres in iudicium, quomodo in posterius citato inquit, *Judica me Deus?* nunc: *judica me: & antea ne iudices me?* quænam ista est varietas? Ex eo, quod adjunxit, patebit differentia ejusque ratio. *Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eripe me*. Ecce differentiam. In primo casu David absolute considerabat iudicium Dei, & hinc petebat à Deo, ne secum in iudicium intraret: verè enim timendū est iudiciū Dei In secundo casu cōsiderabat David iudiciū Dei cōparativè ad iudicium hominū, & hinc volebat à Deo iudicari. In primo casu David sibi ob oculos ponebat iudicii divini timorem: in secundo casu, ex una parte proponebat sibi terrorem iudicii Divini, & ex altera parte terrorem iudicii humani, & positus inter utrumque terribilius invenit esse iudicium hominum, quàm iudicium Dei. Jam nunc intelligetis verborum illorum mysterium, quæ in præcedenti Evangelio non observavimus, scilicet: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli*. Christus & homo est, & Deus: quare ergo non dicit ve-

Pf. 142.
v. 2.
Pf. 42.
v. 1.

Matth.
24. v. 30.

F

niet

niet Filius Dei, sed veniet Filius Hominis? quia scopus & intentio Christi erat suo nos terrere iudicio, quod plus terroris formidinisque incutit sub specie humani, quam divini iudicii. Tantò terribilius tantòque magis extimescendum existit iudicium hominum, quàm Dei, ut cum Deus timorem incutere, nosque horrore & terrore percessere, iratum se nobis horribilemque ostendere intendit, iudicium vocetur hominis. Non reperit nomen atrocius magisque horribile, quàm: *Tunc videbunt Filium hominis*. Probavimus assumptum in genere: recensamus nunc specificè ejusdem rationes, quæ sunt valdè variæ, solidæ & uberis doctrinæ, potest contingere, ut gravitate, & novitate ipsi assumpto nihil cædere vobis videantur.

S. III.

PRImò iudicium hominum magis timendum est quàm iudicium Dei, quia Deus cum intellectu, homines iudicat cum voluntate. Quod si inter intellectum Dei, hominumque voluntatem infinita ista non intercederet distantia, sola illa, quæ est inter intellectum & voluntatem sufficeret ad inæqualitatem horum iudiciorum statuendam. Qui iudicat cum intellectu benè & malè iudicare

potest, qui iudicat cum voluntate, nunquam bene iudicare potest. Patet ratio; quia qui iudicat cum intellectu, si intelligit malè, iudicat malè, si intelligit benè, iudicat benè: qui verò iudicat cum voluntate, sive benè velit sive malè, semper iudicat malè: si velit malè, iudicat tanquam passionatus, & si velit benè, iudicat velut cæcus: proinde vel cæcitas adest, vel passio. Ecce quomodo iudicabit voluntas cum talibus assistentibus: in iudicio divino non fit ita, solus ibi iudicat intellectus, & intellectus talis.

Ipte Christus declarans suam supremam potestatem universalis mundi iudicis dicit: *Pater omne iudicium dedit Filio*. Joann. 5. v. 22. Quæro, quare hoc non dedit Spiritui sancto? Ad perfectum iudicium requiruntur tria: scientia ad examinandum, iustitia ad iudicandum, potestas ad exequendum. Proinde si persona Filii & Spiritus sancti eandem habent sapientiam, iustitiam & omnipotentiam, quare officium iudicandi Pater æternus committit Filio, & non Spiritui sancto? Ratio moralis & altissima est ista, quia Spiritus sanctus procedit ab actu voluntatis: Filius est genitus per actum intellectus: & iudicare (licet Deus sit qui iudicet) ad intellectum pertinet, & non ad volun-

Intuitatem: Spiritui sancto, qui procedit per voluntatem commisit Pater munus largitionem: *Dator munerum*. Filio qui producit per intellectum consulit culpam & offensarum iudicium: *Omne iudicium dedit Filio*: Dare enim, ut sit gratiarum actio, procedere debet à voluntate; & condemnare ut non erretur, oportet iudicium regi ab intellectu. Necdum totum dictum est: auscultate rem grandem. Quando Pater ab æterno generat Filium, per purum illum generat actum intellectus, non interveniente voluntate: quando Pater & Filius producant Spiritum sanctum, producant illum per actum voluntatis, sed jam cum suppositione intellectus: Dare igitur tribuitur tertiæ personæ, & condemnare secundæ: dare enim procedere debet à voluntate, sed cum suppositione intellectus: iudicare vero debet procedere tantum ab intellectu non interveniente ulla voluntate. Ecce hic perfectum iustitiæ punitivæ & distributivæ dictamen: condemnare fit per intellectum solum sine voluntate, & dare fit per bonam voluntatem, sed cum intellectu. Essetne consultum, ut dare fieret tantum per intellectum, & ut in condemnare etiam intraret voluntas? Neutiquam: hinc oriretur, quod quan-

doque accidit, quod nec gratiæ obligent, nec pœnæ corrigan. Condemnare cum voluntate, est à iusto recedere: dare sine voluntate, est manere liberalem: in primo iustitia incedit cum scrupulo: in secundo liberalitas manet sine gratia: ita ut in Deo voluntas & intellectus habeant officia reparata, intellectus iudicat, voluntas dat. Non ita in hominibus res agitur, intellectus suo est officio deturbatus, voluntas servit ambobus; voluntas dat, voluntas iudicat. Quærelam, quod voluntas sit quæ dat, ambitiosus & prætententibus relinquamus: Injuria autem, quod voluntas sit quæ iudicat, hæc est, quæ iudicium humanum formidabilius reddit divino.

Intravit quandoque lux, ut humano iudicaretur iudicio, confidenterque est ingressa; jam enim olim iudicio assistit divino, indeque cum enomiis est egressa: *Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus Gen. I. v. lucem, quod esset bona*. Hac secunda freta lux subiit iudicium hominum: & qualiter vobis videtur egressa? Planè hoc dixit Christus, ipsumque dicere erat necessarium ut fidem inveniret: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. Vah cæcitatem! vah malitiam! Ecquis tam barbaram à iudicibus ratione

utentibus suspicaretur sententiam velut istam? nisi Christus ipse eandem affirmaret? num quid pulchrius, quid utilius, quidve necessarium magis luce in mundo dari potest? Et vice versâ, quid foedius, quid horribilius, quid inutilius & absurdius tenebris? Nunquid non tenebræ atrociorum sunt operimentum, adulteriorum iteratio promiscua, insolentissimorum & atrocissimorum quorumcumque casuum, qui dantur in mundo, causa & complices? quomodo igitur possibile, quod oculis & intellectu præditi homines tenebras anteponant luci? Ipsa Christi verba rationem ponunt: *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: dilexerunt*: Judicaverunt cum voluntate, & non cum intellectu: & ut ubi Judex est voluntas, similes isti pronuntiantur sententiæ. Quid aliud faceret cæca voluntas quam condemnare lucem? *Dilexerunt magis*. Ecce hic totum judicium hominum. Dilexerint plus vel minus; si dilexerunt, quamvis sint tenebræ, meliores judicabuntur luce. Et si non dilexerint, licet sit lux, lux tenebris pejor censebitur. Eheu quoties mundus illam iterat sententiam! quoties venientibus in judicium tenebris & luce, hæc condemnatur! Ecce quid

fiduciæ sperandum merito, quidve immunitatis innocentia in tali judicio. Summum meritum, summamque innocentia illud consistantur.

Christo præsentato ante Præfidentem Pilatum, hic auditis testimoniis eorundem examinavit pondus, Christumque innocentem proclamavit. *Ego nullam causam in eo invenio*. Non ita multum post eductum Christum in montem Calvaria Crucis acclavarunt, *Et imposuerunt super caput ejus causam ejus scriptam* dicit textus, Enim verò, si Pilatus nullam in Christo invenit causam: ego nullam causam invenio, quomodo causam ejus imposuerunt Crucis? Posuerunt causam ejus scriptam? Hic nunc clarè patebit discrimen inter judicatum esse cum intellectu, & inter judicatum cum voluntate. Pilatus innocentiam Christi deprehensam & declaratam, omnes accusationes ad arbitrium & judicium voluntatis Principum Sacerdotum remisit: *Tradidit eum voluntati eorum*. Et quomodo judicatus in judicio voluntatis? quia Christus fuit judicatus in judicio voluntatis, statim invenerunt illam crucifigendi causam. In judicio intellectus (quamvis esset intellectus Pilati) contra Christum non fuit

Luc. 23.
v. 14.
Matth.
27. v. 37.

Luc. 23.
v. 25.

inventa causa. In judicio voluntatis (licet accusatus esset Christus) causa fuit inventa. Et quare voluntas plus invenit , quæ cœca est , quàm intellectus qui est argus ? Ratio est , quia intellectus invenit quod est , & voluntas quod vult , voluntas invenit pro ut vult Voluntas in favorem inclinans inveniet merita in Juda ; voluntas averfa inveniet culpas in Christo. Quamnam culpam Herodes deprehendebat in Joanne , ut eum vinculis compediret ? sed habebat contra se voluntatem suam , quæ culpæ erant maxima. Intelligebat Herodes Baptistam esse innocentem (sed nolo hinc recedere) Herodes Baptistam innocentem vel intelligebat , vel non intelligebat. Si intelligebat , ecce mox voluntatis tyrannidem facientem illum operari contra intellectum : si non intelligebat , ecce voluntatis cœcitatem , quæ intelligere eum faciebat contra rationem. sit ut sit : Joanni semper certa manent vincula. Joannes in vinculis.

§. IV.

Secunda ratio , quare judicium hominum magis sit terribile , quàm judicium Dei , est , quia in judicio Dei sufficit tantum

testimonium conscientie propriæ : in judicio hominum conscientia propria pro nullo valet testimonio. Ecce judicii divini excellentiam: comparetis ante tribunal Dei, accusent vos homines , accusent vos Angeli , accusent vos Dæmones , accusent vos opera vestra , accuset vos denique cœlum & terra , mundusq; totus , non accusante vos propria conscientia , ridebitis omnia. In judicio hominum aliter res agitur: eritis Abele innocentiores , Josepho incontaminatiores , Baptistaque justiores : si insurgat contra vos unus invidus Cain , unus malè informatus Putifar , unus injustus Herodes , contra innocentiam invidia , contra veritatem calumnia , contra justitiam Tyrannis prævalebit : & quantumcunq; exiliat clametq; intus in pectore conscientia , clamores illius nihil proficiunt. Jam rigorem illum cum rigore divini judicii pensate.

Comprimis mihi placent Prædicatores isti , qui ad divinum repræsentandum judicium , ejusque terrorem , illam Samuelis allegant auctoritatem: *Homo videt ea quæ parent , Dominus autem intuetur cor.* Sed ex hoc ipso magis timendum est judicium hominum: si enim homines cognoscerent corda , si corda inspicere possent , non ad eò formidanda forent eorū judicia. quæ-

1. Reg. 16.
v. 7.

nam major est tranquillitas, quæ major securitas, quam in corde suo secum suam circumferre defensionem? accusate me, condemnate me, infamate, vultis mille testes? ecce hic cor monstrare, *bona conscientia mille testes*. Scitis quibus non expediret corda patere hominum? proditoribus, hypocritis, adulatoribus, mendacibus, ejusdemque farinae aliis: sed fidelibus, sinceris, veracibus, honestis & ingenuis, quam optanda foret conditio! qualis & quanta felicitas! Sed cum conscientia in iudicio humano pro nullo valeat testimonio, patienti calumniam in opere, quid prodest defensio in corde?

Maxima Christi defensio, & innocentia ipsius assertio, fuit ipsius Pilati protestatio, quando aquâ lavando manus dixit: *Innocens ego sum à sanguine justii hujus*. Hanc aquam & hunc sanguinem S. Cyrillus Hierosolimitanus consideravit, singulari emphasi asserens, aquam & sanguinem, quæ delatere Christi in Cruce exiverunt, ad aquam istam & sanguinem alluisse: erant hæc duo de latere, judicanti aqua, clamantibus verò sanguis; aqua signabat aquam, quâ Pilatus manus lavit, & sanguis signabat sanguinem, quem Pilatus justum pronuntiavit, & accusatores petierunt super te: *Sanguis ejus*

super nos. Ita ut sicut in hoc mundo accusatus quispiam calumniam passus, in sinu suo secum defert defensionis suæ chartam & literas, ita Christus in corde suo posuerit aquam illam & sanguinem, in quibus authentica innocentia suæ testimonia consistebant. Videte jam Christum à prætorio Pilati prodeuntem cum numerosa justitiarum suarum caterva, videbitisque, in totius representatione tragediæ illud, quod quotidie in mundo accidit. Innocens ibat ad supplicium, præco proclamabat culpas, cor habebat defensiones: præconis culpæ erant falsæ, defensiones cordis erant veræ: sed quia cor in mundo non valet pro testimonio, innocentia mortua est crucifixa. Heu quot exemplaria hujus processus quotidie in humano iudicio formantur! propterea patiuntur innoxii, & triumphant rei. Quis Josepho innocenter? quis Ægyptia culpabilior? sed culpabilis indicia monstrabat in pallio, innocens defensionem habebat in corde, propterea hic patitur, & illa triumphat. Moritur tandem Christus in Cruce, lanceâque aperiente pectus cor patescit, exeuntque in publicum ejus defensiones: *Exiit sanguis & aqua*. Sed quomodo Christo mortuo? Imo verò: hæc est iudicii di-

Matth.
27. v. 24.
Cyrillus
Hieros.

Matth.
27. v. 25.

Joan. 19.
v. 34.

stin-

stinctio alterius ab altero. In judicio post mortem, quod Dei est, proficiunt conscientiae defensiones: in judicio hujus vitae, quod hominum est, nullum valorem habent. O infausta humani cordis coditio! Judicari ab hominibus ad culpam quod videri non potest ab hominibus ad defensionem. Si sic se res habet, quid refert quod summa innocens se non defendat? *Ioannes in vinculis.*

S. V.

Tertia ratio, quare magis timendum sit iudicium hominum, quam Dei est, quia in iudicio Dei nos nostra opera bona defendunt: in iudicio hominum eadem maximus noster sunt inimicus quem habemus. Contemplemur quosdam humani iudicii processus, & ab hac veritate consternabimur. Primus humano iudicio condemnatus fuit Abel, & quam ob culpam? quia sacrificium ejus magis placuit Deo quam Caini. Darinè potest hujuscemodi scelus? si Abel fuisset ad instar Cain, meliorem fortitus fuisset conditionem. In mundo maximum delictum est, esse optimum. Ego potius amico meo optarem magnum delictum, quam magnum meritum. Magnum delictum sapius invenit misericordiam: magno merito nun-

quam defuit invidia. Delicta hodieum salvo gaudere conductu, merita verò condemnata videntur. Ad alium transeamus processum. Saul, toties Davidem morti devovit, & occidit, ut ipsemet lancea illum confodere niteretur: & qualem ob reatum? quia per plateas Jerusalem fortitudo ejus publico cantu celebrabatur Saulis fortitudini prælata: *Percussit Saul mille; David autem decem millia.* ^{1. Reg.} ^{18. v. 7.} Id præmii de prostrato fundâ Goliath David reportavit: felicior ipsi utique fuisset fundæ jactus, si tantum sonitum non dedisset. Gigantem stravit lapis, Davidem sonus. Ecce quare petierit David judicari à Deo & non ab hominibus. In iudicio Dei condemnantur peccata tanquam fragilitates: in iudicio hominum merita instar peccatorum castigantur & puniuntur. Ad tertium progrediamur processum, sed quid necesse est evagari longius, cum omnium exemplorum maximum in præsentibus habeamus Evangelio?

Misit S. Joannes Baptista è carcere duos Discipulos, qui interrogarent Christum, utrum Messias esset. *Tu es qui venturus es, an alium* ^{Matth.} ^{11. v. 3.} *expectamus?* Responsum non nihil suspendit Christus, quia magna infirmorum multitudo aderat, quibus omnibus miraculose

San-

Ibid. v.
4.5.6.

Sanctis, reversus ad Baptistæ legatos dixit illis: *Ite & renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt: & beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Hic confidero, & beatus qui non fuerit scandalizatus. Quid quæso egerat Christus, unde homines in ipso scandalizarentur? si eruendo oculos fecisset cæcos, abscindendo pedes fecisset claudos, vitam auferendo peremisset, scandali materiam & occasionem homines in ipso habuissent: sed quia sanat, quia medetur, quia resuscitat, quod poterat oriri scandalum? Imo verò, de nullo enim magis scandalizantur homines, quam quod sit qui miracula patret. Olim scandalizabant peccata, & virtutes ædificant: hodie vice versâ virtutes scandalizant, & utinam peccata non ædificent. Deus liberet vos à bonis vestris operibus, & maximè à majoribus: peccata facillè sufferimus: miracula non possumus sustinere. Et quare? quia peccata sunt offensæ Dei, & miracula sunt offensæ nostræ. Creditote mihi, innumeros fuisse infirmos in Ierusalem nolentes curari, solum ne Christus miraculorum patrator videretur. Non vibrasset Saul hastam contra David ab infirmitate ipsum liberantem, nisi ma-

gis offensus fuisset miraculo, quam gauderet sanitate.

¶ Hei quanto securius est ad iudicium Dei pergere cum peccatis, quam ad iudicium hominum cum miraculis! In Deo est misericordia: in invidia non est venia. Quid Magdalenam ad iudicium Christi pertraxit? peccata: & qualis inde exivit? absoluta: *Remittuntur ei peccata multa.* Quid Christum ad iudicium hominum traxit? miracula. Et qualis exivit? condemnatus. *Quia hic homo multa signa facit.* In quonam quis hominum evadet iudicium hominum, si Deus ipse cum miraculis non evadit? Enim verò quid amplius adhuc Christi processus referebat: *Ecce totus mundus post eum vadit.* Si dicerent quod ille post mundum iret, condemnent illum; bene est. Sed quia mundus vadit post illum, ecce qualia crimina in iudicio hominum agitantur. Euntes vos post mundum nullus damnabit: si mundus eat post vos, nec ipsa vos sanctitas vestra à condemnatione liberabit. Christus hodie de Joanne ad populum dixit: *Quid existis in desertum videre; arundinem vento agitatam? hominem molibus vestitum? Prophetam? dico plusquam Prophetam.* Concludendo dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Eheu Præcursor

Luc. 7.
v. 47.

Joan. 11.
v. 47.

Joan. 12.
v. 19.

Matth.
11. v. 7. 8.
9. v. 10.

ete, & tu quinque istiusmodi habes crimina tam solida probata? Malam habes causam in iudicio hominum; proindeque ex oculis auribusque hominum te sublatum in carcerem conjiciet. *Ioannes in vinculis.*

S. VI.

Quarta ratio, quare magis timendum iudicium hominum quam Dei, est: quia Deus iudicat quod cognoscit: homines vero quod ignorant. Inter tremenda magis dei iudicii censendum est, quod ipsi Dæmones ibidem nostri erunt accusatores: aut ego mallet accusari à Dæmonibus, quam iudicari ab hominibus. In extremo iudicio Diabolus nos accusabit de omnibus nostris verbis & operibus; sed cum perventum fuerit ad cogitationes, obmutescet, quia cogitationum peccata soli Deo sunt reservata. Ecce quousque Diabolus accusando pertingat. Homo iudicans opera vestra, vestra verba iudicat, & ad intimam usque cogitationem vos iudicat & condemnat. Potestne similis dari iudicandi temeritas? iudicet homo opera quæ videt, iudicet verba quæ audit: transeat; sed iudicare cogitationes, quo non pertingit homo ullo sensu corporis, nec ulla potentia animæ, hæc est una ex gra-

Pars V,

vissimis rationibus quare iudicium hominum timendum magis, quam divinum. Deus cogitationes vestras iudicat, sed sibi notas. Homo cogitationes vestras cognoscere nequit, & de illis vos iudicare præsumit.

Sed dicetis mihi: Homines iudicare cogitationes per opera, & per opera visa bene iudicari de cogitationibus non visis. Hoc si ita esset, non tantopere pertimescendum foret humanum iudicium: sed attendite ac videte quomodo ipsis operibus, contrariè ipsis cogitationibus iudicent etiam summi & eminentissimi homines. Anna Samuelis mater consuetis & usitatis afflictorum affectibus orabat in templo. Et quale putatis Sacerdotem Heli super hæc oratione formasse iudicium? ebrietatem esse iudicavit, motusque oris in Anna non ex amaro corde, sed ex orantantum prodire, *estimavit illam temulentam*, & ait: *usquequo vinomades?*

Venit Naaman Syrus in terram Israel, ut curaretur à lepra sua. Sed quale de adventu Naamæ Rex Joræ formavit iudicium? iudicavit ipsū à Rege suo missum callidè, ut salutem, quam quærebat, non obtenta, expostulandi, ruptoque federe bellum inferendi occasionem arriperet: *Animadvertite & videte quod*

G

occa-

1. Reg.
1. v. 13. &
14.

4. Reg. 5.
v. 7.

occafiones quarat adverfum me. Aman pedibus Reginae Esther pro-
 volutus, contra offendi fibi Regis
 indignationem tutelam deprecabatur. Et quale Rex Affuerus hac fu-
 per actione Aman formavit judi-
 cium? ab omni fanè ratione alie-
 num, de coreq; regio ex omni parte
 contrarium, ita ut nec cogitatio fim-
 ilem opinionem, admittere fas
 haberet: *Etiam Reginam vult oppri-
 mere me praefente in domo mea.* Ecce
 quomodo homines interpretentur
 actiones, & ex illis judicent cogita-
 tiones. Anna orabat Dominum, &
 oratio ipsius temulentia judicatur:
 Naaman quærebat salutem, &
 confidentia ipsius hostilium infi-
 diarum cenfurâ notatur: Amani
 supples veniæ deprecatio pro in-
 tentato adulterio ipsi imputatur.
 Nec amarè plorans, nec infirmus
 salutem quærens, nec opis indigus
 finiftrum hominum judicium eva-
 dit. Anna remedium sterilitatis à
 Deo: Naaman remedium infirmi-
 tatis ab Elifæo; Aman infelicitatis
 fuæ remedium à Regina Esthere
 supples petebat, & neque Esther,
 quamvis Regina, neque Elifæus,
 quamvis fanctus Propheta, neque
 ipse Deus, quamvis Deus, miseri-
 istis profuit ad humanum evaden-
 dum judicium Neq; cum Regibus,
 neq; cum Sanctis, neque cum Deo
 tractari poteft, sine finiftro homi-

Esther. 7.
 v. 8.

num judicio: tam iniquum est judi-
 cium hominum in interpretandis
 intentionibus, tam audax & teme-
 rarium in judicandis cogitationi-
 bus, per opera eas judicando. O-
 pus bonum judicare malè, magna
 est malitia: sed judicare vel benè
 vel malè cogitationem quæ cog-
 nosci non poteft, major adhuc Ty-
 rannis est. Si non cognofci, nec
 cognofcere potes cogitationem,
 quâ fronte illam judicare præfu-
 mis homo? judicium cogitatio-
 num eoufque fibi Deus refervavit,
 ut nec totius Ecclefia judicio cog-
 itationem aliquam commiferit: *Ecclesia non judicat de occultis.* Et
 quod Deus non credidit Pontifici-
 bus, quod non credidit Conciliis,
 quod demum toti non credidit Ec-
 clefia, fcilicet cogitationes judi-
 care, cujuslibet hominis fibi arro-
 gat judicium. Videturne vobis hoc
 mirum? videturne vobis grave,
 quod homines judicent cogitatio-
 nes, & propter has solas condem-
 nent? expeâate paulisper, nihil e-
 nim adhuc dixi. Quoties vos judi-
 carunt & condemnarunt homi-
 nes deo, quod vobis nunquam
 in mentem venit? ecce hic majus
 adhuc illorum duorum judicio-
 rum difcrimen.

Deus judicat damnans per cogi-
 tationes: homines judicant & con-
 demnant per hoc quod nunquam

in cogitationem aut mentem venit. Domini sui violare thorum num Joseph unquam cogitavit? Regno Assyriorum infidias num Daniel unquam meditatus? Regnum temporale, quod toties declinavit, (in quo & exemplo nobis præluxit) num Christus unquam vel cogitatione ambire visus? Nilominus propter adulterii seu stupri attentati delationem Joseph in carcere: propter machinatum Imperio Assyriorum malum Daniel in leonum lacu: & propter Regni affectationem Christus positus est in Cruce. Cum tali rigore nullam comparationem habet iudicium Dei. Ut Deus damnet propter cogitationes, necesse est ut sint cogitationes malæ, & quibus consentiatur: ut condemnet homo, non requiritur consensus, nec ut sint malæ, & ne quidem ut sint cogitationes. Num rigor major, iniquitas major, & temeritas, imò atrocitas major imaginabilis esse potest? mea quidem opinione neutiquam. Latius nihilominus se explicat & longius progreditur humani iudicii subtilitas & crudelitas. Non solum vos condemnant propter hoc, quod vobis nequidem, sed quod nec ipsis quidem in mentem venit. Dicam clarius: non solum vos condemnant homines de hoc, quod vobis ima-

ginati non estis; sed de hoc, quod nec ipsi imaginati sunt de vobis.

Venerunt Fratres Joseph in Ægyptum, quos coram se undè & quare venerint candidè confessos, composito ad severitatem vultu intuitus mox carceri mancipari mandavit. Cui illi, Domine, in carcerem ibimus? quare? Et Joseph: *Exploratores estis.* Regnum Pharaonis domini mei exploratum venistis. Finitis vix verbis, decem Fratres compedibus & ferreis mannicis in nexi erant. Quæro igitur, num homines isti terram & Regnum Ægypti unquam explorare cogitaverunt, ut Regni Pharaonis exploratores dici mererentur? luce meridiana clarius est, quod nunquam tale quid in animum admitterint. Erant pauperes, rudes, laboribus assueti, solandæ fami, sustentandæq; vitæ, & sementi faciendæ necessaria empturi venerant. Interrogo ulterius num & Joseph talem suspicionem de ipsis habuerit quod exploratores essent? Clarius adhuc certiusq; est, quod tale quid Joseph de ipsis cogitaverit nunquam: novèrat enim quod omnes Jacob parètis sui filii essent. Quod si ergo nec isti, nec Joseph simile quid unquam cogitaverint, quare in vincula conjici iussit? Estne possibile innocuos cõpeditos in carcerem trudi

Gen. 42.
v. 9.

propter hoc quod nec ipsi, nec is qui incarcerari mandat, unquam cogitavere? Ita agit. In historia Josephi assumpta tantum in speciem erat austeritas; Sed quot & quantæ tragœdiæ repræsentantur in mundo in quibus severitates & iniustitiæ verè & realiter exercentur? Testatur hoc ipsum historia Naboth in Samaria, & Susannæ in Babylonia. Forsitan imaginabatur sibi Jezabel Naboth blasphemasse nomen Dei & Regis? minime: & nihilominus Jezabel condemnari fecit Naboth per hoc, quod nec ipse sibi de seipso, nec illa de Naboth sibi unquam imaginata fuerat. An fortè Judices Babylonii sibi persuaserant Susannam violasse thorù crimine pessimo, de quo illam accusabant: minime, & tamen condemnata fuit & ducta ad supplicium propter hoc, quod nec illi in mentem venerat de seipsa; nec de illa horum menti occurrerat, qui illam condemnarunt.

S. VII.

QUinta differentia ratio inter iudicium Dei & hominum est, quod in iudicio Dei unus iudicat omnes: in iudicio hominum unum iudicant omnes. In iudicio Dei totus mundus iudicatur: in iudicio hominum totus mundus iudicem agit. David dicebat Deo: Tibi soli

peccavi. David in peccato, de quo loquebatur, peccavit contra multos: peccavit contra Bethsabée sollicitatione: contra Uriam iniustitiâ: contra Regnum scandalo: in Deum offensâ: in semetipsum reatu: Si igitur David peccavit contra tam multos, quomodo contra solum Deum se peccasse asserit? non hoc dicit David: non dicit quod contra solum Deum peccaverit; sed quod soli Deo peccavit. *Tibi soli peccavi.* Et quid vult dicere quod soli Deo peccavit? Ego dicam: David hoc loco ad literam loquebatur de die iudicii. Sic locum istum intelligit optimi Interpretes, & clarè patet ex textu ipsius verbis: *Ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Et nostra peccata respectu diei iudicii, vel respectu mundi valdè differunt. Respectu huius mundi, peccamus contra omnes: siquidè omnes nos iudicant: respectu diei iudicii, soli peccamus Deo: quia ille solus nos ibi iudicabit. Tibi soli peccavi; dicendo, *peccavi* David confitebatur delictum, dicendo, *tibi soli*: excitabat se ad iudicium, in quo misericordiam sperabat: quod unus solus sit Rex Deus ille qui me iudicabit, alterius mundi iudicium levius reddidit.

Ita expendebat David iudicium extremum; de iudicio verò ho-

*Psal. 50.
v. 6.*

*Pf. 50. v.
6.*

*Pfal. 2.
v. 6.*

hominum hujus mundi qualem idem ipse formabat conceptum? *Ego autem constitutus sum Rex: pradicans preceptum ejus.* Quali diceret: Deus constituendo me Regem fecit simul prædicatorem; Assertum notabile. Equænam comparatio Regiæ dignitatis cum officio prædicatoris? ut David hoc ipso quod constitutus esset Rex, se diceret factum prædicatorem? quia Rex & prædicator ad præbendum bonum exemplum obligantur. Quia Rex & prædicator ad veritatem dicendam semper tenentur. Quia Rex & prædicator sublimius loquuntur, & nemo replicare audet. Hæ rationes sicut quidem veræ; sed adhuc alia magis propria restat, & est; quia Regem esse & prædicatorem bina sunt officia totius mundi iudicio exposita; in aliis officiis unus tantum iudex est. In officio Regis (nam Regem esse, officium est) & in officio prædicatoris quotquot sunt, omnes iudices sunt: Opera & verba Regis, verba & conceptus prædicatoris nullus non iudicat. Sed quod iudicetur Rex ab omnibus, à Deo iudex omnium constitutus, sit hoc majestatis ejus & magnificentiæ pensum: sed quod ab omnibus iudicetur prædicator, neminem iudicans, nihilque iudicare potens? consentio

quia ita vobis placet: prædicator ex suis hoc, noverit sermonibus; ita ut vobis liceat iudicare nos in eo quod studio acquisivimus, & nobis non liceat iudicare vos in eo, quod non studuistis.

Ecce quale iudicium est mundi, cui subjecti sunt Reges, quorum actiones dijudicant, qui nec sciunt, nec seire possunt earum rationes; si intima nescitis, resolutionumque vos latent rationes, quomodo iudicando condemnatis? reverà in iudicii materia magna inter Regem & Vasallos ejus quoad modum procedendi intercedit inæqualitas. In causis Vasallorum etiam post iudicatum Rex illis permittit revisionem. Vasalli in causis Regis iudicant revisione negata. Si Regibus concederetur revisio, multa in illis laude & approbatione digna deprehenderentur, quæ modo damnamus: sed iudicatum esse ab omni populo qui revisionem denegat, esse iudicatum ab omni populo qui nec habet nec dat revisionem, esse iudicatum priusquam auditum, crudele est hominum iudicium. Hanc solummodo Reges inter & prædicatores invenio differentiam, quod nos prædicatores non iudicant nisi auditos, Reges iudicati sint antequam auditi. Certum est ad rite formandum iudicium, non sufficere sen-

Mat. II
v. 4. 5. 6.

sum auditus tantum, sed necessarium esse audire & videre simul quod ipse Christus in responsione sua supposuit dicens: *Ite renunciate quæ audistis & vidistis*: & hinc iudicabitur utrum Messias finem an non.

Istud quidem patiuntur reges præ cæteris hominibus ob sublimitatem, ad quam eos fortuna evertit: sed nullus est, qui idem non patiat in conditione sua. Omnes ab omnibus iudicati sumus. Quod si trium, quinque aut septem iudicum sententia nunquam sine formidine fuit expectata, quanquam legum essent gnari, causamq; debite examinassent; quid expectandum de iudicio unius populi, unius regni, & totius mundi, qui quasi omnes sine examine iudicant? In multis criminibus executionem pœnæ Deus commisit populo: *Lapidabit eum populus*: Sed nulli populo commisit Deus iudicium criminis, foret enim iniustitia. Nihilominus hoc supremum est tribunal, in quo graviores & gravissimæ hominum causæ, quales sunt honoris & famæ, iudicantur. Videte num major severitas dari possit; respectu illius parum passus est S. Joannes Baptista: nam si illum condemnavit Herodes, condemnavit illum tantum unus, *Ioannes in Vinculis*.

SEXTA ratio & differentia, quam inter iudicium Dei & hominum invenio, est illa, quæ iudiciū Dei formidabilius reddere videtur, quod sit iudicium finale. Iudicium finale! ô quam tremendum verbum! sed ex hoc ipso ego deduco quantum magis formidandum sit iudiciū hominum, quam Dei. Deus non iudicat nisi in fine; homines ad iudicandum non expectant finem. Grandis rigor.

Inimicus homo sementi patrisfamilias super seminavit zizania. Et quid accidit: ecce discrimen inter Dominum & servos. Famuli dicunt, *Vis imus & calligimus ea?* loquebantur servi præfervide, & Paterfamilias respondebat mansuete: *Sinite utraque crescere usque ad messem, ut triticum à zizaniis dignoscatur.* Animadvertite qualis in iudicando sit Deus, & qualis homo. Deus non condemnat nisi in fine: homines ad condemnandum finem non expectant. Ad colligendum Deus expectat Augustum: homines metunt & referant in Januario. Qui timoratius procedunt in iudicando ante finem, sunt illi. Qui fines moderantur ex principiis; sed quia mundi vitæque successus, multaque magis illa, quæ dependent ab arbitrio, nul-

Mat.
13. v. 28.
Ibid. v.
30.

nullam seruant proportionē, hinc totum illud iudicium incertum est & injustum.

In die passionis Christi quatuor mortuæ sunt personæ notabiles, quorum S. Evangelium meminit. Mortuus est Christus, mortui sunt duo latrones, mortuus est Judas. Notate jam singulorum principiorum & finium differentiam, Christus cœpit bene, finivit bene: malus latro cœpit malè & finivit malè: bonus latro cœpit malè finivit benè: Judas cœpit bene finivit male. Ecce hic successum rerum mundanarum, & modicum proportionē, quam fines seruant cum suis principiiis. Ex bonis principiiis sequuntur boni fines, sicut in Christo, & ex malis principiiis etiam mali fines, uti in malo latrone; ut vice versâ ex malis principiiis sequuntur sapius boni fines, sicut in bono latrone, & à bonis principiiis mali fines, sicut in Juda. Exspectet ergo finem, qui rectè statuit iudicare.

In Regnis idem usū venit, quod in hominibus. Judicaturus finē Regni Saulis ex principiiis illud felicissimum & fortunatissimum undequaq; fuisse diceret, cum fuerit infautissimum. Judicaturus similiter Regnum Davidis, miserrimum illud fuisse assereret, cum fuerit auspiciatissimum. Ante finem non est formandum iudiciū Petrus seque-

batur Christum *ut videret finem*, *Math. 26. v. 58.* quē si expectasset, Christum non negasset. Si quis ante finem iudicare posset, esset Deus, quia futurorū præsciis: & tamen Deus nunquam condemnavit aliquem nisi post factum. In iudicio hominum non fit ita. Homo parū novit de præsentī, minus de præterito, & nihil de futuro; & causæ, antequam habent esse, jam sunt iudicatæ. Eodem die electionis jam vaticinatus est successus, damnatus aëctus, & infamata est persona, Deus bone! necdum sum bene vel malè operatus, & jam cōdemnor? nec tantillum habetur patientiæ usq; dum videatur finis? *Nolite ante tempus iudicare*: *1. Cor. 4. v. 5.* inquit Apostolus. Cum prædestinatos & præfatos habere velitis ad instar Dei, etiam ad instar Dei in fine operum iudicate: quod verò prædestinato vaticinetur meritū, & mox detur præmium, & præscito prophetizetur culpa, & ante tempus irrogetur pœna, iudicium est terribile.

Extenditur ad huc ratio, quare Deus iudicet in fine, & homines secus: quia in iudicio Dei non sufficit certitudo futuri pro pœna, & sufficit emendatio præteriti pro venia: In iudicio hominum, nec pro futuro valet incertitudo, nec pro præterito emendatio S. Marcus asserit Christum Dominum pran-

pransurum venisse in domum Simonis Leprosi, sic dicti quod Leprosus quondam à Christo fuerat curatus; Nescio num advertatis dubium. Si actualiter leprà ad huc fuisset infectus rectè leprosus vocaretur; sed quare à leprà jam sanatum ad huc Leprosum vocant: quia istud est iudicium hominum: fuistis quandoque leprosi: licet à Deo miraculosè sanati sitis, leprosi eritis & manebitis cunctis vitæ vestræ diebus: Deus donare vobis potest sanitatem, sed infirmitatis nomen vobis homines non condonabunt. In iudicio Dei cum mutatione morum mutantur nomina: aliquando eratis Sauli, hodie estis Pauli: In iudicio hominum, quantumcunq; etiam conversatio vestra & mores mutantur, nomina mutantur nunquam: si fuistis leprosi semel, leprosus vos vocabunt quoad vixeritis, *Simonis Leprosi*: proderit miraculum ad Simonem curandum & sanandum: sed non proderit miraculum ad Leprosi nomen tollendum, *Simonis Leprosi*. Prò horrendam humani iudicii injuriam & injustitiam! ab infirmitate vobis nomen imponunt: *Simonis Leprosi*. Et sequitur quod nomen pejus sit ipsa infirmitate: infirmitas enim ut multum ad mortem usque pertingit, sed nomen ad descendentes transit. Quot sunt malè notati in

iudicio hominum non ex culpis suis, sed ex suorum aut Majorum lepra? In domo Simonis leprosi: Ecce lepram domui injustam. Ecce iudicium, in quo lepra etiam abolita, adhuc est lepra. O Iudicium terribile! Iudicium Dei est terribile, sed emendando me, possum illud evadere: sed à iudicio hominum, in quo nihil valet emendatio, liberet nos Deus. Et si in iudicio hominum non valet emendatio actualiter præsens, quid remedium illi supererit, in quo esse non potest: *Ioannes in Vinculis*.

S. 9.

ANtequam progrediar, occurrit mihi celebris illa Salvatoris nostri sententia, quæ huic doctrinæ nostræ objici posset. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et quinam sunt illi, & qualis iste? Illi sunt homines, iste est Deus. Videtur ergo hinc inferri contra assertionem nostram hæcenus probatâ variis mediis, magis timendum & tremendum esse iudicium Dei, quam hominum; sicuti magis timendus est infernus & mors animæ quam corporis. Sed propterea malè inferitur hæc objectio, quia plurimi sequentes suas apprehen-

*Matth.
10. v. 28.*

*Marci
14. v. 3.*

siones

siones seu affectus, non respiciunt casum de quo loquuntur Textus, & intentionem qua dictati fuerunt & scripti; hinc quæ formantur sententiæ valde erroneæ. Intentio divini Præceptoris fuit, hac occasione animare primitivos Christianos ad fidem viriliter propugnandam, Tyrannorumque tormenta & Martyria constanter toleranda: & ut positi inter duos timores, utrumq; inevitabilem majori vincerent minorem, id est timorē inferni timorem mortis. Hæc est vera horum verborum à sanctis Patribus, Pontificibus & Commentatoribus relicta interpretatio, quorū diligentem, solidum & literalem abbreviatorem omnium solum adducam Doctissimum Cornelium à Lapide dicentem. *Nolite metu mortis, quam vobis intentabunt persecutores, negare meam fidem, aut cessare ab ejus prædicatione vobis à me imperatâ, vel aliquid eâ indignum committere; quia si id feceritis incurretis mortem tum corporis, tum anima longè atrociorē & diuturniorem, scilicet æternum in gehenna, ubi damnati moriuntur morte immortalī, & vita moribunda vivunt & perdurant.* Ita ut comparatio hæc non fiat inter iudicium & iudicium, sed inter periculum & periculum, & inter poenam & poenam; nam comparatâ poenâ infer-

ni cum poenâ mortis, clarum est magis timendam esse poenam inferni. E contra si comparatio fiat inter iudicium & iudicium id est inter iudicium Dei, & iudicium hominum; quamvis homines tantum possint condemnare ad mortem, & Deus ad Infernum; eadem evidentia sequitur, etiam in hoc casu magis timendum esse iudicium hominum, quâ iudicium Dei: quia iudicium hominum condemnando me ad mortem potest esse injustum, & illud Dei condēnando me ad infernum non potest non esse justissimum. *Iustus Domine & re-* Psal. 118.
Etum iudicium tuum. Et si iudicio Dei tantum subjecta est culpa; & in iudicio hominum non est secunda innocentia, ecce quodnam magis timendum? Dei magis timenda sunt supplicia, & hominum magis timenda sunt iudicia: & hæc sunt de quibus loquimur.

Similiter locutus est de iisdem iudiciis ipse Christus, & non in alio, sed in ipso textu citato cum admirabili comparatione sermonis mei. Calumniabatur Scribæ & Pharisæi discipulos Christi nominibus tam injuriosis & blasphemis, sicut & ipsum Christum eorum Magistrum, in tantum, ut diceret, quod miracula ab utrisque operata, facta essent in virtute Beelzebub principis Dæmoniorum: & ne inno-

centia & constantia Apostolorum adhuc novitia videns se tam indignè calumniatam & condemnatâ judicio hominum [non quorumcunque, sed insigni autoritate potentium, & eorum, qui præ reliquis magis profitebantur Religionem & doctrinam] deficeret; quibus rationibus animaret illos & cōsolaretur Divinus Magister, ut horum judicium temeritatem despicere nō Ratio solūm fuit unica, sed authore suo dignissima. *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quāto magis domesticos ejus: ne ergo timueritis eos; nihil enim est operitum, quod non revelabitur, & occultum quod non scietur.* Non debetis admirari, quod vos sitis discipuli, & ego Magister, vos servi & ego Dominus, quod vos tractent & judicent homines, sicut me tractant & judicāt; sed ut non timeatis, flocci faciatis eorum judicia & injurias, quas vobis inferunt, Scitote quod Deus manifestaturus sit vestram veritatem & eorum calumnias vel in die judicii, vel ante diem judicii, *Nolite tamen eorum probra, irrisiones & sannas timere, quia tandem Deus vestram fidem & veram Religionem patefaciet, non tantum in die judicii, sed etiam in hac vita.* Ita commentatur Author supra citatus cum S. Chrysofomo, Theophylacto & Euthymio, Oar-

Matth.
10. v. 25.
& 26.

gumentum verè Divinum & iterū dignum sapientia sui Authoris! ita ut consolatio & appellatio, quā habet judicium hominū, sit ista cōsolatio & appellatio ad judiciū Dei. Nōne ergo sub hac spe certā docet Christus discipulos suos, *ne timueritis eos*: omninō. Ergo si judicium Dei est securum, quod nobis dat ipse Deus in ordine ad non timendum judicia hominum, benè concluditur, judicium hominum esse formidabile & timendum, & non judicium Dei in his circumstantiis. Judicium hominum debet timeri, nam ad minus potest esse falsum & injustum: & judicium Dei præstolandum sine timore, quia semper justum est & rectum.

§. X.

TOTUM istud jam tum evictum fuit rationibus, quas antè ponderavimus, quā hanc objectionē refutare ceperamus. Super sunt adhuc plures aliæ rationes, quibus probari posset & ampliari hæc veritas; sed quia nec temporis angustia patitur, nec me earundem omninō omnium vobis debitorem esse reor; laborem dividamus. Ego rationum istarum quasdam adducam, vos desuper discurrite.

Judicium hominum tantò magis est timendum, quā judiciū Dei, quia judicium Dei est tantum u-

nus

nus diei; iudicium hominum per totam continuatur vitam. Cuncti dies quibus vivit, sunt illis iudicii dies. Iudicium Dei, in uno tantum erit loco, iudicium hominum in omnibus est locis, iudicant vos in domo, iudicant in platea: iudicant vos in foro, iudicant in Ecclesia: iudicant vos in aula, iudicant vos in monte: iudicant vos in mūdo, iudicant vos in Religione: iudicant vos in omnibus locis in quibus estis, etiam in quibus nō estis iudicamini.

Denique pro iudicio Dei totus mundus veniet ad vallē Josaphat: pro iudicio hominum totus mundus est Vallis Josaphat. Iudicium Dei exorditur ab ulu rationis: iudicium hominum ipsum usum rationis prævenit & condemnat. Attestantur huic lachrymæ Rachaelis & sanguis Innocentum Bethlemiticorum: deerant ipsis adhuc quinque anni ad liberum arbitrium: & sufficiebant duo anni & infra ad gladium: *ab imatu & infra*. Post usum rationis Deus non iudicat nisi duas vitæ partes: tertiã tollit mors quotidiani, quam vocamus somnum: quia sicut nec meriti, nec peccati est capax, sic nec Deus illã iudicat. In iudicio hominum aliter accidit, nec dormientes quidem ab illo liberi sumus. Dormiebat Joseph quando somniabat, & quia somniaverat, à fratribus suis condem-

natus fuit ad mortem: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum.* Gen. 37. v. 19.

Deus veniet in suo iudicio iudicaturus vivos & mortuos: homines in suo iudicio iudicant vivos, mortuos, & nascituros. Nunquid meministis historiæ de cæco nato, cui Christus visum donavit: necdum fuerat natus, & jam tum peccator iudicatus: *Domine, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ecce quomodo peccare poterat, antequã nasceretur. Deus iudicat tantũ factũ, homines etiam impossibile.

Diem iudicii gratias præcedent minæ: minabitur Sol, minabitur Luna, minabitur Stella, cœlum, mare, terra, totus minabitur mundus. Nihil horum in hominum iudicio fiet: sed ex hoc magis timendum, Deus minatur ad iudicandum homines iudicant non minãdo. Extremi iudicii diem præcedent signa multa, *Erunt signa in Sole & Luna: sed notate differentiã.* In iudicio Dei signa concordant cum iudicio: in iudicio hominũ secus. In iudicio Dei signa conveniunt iudicio, quia signa sunt terribilia: quia terribile est iudiciũ. In iudicio hominum, iudiciũ non concordat signis, signa enim signa sunt amicitie, & iudiciũ est odii. Exemplum hujus videte in Juda; signa erant amplexus, & iudiciũ erant vincula: *Traditor autem dedit eis signum.* Ecce signum!

Marc. quem iſcſulatus fuero, ipſe eſt, tenete
14. v. 44. eum : Ecce iudicium ! Verum eſt

Math.
25. v. 41. ignem æternum. Secus faciunt ho-
ibid. v.
34. mines. In ſuo iudicio dicent: *Venite
benedicti*, eodem temporis momẽ-
to profundum inferni imprecãdo.

Deus iudicat ut iudex: homines ut
conjectores. Inter iudicem & con-
jectorem iſta eſt differentia, quod
iudex caſum ſupponit, Conjector
divinat, quot hodie per divinationem
iudicatos videmus & condẽnatos:
non propter hoc quod fecerunt, ſed
quod faciendum non fuiffe divinat.
Iudicium Dei (licet ipſe naturã ſuã
ſit immutabilis) ſi convertimur &
mutamur, mutatur. Iudicium hominum
(licet ipſã ſint mutabilitate mutabiliores)
quantumcunque mutatur, non mutatur.
Murata eſt Magdalena, & ex iudicio
Dei egreſſa ſancta: ſed in iudicio
Phariſæi tanta ut ante miſit peccatrix.
Quoniam peccatrix eſt.

Lucæ 7.
v. 39.

Deus iudicabit juxta præcepta &
mandata, quæ qui obſervavit, ſecurus
eſſe poteſt: In iudicio hominũ
obſervare mandata nihil prodeſt.
Perfecisti quæ præcepta ſunt vobis,
& exactius quam præceptum fuit,
nihilominus condemnabimini. Deus
iudicat quemque per hoc, quod eſt.
Homines quemque iudicant per hoc
quod ſunt. Dicam cla-

rius. Deus iudicat nos per nos: ſed
homines nos iudicant per ſe. Unde
ſequitur: ut bene iudicemini à Deo,
ſufficit quod ſitis boni: ſed ut bene
iudicamini ab hominibus, neceſſe
eſt, ut nemo ſit malus. Terribile iudicium,
in quo, ne cõdemner ego, requiritur
ut totus mundus ſit bonus! In iudicio
Dei erit juſtitia ſine miſericordia: in
iudicio hominum, nec juſtitia erit, nec
miſericordia. In iudicio Dei, ſufficit
bonum eſſe in ultimo vitæ inſtanti, ut
quis æternum eſt bonus: in iudicio
hominum, ſufficit fuiſſe malum quocun-
que vitæ tempore, ut quis æternũ
ſit malus. Si fuiſti bonus, & es malus,
iudicant te malum ex eo quod es: Si
fuiſti malus, & es bonus, iudicant te
malum ex eo quod fuiſti: Si es, &
fuiſti bonus ſemper, malum te iudicant
ex eo, quod eſſe poteris. Num ſimilis
atrocitas iudicii erit poterit? Culpæ
in Prophetia, & Prophetæ in vinculis?
Joannes in Vinculis!

§. XI.

ABſolvi ſermonem; accidiffe mihi
videtur, quod malis accidit
Medicis, & malis conſiliariis. Malus
medicus gravem & periculoſam
aſſerit eſſe infirmitatem, nec applicat
remediũ. Malus Cõſiliarius in-
cõvenientias exaggerat, nec emẽ-
dandis remedium ſuggerit. Etiam
prædicatoris officium eſt curare
con-

confiliumq; suggerere. Exaggeravi infirmitatem, expendi inconvenientias, ostendi cæcitatem, injuriam, injustitiam, tyrannidemque humani judicii: sed quid remedium, quo nos ab hoc liberemus judicio? Si non detur remedium, magis adhuc timenda est hæc ultima circumstantia, quàm omnes reliquæ hæctenus consideratæ. Et reverè difficile imò impossibile videtur invenire remedium, ad evadendum hominum judicium, cum sit tam frequens, tam liberum & temerarium. Sed audiamus, quid in hac materia resolvat Omnipotens per sapientiam infinitam. *Nolite judicare, ut non*

Matth.

7. v. 1. &

2.

judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Si nolitis ut vos judicent, non judicetis; nam eodem judicio, quo judicaveritis, judicabimini. Hæc sententia Christi, vel potest intelligi de judicio hominum de hominibus, vel de judicio Dei de illis: Si intelligitur de judicio Dei de hominibus, est absolutè & universaliter vera; sed si intelligitur de judicio hominum de hominibus, neutiquam. Unde rursùs confirmatur millies, rigidius & magis timendum esse judicium hominum, quàm Dei. In judicio Dei de hominibus est semper vera, nam sicut dicitur: *Et dixit sanctus Chrysofostomus:*

*S. Chry-
sost.*

judicium, quo nos judicamus nos invicem, est lex, quam ponimus Deo quatenus ille per eam etiam judicet nos. *Legem prius ipse posuisti severius de his, quæ proximis peccaverit judicando:* Nam si nos judicaverimus cum benignitate nostros proximos, etiam Deus non benignè judicabit: si nos illos judicaverimus severe, ille pariter judicabit nos cum severitate: ita ut in judicio Dei de hominibus hæc regula sit generalis sine exceptione: verùm in judicio hominum de hominibus exigiam habet certitudinem & probabilitatem, ut & ipsum Christum, qui tam benignus est in judicando & condonando omnibus, hanc incertitudinem, injustè judicat ut & condemnatus experiri oportuerit. Si Christus summa innocentia habuit Annam, Caipham, Pilatum, & Herodem, qui illum judicarunt & condemnarunt; quis erit homo tam innocens & justus, qui per istos quatuor judices non habeat quadringentos, qui illum judicent & condemnent. Nihilominus hæc eadem sententia, quamvis universaliter non est certa in judicio hominum de hominibus; at tamen per dictamen naturale rationis, & per providentiam particularem Dei sapius in illis verificatur illud Christi: *Nolite judicare & non ju-*

*Lnc. 6.
37.*

dicabimini , nolite condemnare & non condemnabimini. Scitisne , quare toties tam injuste sumus iudicati? quia toties sumus iudices , & iudices injustissimi : quia vos aliena iudicatis opera , hinc alii iudicant vestra : quia vos iudicatis verba aliena , hinc vestra verba iudicant alii: quia vos alienas iudicatis cogitationes , hinc alii iudicant vos & condemnant , usque ad id , quod ne in mentem quidem vobis venit. Ecce remedium. Non vultis esse iudicati ? ne sitis iudices , Iudicium hominum duo includit , quæ in nobis sūt: nos sumus iudices , & nos sumus qui iudicamur : si iudicari nolumus , non iudicamus. S. Iacobus in sua Canonica dicit , quod Angelus non ausus fuerit iudicare Dæmonem ? si unus Sera- phim non audebat iudicare unum Dæmonem ; qua fronte unus homo auder iudicare alium hominem ? Si iudicare volumus , introrsum convertamus oculos , ibi tantum ad iudicandum , examinan-

dum & condemnandum invenientes nos ipsos : ut ibi tantum habeamus agere & admirari , ut nec mora , nec animus nobis sit remansurus alium quemquam iudicandi. Itaque Christiani rogo vos pertimorem Dei , per hoc quod debemus Christo & animabus nostris , ut sermonis hujus fructus sit , valde pertimescere & cavere temerarium iudicium , non illud in quo iudicamur , quia hoc culpa nostravacat : sed illud in quo iudicamus alium , quod est nostri condemnatio. S. Paulus ait : *In eo quod alterum iudicatis , te ipsum condemnas.* Quot damnati hodie sunt in inferno propter unum iudicium temerarium ! Deus per suam misericordiam liberet ab isto peccato tam facili & usitato , in quo toties impingit charitas ; in quo tam graviter intrlicantur conscientiæ ; in quo tam periculosè perditur gratia simul & gloria : quam mihi & vobis &c.

Ad Rom.
2. v. 1.

S E R M O

PRO

Dominica tertia Adventûs.

*Tu quis es? & quid dicis de te
ipso? Joann. i.*

§. I.



TIAM hodie habemus iudicium; & hoc est tertium. In sermone primo, vidimus iudicium Dei erga homines: in secundo vidimus hominum adinvicem: Hodie in sermone tertio, videbimus iudicium uniuscujusque erga seipsum: *Tu quis es? Quid dicis de te ipso?* Verba ista propositionem quandam, seu legationem, Sacerdotum & Levitarum à Consilio Ecclesiastico Hierosolymitano ad Baptistam destinatorum complectuntur. Propositio erat ista. *Tu quis es? Quid dicis de te ipso?* Quæstionem hanc resolvere statui. Quia licet materia hæc gravissima sit, maximique ponderis ubivis terrarum: hæc tamen loco propria magis, convenientiorque videtur: *Tu quis es? & quid dicis de te ipso?*

§. II.

PRIMUM quod considero, est, quod legati hi ex interrogatione una quæstiones fecere duas. Una erat interrogare Joannem Baptistam quisnam esset, & huic sufficere videtur: *Tu quis es?* Alii illi dixere: *Tu quis es, & quid dicis de te ipso.* Præterea Legati isti non erant Aulici, sed Ecclesiastici, Sacerdotes & Levitæ: intrin perprudenter sunt locuti, penetrantes negotium, & velut styli mundialis apprimè gnari. Egressi interrogatum Baptistam quis esset, dixerunt: *Tu quis es, & quid dicis de te ipso?* Homines enim confitentes de se ipsis, aliud de se dicunt, & aliud sunt; nullus definiendo se describit, omnes se decipiunt in genere, & differentis. Enim verò, quantum inter se differt hoc, quod de vobis dicitis, & quod estis! porro pessimum est,

est, quod hæc sæpe non differant; quia quod estis, nihil est: & quod dicitis, infinitum est. In materia hac: *Tu quis es*, quilibet homo bis mentitur: simul enim mentitur sibi, quia plus cogitat, quam est: & semel vobis: quia semper plus dicit, quam cogitet, & opinetur. Optime igitur Legati hi inter, *Tu quis es*, & inter, *Quid dicis de te ipso*, distinxerunt. Et interrogatum profecti, *Quis esset*, & quid diceret, sunt suscitati: nemo etenim ram æquus sui ipsius est Judex, qui dicat hoc, quod est; aut hoc sit, quod dicit. Raphaël Angelus peregrini habitu assumpto ad Tobiam locuturus intravit; porro antequam filium suum, ad aggrediendum, notum ex Scriptura sacræ iter illi crederet, dixit; *Rogo te, indica mihi, de qua domo, & de qua Tribues tu?* Quæstio hæc sufficit sanè ad Angelum quandam intricandum; Responsio verò fuit notabilis: *Ego sum Etzarias Ananiæ magni Filius*. Sicut more nostro Caroli Magni, Pompei Magni, Alexandri Magni. Siccine respondet aliquis Angelus! In Deo est Pater & Filius; in hominibus & animantibus sunt patres & filii: in plantis suo modo est generatio: solis in Angelis, ex omnibus Mundi viventibus (creatum cum increato combinando) solis in Angelis

non datur generatio, nec pater nec filius. Si igitur in Angelis non est generatio; si in Angelis non datur, nec dari potest pater & filius, quo pacto dicit Raphaël Angelus, quod Ananiæ magni sit filius: Certare ausim, quod præsentium quidam, dum hæc loquor, dicturum me putabant ad exaggerandum assumptum meum, quod in materia; *Tu quis es*, etiam Angeli mentiantur. Absit a me hujusmodi proferre commenta; in loco hoc non nisi solidas veritates pronunciare oportet: Angeli nec mentiri, nec errare queunt (loquor de bonis). verum hinc difficultas augeatur. Si enim Angeli nec errare, nec vestiti dissonum quicquam asserere possunt, quoniam pacto Angelus Raphaël Ananiæ Magni se filium asseverat: Doctores huic dubio respondent variè, ego respondebo comparativè. Prodit in theatrum quispiam repræsentans Luciferum Comædus, tridentemque vibrans, in Deum fulminare incipit blasphemias: prodit alius Nerone[m] agens, gladium evaginans capita rescindi, sanguinisque rivus per Romam de Christianis manare præcipit. Tertius in medium prodit Gentilem referens, Jovisque statuâ offensâ, prostratus in terram pectus tundit, & incensum offert. Hic interrogò. Primus

Tob. 5. v.
16.

Ibid. 18.

mus iste estne blasphemus? Secundus iste personatus estne Tyrannus? Tertius iste Comædus, estne Idololatra? Clarum est, quod non. Primus blasphemus non est, quamvis blasphemias dicat; Lucifer quippe non est, licet personam ipsius agat: Secundus Tyrannus non est, quamvis Christianos occidi mandet; quia Nero non est, quamvis personam ipsius gerat: Tertius idololatra non est, licet ante statuam Jovis genu flectat: Gentilis enim non est, tamen si Gentilis personam repræsentet. Idem ego in nostro assero casu. Angelus mentitus non est, nec mentiri potest, quantumvis alicuius quid à veritate pronunciet: Homo enim non erat, hominis tantum ostentans figuram. Alium proinde Angelum hujus asserionis meæ fidei iussorem adduco. Apparuerunt Abrahamo in valle Mambretres Angeli: unus maximæ authoritatis, quem adoravit, & alii duo minoris, qui illum comitabantur: & quoniam Sara Uxor Abrahamæ esset sterilis, promisit illi Angelus principalior, se post annum eodem tempore reversurum vitâ comite; tuncque Saram habituram Filium. *Reversens veniam ad te tempore isto vitâ comite, & habebis Filium Sara Vxor tua.* Quis est, qui non consideret illud,

Vitâ comite dictum per Angelum & non locutus est tantum Angelus unâ vice in his terminis, sed duabus: nam cum Sara dubitaret de promissione, ille reversus ad confirmandum sermonem suum dixit: *Iuxta conditum revertar ad te hoc eodem tempore vitâ comite.* Si igitur Angeli per naturam sunt immortales, & eorum vita nullo casu potest deesse; quare promittit iste Angelus, non absolutè, se conditionaliter, quod reversurus sit, si supervixerit; *Vita comite.* Ratio non solum humana, sed & Angelica fuit: quia iste Angelus & alii duo (prout textus declarat) apparuerunt Abrahamo in figura hominum: *Apparuerunt ei tres Viri.* Et hos ille tractavit, illique sciverunt se tractari in omnibus velut homines, & acceptantes mensam, & alia hospitalitatis fercula: & quoniam homines prudentes in consideratione incertitudinis & contingentiæ mortis, quando aliquid promittunt de futuro, addunt, si Deus mihi vitam dederit: hinc Angelus addidit eandem conditionem. *Vita comite.* Non enim loquebatur ut Angelus, qui erat; sed velut homo, cujus figuram tantum repræsentabat. Eodem modo, & eadem, imò majori proprietate

te loquutus fuit Angelus Raphaël in responfo, quod dedit Tobia; & ut hominis figuram competenter exhiberet interrogatus quisnam efferet, *Tu quis es?* Respondere debebat non quod erat, sed dicere quod non erat: ita fecit. Nihil quippe magis propriū est hominibus, quā interrogatos, quinam sint; unum dicere, & aliud esse. Et notate, quod Angelo, viatoris ad instar ad iter præcincto naturæ conformius fuisset ruricolæ cujusdam, aut pastoris se filium nuncupare; nihilominus non aliud, quā Ananiæ magni se filium nominavit: quia non est homo conditionis tam vilis & abjectæ, viatorq; pedestris, quin interrogatus unde veniat; ab Anania magno, respondeat: *Ego sum Ananiæ magni filius.*

Tob.

Quemadmodum Tobias angelū, ita hodie Baptistam Sacerdotes & Levitæ interrogant: *Tu quis es?* Et ille vir tantus quid responderet? *Et confessus est, & non negavit: & confessus est, quia non sum ego Christus.* In tota Scriptura sacra non est similis huic loquēdi modus. Evangelista idem assertum tertio repetit, tanta enim tres ipsi visa est, quod Baptista se Messiam negaret; ut nisi hoc toties dixisset, nec ille pro merito istud explicaret: nec nos, fide illi habituri essemus. Ast mihi nunquā tantus visus fuit ille Baptistæ actus, quanti æstimatur. Enim

Ioan. 21.
v. 20.

verò, quidnam Baptistæ faciendum erat? Nunquid Messiam se esse dicendū erat? Hoc ipsum nec in mentem quidem Baptistæ venire poterat, neq; consciētia dicere permittebat: rationabiliter hoc cogitare non poterat, si quidem ipse ex Tribu Levi originem trahebat, & Messias regia ex Tribu Juda oriūsus erat. Neq; consciētia id asserere permittebat: siquidē circa gravissimā totius mūdi materiam versabatur. Quorsū igitur hunc Baptistæ actū toties Evangelistæ repetunt, & SS. Ecclesiæ Doctores tantum exaggerant & deprædicant? Quia tā natura insitum est hominibus, ut ultra quod sunt, se æstimēt, & plus de se dicant, quā cogitent: ita, ut, quod ratio hoc casu Baptistam non excæcārit, neq; conscientia offenderit, omnium humanorum actuum maximus habeatur mirū profectō videtur. quod interrogatus homo, *Tu quis es?* qui liberè se Messiam pronunciare potuisset, & hoc nō fecerit. Evāgelista tertio hoc ipsum repetat, ut fides hoc credat: *Et confessus est, & non negavit.*

§. III.

Legati tandem non inventio, qui Messiam ipās indicaret, è deserto sunt reversi: ast ego locum, Gentemque scio, ubi legationes suæ spe frustrati non fuissent. Si Sacerdotes & Levitæ alias ad oras appellerent, nobiliore seq; ades adirēt inter-

NB. Be-
thlehem
est Con-
ventus
Regius
Ordinis
S. Hiero-
nymy &
distat u-
na leuca
à Lisboa.
Isaia 9.
v. 6.
Malach
4. v. 2.

Psal. 71.
v. 7.

Isai. 3. v.
3.

interrogantes, *Tu quis es?* Certò cer-
tius Messiam invenirent, Et ubi? mil-
liari uno seu leucâ à Bethlehem
quamvis non in palæstina. Unus
Messiam se diceret, eò quod hu-
meris ipsius totum Monarchiæ
pondus incumbat, *cujus Imperium
super humerum ejus.* Alius consilium
suum¹, nostrum custodem Ange-
lum diceret: *Et vocabitur nomen e-
jus magni consilii Angelus.* Tertius
Messiam se venditaret, quod ex ca-
lamo suo nostra salus dependeat:
Et sanitas in pennis ejus. Alius Mes-
siam se ex eo adstrueret, quod pax,
quâ hisce annis frui sumus, fuerit
fructus virgæ suæ justitiæ: *Erit in
diebus ejus justitia & abundantia
pacis:* Aliàs Messiam se affirmaret,
eò quòd Deus quidam armorum,
seu Mars esset, suoq; nos robore, &
viribus defenderet: *Vocabitur no-
men ejus, Deus fortis.* Defuturus tan-
tummodò esset, qui Messiam se nū-
cuparet, quod alacer expeditusq;
esset, ad vincendum, velociterque
spoliandum: *Voca nomen ejus acce-
lera, festina, spolia, detrahe.* Quamvis
enim ad bellum magno accingi-
mur animo, ad victorias tamen
lentâ progredimur gravitate.

Om nibus hisce modis, singulisq;
rationibus adductis, major hodie
in aula nostra, circa quæstionem,
quis nam Messias esset, major foret
contentio, quàm olim inter Disci-
pulos agitata fuit; *Quis eorum ma-*

ior esset. Et reverà hodie nulla vidē-
tur eorum, quæ olim Prophetæ tã-
quam veri Messix præcones futu-
ra prædixerunt. Prophetæ vaticini-
nati sunt, Messiam oculos daturum
cæcis, gressum claudis, munditiam
leprosis, vitam mortuis: *Tunc sallet
sicut cervus claudus: & aperta erat
lingua mutorû &c.* Omnia miracula
diebus hisce nostris videmus. Quot
hodie videmus cæcos cum oculis!
Quot claudos & paraliticos, stan-
tes & erectos! Quot mutilos & man-
cos manibus nūc verò extētâ ma-
nu! Quot leprosos mūdōs! Quot de-
niq; mortuos, seu quos esse mortu-
os oportebat & sepultos resuscita-
tos & viventes! Quoniam igitur pa-
cto potestas, cuius virtute hæc mi-
racula fiunt, negari potest, quin sit
potestas Messix? ulterius, Prophe-
tæ dicunt, tempore Messix lanceas
& gladios convertendos in falces: *Isai. 2. v.
Constabunt gladios suos in vomeres &
lanceas suas in falces.* Et tempore,
quo præsentis beneficio pacis, vel
futuri oblivione belli, arma facta
ad ferendum, impēduntur ad me-
tendum: Et quo tempore tympana
pulsanda ad movēdum, copiæ movē-
t ad colligendum: Et quo tēpore
spolii trophæisque ornanda essent
tēpla, & instrueda granaria publica,
implentur granaria & solaria priva-
ta, quo pacto nō erit, qui se Messia
jactet? ulterius dicunt Prophetæ,

Isai. 40.
v. 4.

humiliandos Messiaë tempore, montes, vallesq; implendas: *Omnis val-
lis implebitur & omnis mons & collis
humiliabitur.* O quot montes præ-
teritis temporibus culmine suo
Stellas contingere visi, hodie vi-
dentur vel quasi non videntur hu-
miliati & depressi! & è cõtrario,
quot valles paulò antè tã humiles,
hodie sũt adeò impleta: *Omnis val-
lis implebitur,* & fortuna hanc fa-
ciens mutationem, non sit inã qua-
litas & nõ vocetur iustitia; quomo-
do non fortunæ loco habendũ, ut
quis sit Messias? Amplius quid asse-
verã: Prophetæ, scilicet, quod Mes-
sia tempore lupi confociati vivent
cum agniscitè, quod leo & bos eã-
dem pascètur escã: *Habitabit lupus
cum agno, & leo quæ sibi comedit pa-
leas.* Nisi lupi tã sagaces essent ne-
gando suam pellem, oculis hodie-
dum probari posset impletio hujus
Prophetiæ. Attamen magis adhuc
quàm à lupis, timerem à leonibus
ore præferentibus paleas; sed qui
feras istas stabulis infuctas jumen-
torum adinstar cicuraverit, nonne
hius industria suæ, velut miracu-
lorum authores, se Messiam esse
non præsumerent?

§. IV.

Nullus dubitabit, quin sæculum
nostrum, cũ sæculò Messiaë magnã
habeat conformitatem, nostrorũ-
q; miracula temporum cũ suorum
felicitatibus (non dico vitiis) tẽpo-

rum certare possint. Verũ hoc ip-
so, quod sibi sic assimilãtur, ipsã ta-
men similitudinẽ, tentationis vo-
bis causã, non optarẽ. Verũ enim
verò quare Baptistæ inessej vobis
modestriã diffido? persuasum vobis
habetote pro certo quãtò magis
miraculosos vos in conceptibus
vestris imaginabimini, tantò magis
principalem vobis deesse Messiaë
conditionem. Et quã nã ista princi-
palis est conditio Messiaë? Est illa,
quã definitivè & signavit illũ Deus,
Abrahamo eundem promittendo:
In femine tuo benedicentur omnes. Gen. 12.
v. 18. *gedũ,* si benedictionẽ habetis pro
omnibus, liberrimè Messiam vos
esse vobis imaginamini: Sin verò
pro quibusdam tantũ, & non pro
cæteris benedictionem habetis cog-
itationesj similes & conceptus
missos facite.

Gabriel angelus beatissimæ Vir-
gini Mariæ, quod Messiaë mater fu-
tura esset annuncians, verba hæc
addidit: *Dabit illi Dominus Deus se-
dem David Patris ejus, & regnabit
in domo Jacob in æternum.* Luc. 1.
v. 32. Ultimam
hanc clausulam meritò omnes cõ-
siderãt Interpretes, quare in domo
Jacob, & non in domo Abrahamæ,
vel Isaac Messiam regnaturum An-
gelus affirmet: si Abraham & I-
saac non fuere Reges, nec Jacob
sceptro, regiãve corona fuit insignis;
in dõ Abraham quinq; Regum
fuit victor insignis quod modo
suo

Isai. 11.
v. 6. 7.

Gen. 12.
v. 18.

Luc. 1.
v. 32.

suo regiam excedit dignitatem : verus ejusdem Regni Messias e-
 itemque Abraham & Isaac, Jaco-
 bum ætate præcesserunt. Enim
 verò si promissio facta fuit Abrahæ,
 quando, evaginato gladio Isaac
 immolare parabat; quare igitur Mes-
 sias non in domo Abraham, seu
 Isaac, sed in domo Jacob regnaturum
 Angelus asserit? Ea motivum
 ratioque altissima. Domus Abrahæ
 duos habebat filios Isaac & Ismael,
 sed pro Isaac tantum, & non pro
 Ismael benedictio erat. In domo
 Isaac duo pariter continebantur
 filii; nimirum Esau & Jacob: sed pro
 Jacob tantum modò, & non pro
 Esau fuit benedictio. E contrario
 domus Jacob duodecim habebat
 filios tanta benedictione abundans,
 ut pro omnibus & singulis filiis sup-
 peteret benedictio. Hanc igitur
 ob causam, Messiam in domo Ja-
 cob, & non in domo Isaac, aut A-
 braham regnaturum Angelus edi-
 xit; quia Messias non est instar A-
 brahæ, neque instar Isaac, qui be-
 nedictionem tantum habent pro
 quibusdam, & non pro reliquis; est
 instar Jacob, Filii unius & nepotis
 alterius, in quo fuit impleta Pro-
 phetia & benedictio pro omnibus,
In semine tuo, &c. Solum benedi-
 ctionem pro omnibus habens ho-
 minibus mundi, verus est Messias;
 & pro Regni cujusdam hominibus
 tantum benedictionem habens,

verus ejusdem Regni Messias e-
 rit.

Quod Liberatâ Lusitaniâ omnes
 omnino de benedictione sibi gra-
 tulati sint probare non præsumo:
 Verum quod benedictionem ha-
 beant multi eandemque, quam Ja-
 cob (quod sibi imaginantur non
 pauci) hoc nec probabunt unquâ,
 nec probare valebunt. Vocavit
 ad se Jacob filios suos, ut benedic-
 ret singulis, priùsquam moreretur.
 Porrò notanda est differens ver-
 borum formula, & comparatio-
 nes, quibus ultimas hæc cæremoni-
 as celebravit. Accessit Judas, cui
 Leonis benedictionem impertivit;
Accubisti ut Leo. Accessit Neph-
 tali, & cervi benedictionem acce-
 pit: *Nephtali Cervus emissus.* Acces-
 sit Dan, benedictionemque ser-
 pentis reportavit! *Fiat Dan coluber*
in via. Accedens Issachar asini be-
 nedictionem recepit: *Issachar asi-*
nus fortis. Accessit Benjamin, & di-
 xit illi: *Benjamin Lupus rapax.* Deus
 bone. Quanta est benedictionum
 istarum inæqualitas? Quibusdam
 datæ sunt tantæ tanque grandes,
 aliis tam exiguæ & viles: uni benedi-
 ctio serpentis, alteri Cervi; alii
 benedictio Asini, & alteri Leonis?
 Ita planè; siquidem impertinens
 illas erat Pater, & recipientes illas
 erant filii: ut intelligatur benedi-
 ctionum disparitatem non argue-

NB. Lu-

stania

per 60.

annos

sub jugo

fuit Hi-

spanico,

& per

40. an-

nos con-

tinuum

cum illis

gestis bel-

lum.

Gen. 49:

v. 9.

Ibid. v.

21.

Ibid. 17.

Ibid. 14.

Ibid. 27.

re inæqualitatem amoris in dante, sed meritorum differentiam in recipiente. Judæ tanquam magnanimo & generoso benedictio datur Leonis: Nephtali tanquam veloci minufque generoso datur benedictio cervi: Dan prudentiori quidem, sed virulento benedictio impertitur serpentis: Issachar robusto, sed prudentiæ tenuioris a fini obvienti benedictio. Benjamin audaci, sed simul voraci datur benedictio Lupi. Nunquid benedictiones competenter sunt distributæ? Ecquis id negabit: verum scitiffine quare nemo suâ fit benedictione contentus: quia omnibus deest cognitio sui ipsius, *Tu quis es?* cognoscant singuli se ipsos, & omnes utique erunt contenti. Leonem se noverit Leo, cervum se secat cervus, colubrû se agnoscat coluber, Asinum sese Asinus, & Lupus Lupum se cognoscat; & mox contenti erunt. Sed cum omnes sui ipsius æstimatione & judicio excæcentur, incompetentem speciei suæ appetit benedictionem: destitutus prudentiâ asinus, colubri benedictionem affectat; & cervus nec robore, præditus nec generositate, benedictionem appetit Leonis.

In mundi exordio benedictionem suâ Deus omnibus impertivit animalibus & plantis: *Benedixit eis: ut crescerent omnibus dixit: Crescite & multiplicamini*, S. Scriptura verò

hoc factum notat, *secundum species suas*. Proinde quilibet intra speciem suam crescere sit contentus: Quilibet intra collati sibi à Deo talenti sphaeram crescere sit contentus, & mox cognoscent omnes, quod benedictionem quilibet in suo habeat Elemento. In aëre Hirundinẽ se esse acquiescat Hirundo; & quæ major benedictio, quam in regiis habitare posse palatii: In mari Remora se Remoram esse sit contenta, & quæ major fortuna, quam, licet sit pusilla, sistere posse navem, & quidem talem ac tantâ, qualis & quanta in Indiam tendit: In terra formica se gaudeat esse formicæ, & quamnam benedictio felicitatis; major, quam granariû pro æstate simul & hyeme habere instructum: Ex omnibus vero Elementis morbi nascitur melancholicus, quia nemini juxta speciem suam sufficit crescere: Hirundo magnitudinem ambit aquilæ; Remora corpus affectat Balæniæ; formica usque ad Elephantem appetit accrescere. Et quia formicæ Elephantes se faciunt, pro uno formicarum nido, tota nõ sufficit terra. Deceptionis hujusce simul & veritatis, æqualia in plantis exempla habemus. Arbor *Maisamam* major est flore *Heliotropio*: nihilominus ex omnibus, quæ suo calore Sol vegetat, nihil adeo gratum se Soli exhibet, sicut *Heliotropium*; ab ortu Solis usque ad occasum ejus, sem-

semper illum comitatur in terra, se illi inclinando, tamq; reverenter venerando uti videmus. Eja Flos Campi! quid sibi volunt istæ erga Solem gratiarum actiones? Nonne vides tot arbores & plantas, quæ plus à Sole, quam tu recipiunt? Ut quid igitur te omnibus gratiorem esse oportet? Quare? quia intra meam me colloco sphæram, Florè me cognosco, neminem plus Soli obligatum invenio quam me, quia Florum Gigantem me fecit. Si quilibet suæ se sphære circulo circumscriberet, ah quot invenirentur Gigantes! Quare vestra non floretis benedictione contenti? Quare Soli essetis ingrati, si Florum vos Gigantes (non dico benè) si ex Floribus Gigantes vos fecit? O quot Gigantes sunt ingrati! singulariter notanda venit altitudo Cypressi tam proceræ. Si Cypressus vulgus plantarum, teq; inferiorum nobilitatem arborum è sublimi prospiceret, non contenta tantum foret, sed superbiret: ast Cypressus ex alto Montis Libani Cedros contemplans, easq; turres à natura conditas videns, non à què conteata vivit, eò quod pyramidem se videat. Qui cunq; suam se non meritor & circumscribit sphæram, quantumvis sit Cypressus, toties truncos suos in altaribus videns, quiescere nequit. Non duo, ut quilibet crescere curet, sed quod est,

cognoscat: *Tu quis es? & postmodum crescat, secundum speciem suam.*

Enim verò extra suam crescere sphæram, non augmentum, sed monstrum facit: saltem benedictio non est. Ex nobilioribus Benedictionibus Jacob ad filios suos, fuit illa Ruben, & Joseph. Jacob dedit benedictionis loco Joseph, ut cresceret: *Filius accrescens Joseph*, filius *accrescens*: Ruben verò, ne cresceret: *Non crescas*. Estne possibile benedictionis loco impertiri, non crescere, *Non crescas*: Estne possibile benedictionem esse posse, non crescere? Id ipsum luna asserat, non potuisset lunæ melior dari benedictio, quam non crescere; nisi enim cresceret, non utique decrederet. Nimum crescere, quot, quæso, hominibus non benedictio sed maledictio fuit? Verum enim verò quæ de causa in Joseph, *crescere*, & in Ruben, *non crescere*, est benedictio? Merita Josephi, & demerita Ruben in propatulo sunt. *Crescere*, in merente seu digno, est incrementum; in non merente, est crescentia; incrementum verò est magnificentia: crescentia est turpitudò. Si crescere potestis cum incremento, crescite cum benedictione Domini: *Filius accrescens*: si non nisi per crescentiam crescere cõcedi-

Gen. 49.
v. 22.
Ibid. v.
34

tur; *Non crescere*, benedictionem reputate; *Non crescas*. Quilibet suam noverit sphaeram: *Tu quis es?* & omnes vel quasi omnes suam benedictionem invenient, *in semine suo*; Cessabuntque Messiam quærere in deserto, ubi non invenitur: *Et confessus est, & non negavit*.
 70 ann. 1.
 v. 26. Hac cognitione intelligent, quod habeant in medio sui Messiam, sicut dixit Baptista, *medius vestrum stetit*.

§. V.

Legati jam certiores facti, quod Baptista Messias non esset quæstionem suam urere, *Tu quis es?* interrogantes num Elias saltem esset, *Elias es tu?* Tentationes quandoque minores, in hominibus præsertim scrupulosi, difficilius vincuntur, quàm graviores; Constantia verò Baptistæ omnibus modis invincibilis erat; sicut ad primam interrogationem sese Messiam esse negavit, *Non sum ergo Christus*. Secundam, *Eliam sese esse*, negavit. *Non sum*. Quid prodest quippiam quærere, ubi non invenitur? Textus, hæc trans Jordanem facta, asserit: *Hæc facta sunt trans Jordanem*. Veniant legati *trans Tagum*, & certò certius invenient, *Eliam*: *Tu quis es? Elias es tu?* quis dubitat? Ergò quis Elias, nisi Ego? Zelus meus bonum urget commune;

En zelum meum pro fide & Christianitate; Zelum in Regio servitio, zelum meum pro conservatione & patriæ profecta; si hoc est *Eliam esse*, præter me non est Elias. Vestræ saltem præsumptioni descendendo, tantùm mihi videmini habere de *Eliam*, quod non alium præter quam vos ipsos *Eliam esse* vobis imaginemini. Elias quondam dicebat: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo Exercituum, & relictus sum Ego solus*. q. d. Ego solus honorem cultumque; veri Dei quæro, & promovere conor, reliqui omnes sunt *Idololatræ*, nec Deus quenquam, præter me habet in mundo. Eodem vero die, quo dicebat hæc *Elias* ostendit ipsi Deus, quod eadem in terra septem millia haberet virorum, qui non curvassent genu ante *Baal*. *Derelinquam vobis in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal*. *Eliam* putante non esse sibi similem in mundo vel unum, tunc ad minus septem millia virorum dantur ipsi similia. Et vestrum quilibet se solum esse autumat? Non solum estis homo de mille, sed de millenis millibus; dantur septem, imò septuaginta millia virorum similia vobis, & fortè meliorum.

Non ægrè feret *Elias* pallio suo metiri spiritum suum, Agite, pallium

torfluens
& in mare
re influens.

3. Reg. 19
v. 14.

3. Reg. 19
v. 18.

Ibid. 28.

NB. Tagus est fluvius Jordanem. Veniant legati trans Tagum, & certò certius invenient, Eliam: Tu quis es? Elias es tu? quis dubitat? Ergò quis Elias, nisi Ego? Zelus meus bonum urget commune;

ium Eliæ, cum Prophætæ, ejusdem quasi nominis Ahîæ pallio conferamus, videbitque Elias quidnam illud, *unicum* sit reputandum, quantum differat inter pallium & pallium, inter spiritum & spiritum, zelum inter & zelum. Obviabat vice quâdam Ahias Jeroboamo Ministro Salomonis & non Regi, vestitus eâ vice pallio novo, *opertus pallio novo*, inquit textus. Ne malum putetis palliorum considerare novitatem: Ipsemet S. Scripturæ Author Spiritus sanctus novitatem hanc considerat. Denique Ahias vates sublatus ab humeris pallium forcice arreptâ, semel iterumque, & undecies scindit, & sic pallium fuit divisum in partes duodecim: & dixit, eodem modo dividendum Regnum Salomonis in duodecim Tribus; quarum decem spectarent ad Jeroboam. *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.* Ita Propheta dixit, & sic factum est, conversusque ad Regem inquit, *sic dividetur Regnum tuum*: Sicque divisum fuit duodecim Tribuum Regnum, in Regnum Israel & Juda. Sed procedamus ad pallium. Regnis nondum divisus pallio opertus novo & integro, divisione jam facta pallio incederet

Pars V.

lacro. O quot videmus hodie cum Ahîæ pallio inverso! ante Regni divisionem pallium gestabant lacrum, & quidem opidò laceratum, regni verò divisio, pallio splendent planè novo & integro. Ista profectò occasione pallia scindi dividique oporteret, ad operiendum particulâ unâ militem nudum; ad vestiendum alia particula pupillum cujus parens obiit in prælio; alia ad velandam viduam, quæ ut solveret decimas patriæ, zelo mota, pallio se nudavit. Quid ad hæc iste Elias? *Quid dicis de te ipsa?* abscidistine quandoque particulam de pallio tuo, aut filium? alium silentium. Ecce vestrum zelum! Verum ad nostros progrediamur zelos. Me quidem quod attinet, acquiescerem facile, si zeli zelatoresque nostri Eliæ similes forent omnes dicunt, pallia dabimus; sed minus avarus est, qui pallium suum bene custodit. In alium migraturus mundum Elias, de quo testaretur, non habuit nisi pallium, quod Elisæo reliquit. Enim verò si Deus hodie generosos aliquot Carmeli nostri in paradysum terrestrem translaturus esset Elias, ad pugnandum postmodum contra Antichristum: affir-

K

marc

3. Reg. II.
v. 30.3. Reg. II.
v. 31.

Psal. 68.
v. 10.

mare autem non paucos de medicare palliorum civitatis hujus testaturos. & ita comesti & à zelo devorati, *Zelus domus tua comedit me:* eritis à zelo comesti, sed valde bene estis comesti. Sunt aliqui, quos comedit zelus, sunt alii qui zelum comedunt: Quoniam verò pacto hi ab invicem discernentur? hoc fiet sumptà per cingulum mensurà. Comedente vero zelo, substantia vestra convertetur in zelum: & contrario vobis comedentibus zelum, vester zelus in substantiam convertetur. O quot dantur zelosi, quorum totus in substantiam convertitur zelus! accipiatur mensura, quàm olim insinuavit Roboam, & invenietur in minimo vos digito grossiores esse hodie, quam olim cum cingulo. Proficiat vobis tam prosperè cedens zelus: argumento id est, quod comedatis zelum, non comesti ab ipso. Verum enim vero utrum zelus vester comedat, seu jejundet, mea non inter est: ad aliquam saltem resolutionem deveniamus, si non comedendum est zelo, jejundet omnes: & si comedendum est, comedat omnes. Sit ardeat zelus vester circa vos, & vestros, ac reliquos, nec erit, qui de zelo vestro conqueretur.

Elias in populi peccata zelo correptus, ad extremum illud

devenit, ut diceret: *Vivit Dominus, in cujus conspectu isto, non erit ros aut pluvia super terram.* Sic Juravit Elias, & ita factum est; triennio integro coelum fuit quasi æneum, ita ut nec clamoribus emolliretur hominum, nec mugitibus vel rugitibus insentium animalium, quæ ruri pascentia siti tabescebant. Exsiccabantur fontes, rivuli & torrentes, lacrymæ exarescebant: quæ cuncta admirationem movent, cum tam atrocis sit circumstantia calamitatis, ut ipsam deplorare non sufficiant qui patebantur. Totum hoc videbat Elias, qui facile emendare poterat, siquidem nubium claves Deus ipsi in manum tradiderat: verum rigor invalescebat, exaruerant omnia, cunctis tamen ardiore erant Eliæ viscera. Quod tam rigidus fuerit hic Propheta, non miror; nam gravitatem penetranti peccatorum, omnis non æterna, levis videtur poena. Verum, quod homines tolerent Eliam, hoc equidem miror & obstupesco. Estne possibile, quod pereundum sit mundo, Eliam remedium habente in manu, cõsumamur omnes, & homines tolerent Eliam? immò verò, tolerant. Scitisne quare? Quia Elias quavis claves teneret manu, tam sibi, quam aliis fontes obserabat: alii indige-

digebant, Elias mendicabat : alii in
 mortis agebant articulo, Elias vi-
 vebat non sine miraculo: alii exare-
 scebat siti , Elias temetipsum
 consumebar : istudque verus est
 zelus. Sed quod in domo vestra
 fontes decurrant, in aliis sint sicci,
 quod super sementem vestram nu-
 bes depluant imbres, aliorum verò
 sementem Sol radiis suis exurat, id
 zeli nomen non meretur : Si tem-
 pus Solem desiderat, siccentur om-
 nes; *Qui Solem suum oriri facit*
super bonos & malos : si tempus
 pluviam petat, irrigentur, omnes :
Qui pluit super justos & injustos. Et
 si zelus ipse dicet, ut inter bonos
 & malos , inter justos & injustos
 conveniens seruetur differentia ,
 malum impendeat malis , sed om-
 nibus malis; Bonumque inclinet
 ad bonos, & ad bonos omnes. Hæc
 veri sanique zeli est conditio.
Dura sicut infernus amulatio. Zæ-
 lum inferno oportere esse simi-
 lem , inquit spiritus Sanctus :
 Notabilis comparatio zeli. Vir-
 tus adeò cœlestis comparatur in-
 fernò? Sic. Inferni virtutes non
 novistis. Scitis , quare zelus
 comparetur inferno ? Ratio est,
 quia infernus est ignis nullum
 hominem bonum offendens , &
 nulli homini malo parcens : ast
 alia ignis zeli vestri est qualitas ,

inter malos suos habet præde-
 stinatos , quos non tangit , in-
 ter bonos suos habet præsci-
 tos , quos consumit. Tandem
 Elias vectus in cœlum , pal-
 lium suum Elisæo reliquit : ze-
 lus recessit , pallium zeli re-
 mansit. Sub honorabili isto pal-
 lio quot non committuntur ma-
 litia: !

Die quâdam Deus Ezechie-
 lem in Spiritu transtulit in Je-
 rusalem , primumque quod vi-
 dit Propheta, fuit locus , in quo
 erat Idolum zeli : Scriptura
 enim ait : *Et ecce Idolum ze-*
li in ipso introitu. Tunc putas,
 Ezechiel inquit Deus non esse
 hic aliud , quàm quod vide-
 tur ? age , parietem perfode ;
 & mirabilia videbis. Perfora-
 to pariete Ezechiel ingressus vi-
 dit in parietibus domus , de-
 pictos colubros , lacertas, ba-
 siliscos , serpentes , aliaque hor-
 ribilissima monstra , in eorum-
 que medio Septuaginta Senes
 Thuribus incensum offerentes.
Et septuaginta viri de Senioribus
domus Israel, stantium ante pictu-
ras, & unusquisque habebat thurri-
bulum in manu sua. Progredere (in-
 quit Deus) & transito altero parie-
 te , quid vidit Ezechiel ? *Eecce*

Ezech. 8.

v. 5.

Mast. 5.
 v. 45.

Cent. 3.
 v. 6.

Ezech. 8. *sedebant mulieres plangentes Adonidem.* Nota est fabula, vel historia Adonidis, gentilesque cæremonix & ritus ab hoc gentilismo natæ: progressus ulterius (jubente Deo) Ezechiel tertium transit parietem, & quid vidit? *Et ecce quasi viginti quinque viri dorsum habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum Solis.*

Ibid. 16.

Ecce quid ostenderet Deus Ezechiel! Ecce quod, licet non visum, transeat in mundo, si homines ad primos videritis parietes, non plusquam Idolum zeli videbitis; facit homines tam zelosos, tantosque zelatores, ut Idololatræ videantur zeli: sed retro hunc parietem zeli, quid fit? aliqui plorant adonidem, alii Solem adorant orientem, alii incensum offerunt altaribus prohibitis, & plurimi pro dolor! templo Dei terga obvertunt: foris nihil apparet nisi zelus: sed intus non nisi colubri, lacerta, basilisci & serpentes videntur, monstra sunt & monstrosa, quæ tribus parietibus clauduntur: Elias extrinsecus; interius Idololatræ: si esset qui parietes dirumperet, pro qualia & quanta videret mundus! talis est zelus, tales sunt zelotes, tales & Eliæ, *Elias es tu?*

§. VI.

Audito Baptistæ responso, quod Elias non esset, legati tertio interrogationem urserunt. *Propheta es tu?* Huic quæstioni sive magis breviusque Baptista respondit, *Non.* Jam scitis, quæstionem eandem in terra nostra proponendam, *Propheta es tu?* Quid dicis de te ipso? Tunc, qui talia & tanta de te jactas, es etiam Propheta, *Propheta es tu? Plus quam Propheta.* Discursus vestri sunt vaticinia: Propositiones vestræ sunt revelationes: dictamina vestra sunt Prophetiæ: futura vestra contingentiam non habent: Quidquid sequitur, jam totum ante prædixistis; secretorum Spiritus sancti, consilii estis, nihil ibi decernitur, quod non ante vobiscum confertur. Nunquid hoc sufficit: sed plus, ad huc habetis, In materia status, estis quasi alter Daniel Propheta: in materia Eelli vicein obitis Isaïæ: in materia maris, Joannam Prophetam agitis: ubi de Ecclesiasticis agitur rebus, Ezechielis officio fungimini: in castigandis corripiendisque regibus, Nathan Prophetam æmulamini: in deplorandis populi calamitatibus & ærumnis, Prophetam Jeremiam imitami: in auxilio cælo postulando, Baruch Prophetam refer-

Joann. 1. v. 21.

refertis; ubi de interesse & lucro proprio agitur Balaam Prophetam esse videmini. Infinitæ sanè & immentæ Deo debentur grates qui nostris, nobis temporibus tot concessis Prophetas. Non otiosè tot prospera regno nostro sunt prædicta, non poterit profectò non esse gloriosum, cum tet, talibusque gaudeat Prophetis.

Christus Dominus inter duo animalia fuit natus, inter duos latrones mortuus: & inter duos Prophetas transfiguratus. Inter duo animalia fuit pauper; inter duos latrones fuit crucifixus; inter duos Prophetas fuit gloriosus. Habeant Reges à latere Prophetas, & erunt securæ eorum gloriæ. Sed quales: Moyse & Eliam, mortuum unum, vivum alterum, sed alterius sæculi ambos. Porro cum Regi nostro adeò necessarii sint Prophetæ, discutiamus paulisper illud: *Propheta estu?* ut pateat unde verus Prophetiæ Spiritus veniat. dignoscendus.

Primò adverto, Prophetas non cognoscendos nec æstimari ex numero; nam etsi sint plures, qui idem dicunt, Prophetæ non sunt habendi. Ex libro Regum tertio memorabilem hæc super re audite historiam. Rex Achab triennio jam cum vicinis circumquaque nationibus summa pæce gavifus,

deliberavit, num bello Regem Syriæ impeteret, qui Civitatem partemque Regionis Ramoth Galaad ipsi abripuerat: quem in finem Prophetarum suorum concilium coëgit: porro Textus sacer quadringentos eos numero fuisse asserit: *Congregavit Rex Israel Prophetas quadringentos circiter viros.*

Propositio fuit ista, *ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere?* Propositionis motivum erat illud, *Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tellere eam de manu Regis Syriæ?* auditâ propositione ejulque motivo seu ratione, Prophetæ omnes unâ voce bellum inserendum esse responderunt, Deumque Majestati regniæ victoriam concessurum: *Ascende, & dabit eum Dominus in manu Regis.* Sub hoc tam auspicio omine, Rex Achab bellum parat: verum ut cò majore id gloria & apparatu aggrediretur, confœderatum sibi Regem Josaphat, de assistentia & auxiliis interpellat, qui annuens petito, dixit: *Non est hic*

Propheta Domini qui squam ut interrogemus per eum? Respondit Rex Achab, Josaphato Regi, *Remansit vir unus, per quem pessimum interrogare Dominum, sed ego odium, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michas filius Iemla.* Vocatus igitur Michas statim venire

3. Reg. 22
v. 6.

Ibid. 3.

Ibid. 6.

Ibid. 8.

Ibid. 13.
14.

est iustus; atque textus, Nuncium, qui vocatum ierat Michæam, dixisse illi, quadringentos Regis Prophetas bellum suadere quibus ipse consentiendo placencia Regi loqueretur: *Sic sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Quid hic responderet Michæas? Hoc, quod simili in casu cui libet bono respondendum foret homini: *Vivit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Id est, non loquar aliud, quam quod Deus mihi inspiraverit, & conscientia mea distaverit. Adest tandem Michæas, & presentibus Regibus proponitur, illi casus: bellum non auspicandum, aliâ Regem cum exercitu suo periturum esse respondet. Notabilis sanè est ista Prophetarum contradictio: Quidnam hoc casu Regi Achab faciendum fuisse videtur? Ex una parte Prophetæ quadringenti bellum suadebant, ex parte altera Prophetæ unus abstinendum esse dicebat. Porro Rex Achab illud consilii est amplexus, quod etiam ego presentibus circumstantiis suggererem, quamvis contra Michæam mentem mandavit urgeri bellum, ob tres rationes. Prima est, quia pacem multis jam annis habuerat cum Principibus vicinis; & arma otiosa convenit ausibus occupare gloriosis. Secunda ratio est, quia Regio Ramoth Galaad, ad

coronam pertinebat Regis Achab: & pro terris Regni & Coronæ, possibilia & impossibilia attentanda sunt Regibus, ne in manus deveniant hostium. Quælibet terrarum acquisitionum turris seu fortalium, ubi exprimentum esset, plurimum sanè tubditorum vasalorumque sanguinem emitteret, quodque tanto constitit pretio, pro nullo dandum est pretio. Tertia principalisque est ratio; quia tametsi Michææ rationes fuerint bonæ, ex altera parte quadringentis Prophetis contrarium videbatur: in materiis autem negotiisque publicis, quantum fieri potest, operæ pretium est, opinioni deferre, & se conformare communi. Propter rationem hanc ultimam solam deficientibus aliis, Achabo consulere, presentibus concurrentibus circumstantiis bellum inferre non obstante, quod opinionem approbaret Michææ; cuius opinio non erat periculum: quia dictamina practica toties veniunt immutata, quoties immutantur circumstantiæ, Medicus juxta artis suæ præscripta, insectu Gongrænâ brachiū abscondi & auferri mandat, ut reliquum corpus hoc modo & medio salvetur; sin verò infirmus repugnans non se accommodat, scientia medica aliud habet dictamen practicum, quò alia minus violenta, quam-

quamvis minus etiam profutura remedia adhiberi mundato juxta hoc dictamen Rex Achab quadringentorum Prophetarum opinionem amplexus, bellum decernit; sonant tubæ progreditur exercitus, initur confictus in Ramoth; at paucis elapsis horis Rex Achab suo devicto exercitu, vulneratus occumbit. Casus notabilis! Ecce quàm diversa sint humana accidentia & judicia, ecce discrimen inter Prophetas. Ex una parte quadringenti erant Prophetæ; ex altera unus tantum Prophetæ: Rex inclinavit parti quadringentorum, successus verò partis quam tenebat unus. Idcirco Prophetias non ex numero dijudicandas assero. Prophetiæ in Scriptura sacra ubiq; vocantur onus. *Onus Ninive, onus Assyriæ, onus Ægypti.* Onus Ninive, Idem est, quod Prophetia Ninive: Onus Assyriæ, idem est quod Prophetia Assyriæ: Onus Ægypti, idem est, quod Prophetia Ægypti. Prophetas pondere, non numerare oportet. Numero excellabant Michæam Prophetæ quadringenti; è contrariò Michæas pondere excedebat quadringentos.

§. VII.

Supposito quod Prophetæ dignoscendi non sint ex numero,

unde igitur cognosci debent? Ex tribus: ex oculis, ex corde, & ex eventu. Prophetæ cognoscuntur ex oculis, quia videre, est vaticinii fundamentum: in Scriptura sacra Prophetæ vocantur *Videntes*; Solùm qui vident, (sicurum dico) solùm, qui vident sunt Prophetæ: nam sicut nobilissima Prophetia supernaturalis in visione subsistit; ita certissima Prophetia naturalis consistit in visu. Solùm qui vidit, naturaliter prophetizare potest cum certitudine. Ratio valdè evidens est. Prophetia humana consistit in vero discursu; verus discursus formari non potest, nisi cum omnibus notitiis; & omnes notitias solùm habere potest, qui vidit oculis. Nihil ita antiquorum opinione receptum fuit, quàm zoznam torridam inhabitabilem esse: & rationes, quibus Philosophi hoc probabant, videbantur tam evidentes, ut nullus hoc negaret. Detexerunt tandem Lusitani Navarchæ ora Africa & Americæ, plus scientes, meliusque Philosophati ex unius diei visa, quàm omnes Sapientes, totiusque mundi Philosophi, ex quinque millium annorum speculatione. Discursus ejus, qui non vidit, sunt discursus: dictamina ejus, qui vidit, sunt Prophetiæ.

Alte-

Alterum Prophetiæ signum est cor; quilibet enim juxta cordis sui sensum vaticinatur. Veteres futura prognosticaturi, sacrificantes animalia, exta consulebant, & juxta id quod videbant in illis, divinabant. Non caput, intellectus sedem, sed viscera seu interiora, ubi locus est amor, consulebant; neque enim, qui melius intelligit, sed qui plus amat & diligit, melius divinat. Hic mos, ante Christi adventum, in tota universaliter invaluerat Europa, & Lusitani cæteros inter Gentes erant singulariores. Alii intestina consulebant animalium; Lusitani intestina consulebant hominum: quod Strabo libro tertio historiæ suæ affirmat; *Lusitanis vetus mos erat ex intestinis hominum futura prospicere, atque inde omina & divinationes captare.* Superstitio erat falsa; Allegoria verò erat verissima. Non datur Prophetiæ lumen certius in mundo, quam consulere intestina hominum. Et quorum hominum? omnium? nequaquam: sed sacrificatorum. Intestina sacrificatorum consulebant Antiqui. Primò sacrificabant, deinde intestina consulebant. Si velitis prædicere futura, hominum, & hominum quidem sacrificatorum consulite intestina: intestina consulantur sacrificatorum; consu-

Strabo
lib.3.

lantur intestina eorū, qui se sacrificaverunt, & sacrificant, & quod illi dixerint, Prophetia habeatur: Consulere autem intestina ejus, qui se non sacrificavit, nec se sacrificat, neque sacrificabit, illud est, non velle Prophetias veras; istud est errare in præsentī, & non attingere futurum.

Ultimum Prophetas cognoscendi signum, est eventus. In Deut. Deus populo suo promisit Prophetas, signumque ex quo cognoscerentur adjunxit: *Quod in nomine Domini Prophetæ ille prædixerit, & non e venerit, hoc Dominus non est locutus, sed per timorem animi sui Prophetæ confinxit.* Id est, si dubitaveritis de aliquo, utrum Prophetæ sit, necne, regulam hanc observabitis. Si, quod prædixit, postea e venerit, verus Prophetæ habeatur: sin verò, Pseudo-Prophetam habetote. Facilius, certiusque signum darinequit.

Scitisne quos qualesque censere debeatis Prophetas? Scitisne quales veros ejusmodi Prophetas haberi oporteat, qui futura prædicent? Illum seu illos, de quibus experimentaliter vobis constat, quod omnia, seu quasi omnia, quæ prædixerunt, postea e venerint. Dictamen istud Pharaon in Josepho, Nabuchodonosor in Daniele secutus est, omnesque Principes

Ista ipse est Elias. Si igitur Christus Baptistam, Eliam esse asserit, quo pacto ipse se Eliam esse negat? sanctus Joannes Baptista decipere nolebat; nec decipi poterat Christus; quomodo igitur loci isti conciliabuntur & verificabuntur? facillimè profecto. S. Joannes Baptista & erat Elias, & non erat Elias: non erat Elias personaliter, quia utriusque persona erat diversa: erat Elias officio, quia exercitio & actionibus concordabant. Modestia Baptistæ Eliam se esse negavit diversitate personæ: veracitas Christi Eliam eum affirmavit actionum conformitate. Erat Elias, E hæ officium & actus exercendo. Eliam æmulans opere, Elias est: Joannem Baptistam operando imitans, Baptista erit: & faciens quod fecit Judas, erit Judas. Opera sua quemlibet connotant, nec quicquam aliud. O quam gravis est hæc doctrina pro auditorio cui loquor! interrogati quinam sitis, Majorum vestrorum nobilium nolite revolvere Genealogiam, vestrarum tantùm actionum inspicite matriculam: vestra vobis opera, quales sitis, ob oculos ponent: Interrogatus Joannes Baptista quis esset, non se Joannem voca-

ri, nec filium Zachariæ se esse affirmavit; neque per parentes, nomenve proprium se definiivit: Ex suis tantùm operibus competentem sibi formavit definitionem, *Ego vox clamantis in deserto.*

Jam dudum dupliciter me nostra Lusitana scandalizavit Grammatica, in nobilitatis vocabulo: Nobilitas vocatur *Qualitas*, etiam *Sanguis* nuncupatur. *Qualitas* ex decem prædicamentis est unum, ad quæ Philosophi reduxerunt omnia: Sanguis ex quatuor humoribus est unus, unde componitur vel constituitur corpus humanum. Nobilitatem non solùm qualitatem, nec sanguinem solum assero: Nobilitas omnia quatuor humorum Prædicamenta, & omnes quatuor humores includit. Est Nobilitas sanguinea, ideoque tot sunt sanguinolenti; Est Nobilitas melancholica, ideoque tot sunt malè contenti: Est Nobilitas cholericæ, ideoque tot dantur impatientes & intolerabiles: Est Nobilitas phlegmatica, & hinc tot ad nihil idonei; proinde si qui ex nobilitate infirmantur, infirmitas non solùm offendit sanguinem, sed omnes pariter quatuor humores. Idem usu venit in decem

Præ-

Prædicamentis. Est Nobilitas substantialis ; quidam enim præter nobilitatem, aliam non habent substantiam. Est nobilitas quantiativa ; sunt enim Nobiles, quia multum habent de suo : Est nobilitas qualiativa ; quia non pauci (quod negari nequit) valdè sunt qualificati. Est nobilitas relativa ; ad quam spectant nobiles certos ob respectus. Est nobilitas passivis : quo spectant ex nobilitate passionati. Est nobilitas, *Vbi* quò spectant nobiles magna occupantes loca. Est nobilitas situs : ad quam referendi sunt Nobiles Titulares, quibus sedentibus alii stant. Est nobilitas habitus : in qua Nobiles pretiosa & splendida vestiuntur togâ. Est nobilitas durationis, in qua nobiles ex antiquitate suum stemma deducunt. Quænam verò ex omnibus istis est vera nobilitas? non alia, quàm actio. Ad prædicamentum actionis, vera pertinet nobilitas. Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi; vix læa nostra voco. Heroicæ actiones, & non parentes illustres efficiunt Nobiles. Quilibet est hoc quod agit, nec plus nec minus, sicut S. Joannes Baptista, *Ego vox clamantis in deserto.*

§. IX.

EX hac doctrina tam vera, & ex hac ultima Baptistæ con-

clusionem, duo finaliter documenta deduco: Politicum unum, spirituale alterum. Dico politicè, in actionibus fundandas esse electiones. Dico spiritualiter, actionibus certificandas esse prædestinationes. Electiones ordinariè fundantur in generationibus, & hinc tam rarò succedunt. inficias non eo, nobilitatem talentis comitata, omnibus meritò præferendum : quia verò talentorum collator est Deus, & non Parentes; idcirco non in sanguinibus sed actionibus electiones sunt fundandæ. Hoc dictamen omni & vel maximè præfenti tempore verissimum ipsa necessitas confirmat. Pacis tempore transeat, quod loca digniora conferantur Natalibus : Belli verò tempore conferenda non sunt nisi actionibus.

Ezechiel Propheta capite primo. Mysteriosum istum vidit currum, quem animalia quatuor, Homo, Leo, Bos, & Aquila trahebant. Cap. 10. eundem denuò vidit currum ab iisdem trahi animalibus, ordine verò inverso ; in visione enim prima, locum primum tenebat Homo; in visione secunda primum locum Bos tenebat. Notabilis planè mutatio. Quod in visione prima, Homo anteponatur Leoni, Aquilæ & Bovi, justissimum sanè

erat ; quia idipsum animalium omnium Dominus, Deus fuit: sed in visione secunda creatus ad laborem , & sacrificium bos , capitibus tribus coronatis , homini videlicet mundi Imperatori , leoni animantium terrestrium Regi , aviumque Reginæ Aquilæ anteponatur ! Ita sanè. Literalis , expositorum optima , est ratio , est ista. In visione prima currus stabat in templo. In visione secunda , currus egressus est ad campum ; *Egressa est gloria Domini de limine templi.* Et quod currui , quando otiosus est , primus tribuatur locus , transeat : sed quando currum egredi seu trahi oportet in campum , melius trahenti locus primus assignandus est : Et quia bos melius trahit , quàm homo , ideo bovi primus locus datus est. Curru quiescente in templo pacis , loca potiora tribuantur digniori ; curru verò existente jam in campo , prima loca assignentur melius trahenti. Et sicut politicè consultum est , ut electiones fundentur in actionibus : pari pacto spiritualiter prædestinationes actionibus certificandas & confirmandas affirmo. S. Petrus Epistola secunda inquit : *Fratres satagite , ut per bona opera certam vestram vocatio-*

nem & electionem faciatis. Si quem hominum interrogem , *Tu quis es?* quantum ad temporalia , in quacunque materia respondere potest certitudinaliter : si quem interrogem hominum , *Tu quis es?* Quantum ad spiritualia , non est in mundo , qui quæstioni huic respondere possit. Quilibet nostrum spiritualiter est talis , qualis est futurus ; qualis quisque sit futurus , nemo scit , proinde nemo ad quæstionem hanc , *Tu quis es?* Certitudinaliter respondere novit. Major miseria , perplexitas major , & afflictio spiritus in humana non datur vita , quàm quod homo æternum se aut miserum , aut beatum futurum sciat , qualis autem ex his duobus futurus sit ignoret : Utrum præcitus sit , an prædestinatus. Huic omnium anxietatum maximæ , huic perplexitatum omnium potissimæ , S. Petrus unico occurrit remedio , quod solum ipse si suppetit , & suppetere potest : *Satagite ut per vestra bona opera vestram vocationem & electionem certam faciatis.* Si de prædestinatione vestra securi esse desideratis , major ad hoc in vita hac , sine revelatione , certitudo dari nequit , quàm opera bona facere : opera facite bona , & moraliter certi estote , prædestinatos vos esse. Iste verus est verborum S. Petri sensus , quæ

Cap. 10^o
v. 18.

2. Pet. I.
v. 10.

fic

fic S. Thomas , omnesque Theologi exponunt. O quanta felicitas, quod nostris in operibus, prædestinationis nostræ securitatem habeamus ! in vita altera Deus opera nostra bona reali æternæ suæ gloriæ solvet possessiones, in vita hac jam solvere incipit ejus securitate.

Agite igitur Christiani , cum nostris in actionibus , nostris in operibus ingens ad eum thesaurus sit depositus , cavete ne perdatis : satagite ; certam nostram facere vocationem , & prædestinationem pro viribus allaboremus ; totos nos divinis obser-

vandis præceptis impundamus , omnes occurrentes perumpendo difficultas & obstacula : ostendamus nos mundum novisse & fallacias ejus ; resolutione magnâ confringentes laqueos & vincula quælibet quibus innodatos nos attinet. Ex toto corde ad DDUM conversi , totis nos viribus ad ipsius gratiam recipiendam disponentes , præmium certum gloriæ æternæ faciamus :

quam mihi vobisque
concedere dignetur,
&c.



S E R M O

PRO

Dominica quarta Adventûs.

*Factum est Verbum Domini super Ioannem, & venit
in omnem Regionem Iordanis, Prædicans Baptif-
mum Pœnitentiæ in remissionem pecca-
torum. Luc. 3.*

S. I.



ETIAM me tacente
(AA. Christiani)
Etiam in tacente
jam dictum est, &
se ipso innotuit,
quod hodie judi-
cium quartum sumus habituri. In
sermone primo vidimus iudicium
Dei cum hominibus: in secundo
vidimus iudicium hominum in
alterutro: in tertio vidimus judi-
cium cuiusque erga seipsum. Qua-
le verò iudicium nobis hodie vi-
dendum restat? Neque sui ipsius,
neque hominum, neque Dei, sed
trium horum iudicium est judi-
cium. Omnia tria jam visa iudicia
hodie citata veniunt ad iudicium.
S. Joannes Baptista supremum in
hoc Evangelio pœnitentiæ erigit

Tribunal: *Prædicans Baptifmum
pœnitentiæ in remissionem peccato-
rum, & cum magna proprietate,
magnoque sub mysterio ad Jorda-
nis ripas illud collocavit; in omnem
regionem Iordanis: quia Jordanis
idem est quod, fluvius iudicii.* Ad
videndum se in aquis hujus fluvii,
ad sese huic sistendum Tribunali,
prædicta tria veniunt iudicia, & sin-
gula seorsim, suas ob causas & ra-
tiones. Iudicium sui ipsius propter
suspiciones venit; quia suspectum
habemus: Iudicium hominum, ob
gravamina patet; quia ab illo gra-
vamur: Iudicium Dei venit per ap-
pellationem; quia à Deo ad nostrâ
appellamus pœnitentiam. Omnia
hæc iudicia hodie iudicabuntur,
recteque & bene iudicanda spero:

Nam

Nam pœnitentiæ iudicio sui ipsius iudicium emendatur ; iudicium hominum despicitur: iudiciumque Dei subducitur & revocatur. Iudicium sui ipsius emendatum, iudicium hominum despectum, iudicium Dei subductum & revocatum hodie videbimus. Habemus, Christiani, ultimi sermonis hujus materiam. Porrò si quid præcedentibus sermonibus in vestris intellectibus merui (quod quàm modicum sit, sentio) operam ut vestra mihi hodie corda debitum solvant : Cordibus hodie, non intellectibus prædicare institui.

Christus prædicatores seminatoribus comparat : *Exiit qui seminat, seminare semen suum, quod est Verbum Dei.* Ultima prædicatorum sermo est Augustus, si quis colligitur fructus, in hoc ultimo sermone colligitur. Ast quando sanctum Joannem Baptistam clamare, iterumque clamare in deserto video, *vox clamantis in deserto, quem fructum sperare poterit prædicator, qui non est dignus* (sicut ille dicebat Christo) *ad solvendam corrigiam Calceamentorum ejus:* Ita prorsus se res habet. Domine Jesu Christe, fructus, animarumque conversio non à nostris prædicationibus, sed à misericordibus tuis dependet oculis. Enor-

mitèr peccaverat Petrus, post tres negationes, *respexit Iesus Petrum;* Conjecit Christus oculos in Petrum, statim cantavit Gallus, & *recordatus est Petrus: & exiit foras, & flevit amarè.* Casus hujusce consequentias notate. Conjecit Christus oculos in Petrum ; Gallus cantavit : conversus est Petrus. Non respiciente Christo, licet voces sint Joannis Baptistæ, prædicator clamat in deserto : respiciente autem Christo, quamvis voces sint unius galli ; convertitur Petrus. Enim verò, ut Christus convertat animas, necessarii non sunt Baptistæ, celebresve prædicatores, seu graves quoque rationes : bruti cujusdam animantis ad convertendum, immutandumque illum, qui trina negaverat vice vox sufficit. Sic planè se res habet, Domine Jesu Christe ; sic se res habet ; & licet ego tam vilis sim creatura, & instrumentum tam indignum & ineptum ad tantum opus, summa misericordiæ tuæ oculos ad eorum, qui me audituri sunt, corda converte. *Qui respicit terram Ps 103. & facit eam tremere.* Respice v. 32. Domine, quia licet simus de terra insensibiles, trememus ne te offendamus : *aspexit & dissolvit Gentes, Habac. 3. respici- v. 6.*

Luc. 8.
v. 5, 11.

Luc. 3.
v. 4.

respice Domine, quia, licet corda sint dura sicut saxa, emollientur: verba mea inflamma; intellectus nostros illumina; ut rectum & perfectum de te, de nobis, & de mundo iudicium formemus. De te; ut te cognoscetes competenter veneremur, de nobis; ut nos cognoscetes humiliemus: de mundo, ut cognitum despiciamus. Accedant nunc prædicta tria iudicia, seque poenitentiae tribunali examinanda & iudicanda sistant: Iudicium sui ipsius, ut emenderetur; iudicium hominum, ut condemnatur: iudicium Dei, ut retractetur & revocetur.

§. II

AGedum, à Viciniore nobis, id est sui ipsius iudicio exordiamur. In Areopagitarum Atheniensium Tribunalibus, Reis facie velatâ se sistere mos erat: pari modo ante poenitentiae Tribunal iudicium sui ipsius comparet. Oculis se sistit velatis; quia magis cæcum iudicium non datur: iudicii cæcitas amorque proprius major est oculorum cæcitate. Cæcitas oculorum res non videri facit, proprii cæcitas amoris, alias à se ipsis, & diversas videri facit, quæ longe major est cæcitas.

Adduxerunt ad Christum quæ-

piam cæcum, ut illum curaret: cui Christus imponens oculis manum, quid videret, interrogavit? qui respondit: *video homines ambulantes sicut arbores.* Hic nunc quæro, quando homo iste magis cæcus fuerit, num in præfenti an in præterito? nullum est dubium, quin visivâ aliquâ utebatur potentia, visio verò ista major erat cæcitas illa, quâ laborabat antea: nam antea videbat nihil, nunc unum videt pro altero, arbores videlicet, loco hominum: & revera major est cæcitas unum videre pro altero, quàm videre nihil. Videre nihil est Privatio, unum videre pro altero, est error. Ecce hic, quare iudicium proprium erret; Ecce hinc quare nunquam penetremus nos ipsos; quia excæcatis magis nos contuemur oculis, quàm ipsi cæci, quibus semper unum pro altero videntibus, res parvæ videntur magnæ. Herbas non nihil altitudine excedimus, & arbores nos proceritate æquare censemus: instabilissimum quiddam rerum mundialium existimus, & firmiter nos radicatos putamus; Hyeme nobis auferente folia, tempus vernum eadem nobis restitutum imaginamur; quod semper florebitis, semperque duraturi simus nobis persuademus: istud sumus, & hoc cogitamus & opinamur.

Mar. 3.
v. 24.

Verum enim verò quid agit pœnitentia ad emendandum hoc iudicium, quod est sine iudicio? Quid illuminando huic cæco tam cæco pœnitentia præstat? facit duo. Velum remouet ab oculis; & speculum in manum tradit. Submouet velum ab oculis, sicut peccator petebat à Deo: *Revela oculos meos*; ad manum tradit speculum, sicut ad peccatorem contestatur Deus: *statuam te contra faciem tuam*. Nullius nos rei major tenet oblivio, & ignorantia, quam nostri ipsorum. Quid verò facit iudicium pœnitentiæ? Nos ante nos statuit, *statuam te contra faciem tuam*. Nos nobis tanquam reos tribunali sistit, ut nos iudicemus; proponit nos nobis velut objectum speculo, ut nos videamus. Difficillimum quid est, ut homines ita in exteriora effusi, se ipsos interioribus, sicut par est, se videant: id ipsum verò pœnitentia efficit duobus modis utrisque mirabilibus: vel oculos ab exterioribus ad interiora convertendo, ut nos videant oculi nostri. Vel nos ipsos, ab interioribus ad exteriora avocando, ut nos contemplemur.

Deus vanissimum illum sui que immemorem Regem Nabuchodonosorem conversurus, ut à pessimis, superbissimis que cogitationibus que desistens, hoc quod erat

cognosceret, primâ hac viâ ad pœnitentiam illum deduxit, ut in Brutum illum transformaret. Circa transformationis hujus modum mirè variant Doctores; aliqui transformationem non nisi imaginariam, alii veram eam fuisse asserunt: & posito, quod modus iste secundus textui videatur conformior, utrumque tamen poterat esse. Si transformatio fuit imaginaria, Nabuchodonosor oculos convertit introrsum, talemque se vidit ad vivum, qualis erat, ut ab isto momento non amplius se hominem sed Brutum æstimârit, & quâ tale se tractaverit: si fuit transformatio vera, Deusque Nabuchodonosorem converterit in Brutum, nihil hoc fuit aliud, quam illum ab interioribus ad exteriora convertere, ut in figura monstraret foris, quod in moribus erat intus. O quàm longè alium se sibi imaginabatur Nabuchodonosor, antequàm talem se esse videbat! ante non contentus esse homo, Deum se esse sibi imaginabatur: nunc multò minorem homine se cognoscebat, quia brutum se inter bruta videbat. Si oculos converteremus ad interna, vel si Deus nos ipsos internis ad externa verteret, prò quàm diversum ab eo, quem nunc format, de se quilibet formaret conceptum!

Verùm gressus legentes Nabuchodonosoris, & illum & nos vidimus. Brutum illud rationale; primo transformationis suæ die inter Bruta partum carpsit; sitibundum sub vesperum, quadrupes ad fluminis ripam perrexit, & in flumine isto figuræ suæ deformitatē contemplatus, Deus bone! quàm necessarium tonitruum de se ipso exhorruerit! in diuisis utique fugere à se ipso, & nisi Deus illud præferuisset (qui per illos Babyloniæ campos, ad perpetuū superborum Exemplum, ipsum ducere decreverat) in flumen se præcipitasset ibique in sua primò confusione, in fluminis verò undis secundò sepultum fuisset. Quis verò iste est fluvius, nisi Jòrdanis, fluvius iudicii? Et quis est Nabuchodonosor iste transformatus, nisi peccator, brutum cum ratione, & sine iudicio ejus, qui in campis hujus mundi & pascuis inter bruta, magis ipse brutus oberrat? unico tantum discrimine nos & Nabuchodonosor distamus, quod ipse à se fugere volens non possit, nos adhuc valentes nolumus. Accedit tandem peccator in fluvii hujus sese contemplaturus aquis, in speculis inquam istis naturalibus, fucatis, & non videt de repente, quod viderat nunquam; videt se ipsum, ô stuporem & ad-

mirationem! estne possibile, quod iste sim ego: talisne fœditas, talis horror, brutalitas talis, tale sine deformitates in me dantur? imò tales multoque adhuc majores; talis omninò es, & non quod te esse cogitas & putas: considera num effigies illa mentis tuæ conceptui & ideæ respondeat. Inspice, diligenterque in speculo isto considera faciem, inferioresque animæ tuæ operationes, examinabene istos tuos oculos qui tuæ sunt intentiones; istos capillos, quæ sunt tuæ cogitationes, istud tuum os, tua videlicet verba, illas tuas manus, quæ actiones tuæ sunt & opera: attende sollicitè, utrum imago hæc ideam tuam referat; vide utrum hoc quod conspicias, imaginationem tuam exprimat; vide utrum te noveris, utrum iste sis, an alius, *Tu quis es?*

§. III.

SCitissime, Christiani, quare simus tam vani, & à nobis ipsis tam alieni? quia oculos extrorsum, & nos intorsum habemus, idcirco nos non videmus si nos interiùs intueremur sicut sumus, si ritè peccatorum nostrorum fœditatem penetraremus, ô quàm alium de nobis formaremus conceptum! tam diversi ab illis tribus, tam alieni

alieni à Dominis, tam distantes à potentibus, tam remoti à prudentibus, tam rudes in civilibus, tam parum habentes de doctis & sapientibus, tam nihil de viris strenuis & Heroicis: denique alii & alieni ab omnibus! Quare? quia vos non videtis interioris. Enim verò si vel semel mentis vestræ oculos in vestra defigeretis peccata; quomodo omnia ista cæteraretis Epitheta! in mundo nullus hominum unquam gloriari potuit instar Davidis; quia in ipso natura, fortuna & gratia conjunxit, quicquid magnates inter & potentes distribuit, ac divisit: nihilominus humiliorem nullum, seu modestiorem, minusve gloriabundum, majoremque sui ipsius contemptorem invenietis, quam Davidem. Et unde hoc ipsi evenisse putatis? *Peccatum meum contra me est semper.* David sua semper intuebatur peccata, illaque & se in illis intuendo, sua contemplatur peccata, quasi actuum & operum suorum imagines considerasset: *Quasi peccatorum imagines contemplando*, dicit sanctus Chrysostomus. Nullus dubitabit, quin in palatio Davidis parietes multi tempore æstivo picturis, hyemali verò famosissimis actionum suarum hystoriis, seu

figuris depictis seu intertextis tapetibus fuerint exornati. Non Hercules tantam artibus præbuit materiam suis laboribus, quantam David suis victoriis: Harum nihilominus visione gloriosus ille Rex non occupabatur; neque istud ambulacrum quod nec ambulabat: sed, *Peccatum meum contra me est semper: quasi peccatorum imagines contemplando.* Ex harum appposito picturarum (sancti Chrysostomi considerationi inhærendo) David aliud fragilitatum suarum ambulacrum exstui mandavit, in eoque diversis in locis, non famosas, sed miserandas peccatorum suorum historias depingi jussit: hinc Rex pius suis vacabat meditationibus, & maximam victoriarum suarum animum victoriam obtinebat, quæ fuit, cognitio sui ipsius.

Quasi peccatorum imagines contemplando. Procedamus cum Davide considerando peccata, & Epitheta corrigendo. Dirigebat David oculos ad locum unum, vidensque historiam Bethsabee, sibi ipsi dicebat: Estne possibile, quod totus me mundus habeat venereturque Prophetâ, & non præviderim ego, quod visionem sequeretur cogitatio, cogitatione desiderium, desideriumque exciperet tam indigna &

Is. 50.
v. 5.

Chrysost.
Ibidem.

Paral.
20. v. 1.

statui & personæ meæ executio ! non me Prophetam deinceps , sed cæcum vocitent. Estne possibile , quod totus me mundus generosum , magnanimumque celebret , & una mulier ad prævalendum contra me suffecerit , ne ad bellandum in campum exirem , eo tempore quo solent Reges ad bella procedere ? Nemo me magnanimum fortemq; nominet ; impotentē me valdē compellent , David uno alterove passu progressus , historiā videbat Uriæ , quomodo literas ipsi traderet ad Joabum deferendas , quomodò in prima mox occumberet velitatione , & a sultu hostilē expugnando civitatem. Quo pacto gloriosum me reputabo principē , qui tam enorme , mandē homicidium propriæ manus subscriptionē ? & Valium tam fidum , honore ipsius præviē violato , ipsum etiam vitā dolosē privavi ? non veracem me amplius , sed dolosum & perjurum reputabo. Estne possibile , quod Deus me populi sui Regem ad defendendum conservandumque constituerit , nunciumque exercitus profligati , propter novum Uriæ occisi nuncium me non conturbet , plurisque faciam liberē appetitui indulgere , quā civitatem perdere & tot generosos milites ? Non me Regem vocent , Ty-

rannum me nuncupent. David promovendo gressum in aliam inciderebat picturam , casum videbat Nabal carmeli , occurrebat memoriæ , quomodò necem decreverit omni quod in ejus spirabat domo , Abigail verò uxoris ejus precibus flexus animi mutaverit sententiam. Quomodò possibile , quod ab omnibus celebrer misericos & benignus cū tamen hominera occidere decernam , qui bona sua militibus meis fugitivis , qui me sequuntur , elargiri recusat ? Ego ille Urforum Leonumque domitor in deserto , nec irā quidem motum domare potui in meipso ? Non me humanum amplius , sed ferocem appellent. Quā me fronte justum rectumque jacem , cum causa Nabal fuerit tam justa (saltem nullā poenā digna) ad placandam iram meam non suffecerit justitiæ causæ suomet patrociniū adjunctæ : sed postmodum ab Abigail præsentatā , plus valuerit unum memoriale seu supplica , in qua species ejus & vultus potius , quā juris ratio attendebatur ? Non me justum & rectum , sed Respectivum compelletis. Progrediendi Davidi alia in oculos incurrebat pictura , historia scilicet Sibæ , quomodò calumniosē Dominum suum

Miphi-

Miphibofeth accusasset, quomodo facultatum ipsius cepisset possessionem, quomodoque probatâ postea calumniâ medietatem tantum restitui iusserit. Qua ratione prudentis circumspèctique viri nomen usurpare mihi possim, qui ad famuli tantum unius dictum, sine informatione alia, vel iudicii forma, Miphibofeth læsâ Majestatis reum pronuncio, facultates ipsius confiscando ejusdemque delatori assignando? non me prudentem amplius, sed temerarium arbitror. Quomodo possibile est, quod in ore vulgi nomen habeam recti, & post demonstratam caluniam, probatamque innocentiam medietatem bonorum infido relinquo proditori, neque omnia innocenti restitui mando? non me æquum deinceps, sed iniquum dicam. Ecce quomodo David per species figuræque peccatorum suorum sua mutaverit Epitheta, iudiciumque sui ipsius emendaverit, & cum tantam in se haberet materiam vanitatis, tantam invenerit veritatis. Agite Christiani, quilibet sibi peccatorum suorum imagines proponat, *Peccatorum imagines contemplando.* Parumper de iis cogitet & contempletur, videbit quomodo idæ veteres phantasiæ paulatim obli-
terentur, erroneumque de se judi-

cium emendet. Omnes vos putatis honorabiles, omnes vos censetis potentes & magnanimos, omnes vos sapientes iactatis & doctos, omnes vos prudentes venditatis & circumspèctos; placent epitheta variare? introrsum oculos ad peccata convertite. Dicite, nunquid honorati mihi nomen vindicare meritò possum, qui tantum flagitium commisi, eò quòd Domino Deo meo, qui me creavit, & sanguine suo redemit ingratus & infidelis extiti? nullo prorsus honore, sed vilis omnique abjectione sum dignissimus. Ego me fortem & magnanimum puto, & toties tam fragilem me ostendo, ut cuilibet tentationi succumbam, tergumque obvertam Christo, ut ne cogitationi quidem, amore ipsius, resistam? non sum fortis, nec generosus; vecors sum & infirmus. Ego sapientiam mihi tribuo, & tam sædam commisi ignorantiam, qualis est, Creatori antepone reaturam, summam miseriam, summo & infinito bono? non sapiens, sed stultus sum & insipiens. Ego doctum me & circumspèctum confidero, & tam extremam commisi stultitiam, sicuti est, pro leviori quodam desiderio, pro delectatione momentanea in discrimen vocare æternitatem gloriæ & inferni?, non sum

doctus & prudens, fatuus omnino sum. Hoc modo pœnitentiæ iudicium, iudicii nostri errores & cœcitatē emendat. Loco sapientis ponit stultum, loco prudentis collocat ignorantem, loco fortis & generosi ignavum & debilem, & loco honorabilis vilem collocat, & abjectum: illud nos esse putabamus, & hoc sumus, nemo nobis melius, quid simus, quàm peccata nostra dicens.

§. IV.

ENim verò peccata nostra oculis opposita, adhuc alium efficaciorē & potentiorē convincendi & emendandi habent modum, scilicet nos convincendi ex nobis ipsis, iudiciumq; nostrum proprio nostro iudicio emendandi. Quilibet in sui ipsius iudicio suo se valere & dignitate metiri & æstimare debet. Et qualem se quilibet nostrum æstimat? istud non in nostris cogitationibus, sed in nostris peccatis apparet. Quotiescunque homo peccat, per peccatum se vendit: *Venundatus est ut faceret malum*, ait S. Scriptura. Quilibet igitur pretium pro quo se venum exponit, consideret, & inde quid sit iudicabit. Vultis scire quid sitis ex vestra æstimatione? pretium attendite, pro quo vos venundatis; peccata vestra inspicite:

3. Reg. 21.
v. 25.

pro concupiscentia, pro cogitatione, pro vanitate denique aliqui vos venditis: per modicum sanè pro tantillo datur: porrò si nos vendimus pro tantillo, quomodo æstimamus nos tanti? Ah filii Adam! Qui Adamum cum tot tantisque divinitatis præsumptionibus vidisset in Paradiso, non putasset intoto mundo dari pretium, quo se venderet. Et quid accidit? & se, & omnem posteritatem suam pro uno dedit pomo. Si nos vendimus pro uno pomo, quomodo, queso, tanti nos æstimamus? si vos æstimatis tanti, nolite vos venundare pro tantillo: & cum vos jam detis pro tantillo, nolite vos majoris æstimare: nulla subest ratio, cur se quispiam in animo tanti æstimet, qui tam vili se pretio in peccato suo vendit. Nunc demùm spiritum prudentiamque advertetis Davidis, peccatorum suorum imagines ob oculos sibi ponentis, *Peccatorum imagines contemplando*, quando ad contritionem, suæq; miserix cognitionem sese excitare disponebat. Videtur David velut Prophetam aliam magisq; moventem imaginem sibi proponere potuisse: nonne magis movisset Davidem imago Christi crucifixi, cum non ignoraret deum propter eadem peccata in Cruce moriturum? dico, quod non: & ecce dicti mei rationem.

nem. Multò melius me cognosco quàm imaginem alicujus peccati, quàm ante imaginem Christi crucifixi: ante Christi crucifixi imaginem consistens, superbire posse optima ratione mihi videor: pretium enim video quo me Deus comparavit: verum ante peccati cujusdam imaginem positus non nisi humiliandi me causam invenio, quia pretium video, quo me vendidi: toto Christi sanguine comparari me cernens, non possum non pretiosum me reputare: sed quod pro re nihili hujus mundi me vendidisse videam, non possum non vilem, nulliusque me pretii æstimare. Ecce ad quid sui ipsius reducatur judicium; quando homo se contempletur in speculo, in suorum se peccatorum videt imagine: pari planè modo illum immutat, & illum corrigi pœnitentiæ judicium: *Prædicans Baptismum Pœnitentiæ.*

§. V.

EMendato in judicio Pœnitentiæ sui ipsius judicio; secundo loco sequitur judicium hominum, quod, ut dixi, ex eo contemptum & despectum exhibet.

Adest igitur judicium hominum, ut Pœnitentiæ tribunali se sistat, nec oculis venit velatis, sicut sui ipsius judicium: sed cum omnibus sensibus, cum omni-

bus potentis liberis, & valdè liberis, omnibus enim judicat omnes homines, liberos habet oculos, quia quicquid videt judicat; liberas habet aures, quia quicquid audit judicat; liberam habet linguam, quia quicquid judicat pro palat; & præ cæteris liberam habet imaginationem, quia quicquid sibi imaginatur, judicat & condemnat.

Verum enim verò quid facit pœnitentia ad destruendum & contemnendam hoc tantopore adoratum & veneratum in mundo Idololum? Quid facit aut facere potest Pœnitentia, ut non curemus (cùm homines simus) judicium hominum? vel unum tantum aperiendo, seu claudendo sensum Pœnitentia facit hæc omnia. Ad judicium sui ipsius Pœnitentia vobis aperit oculos: ad judicium hominum vobis occludit auditum.

In die Passionis pluviam adinstar blasphemiarum & testimonia falsa impetebant Christum, Christus Dominus verò quasi surdus & nihil audiens erat. Hinc Pilatus admirans dixit Christo: *Non audis quanta adversum te dicant testimonia?* Non audiebat Christus, quia quasi non audivisset audiebat. Christus Dominus illa die pro peccatis mortis, quæ sua fecerat, satisfactu-

*Matth.
27. v. 13.*

Pf. 37. v.
14.

facturus erat; & qui Deo pro peccatis satisfacere, non habet aures audiendi quid contra se loquantur homines, *Ego autem tanquam surdus non audiebam*. Dicant homines, judicent homines, condemnent homines, quantumcunque & quodcunque velint: qui de satisfaciendo pro peccatis suis serid tractat, qui verò id tantum agit, ut à Deo judicetur benè, hominum iudicium flocci facit. Scitisne cur tanti faciamus iudicium hominum? quia non sumus veri pœnitentes: si pœnitentia nostra, si contritio nostra esset vera, quàm parvi faceremus omnes opiniones mundi!

2. Reg. 12
v. 13.
Ibid.

Peccatum commiserat David cum Bethsabee, & Uria, aliquantopost tempore venit Nathan Propheta, patrata reprehensus flagitia. Agnoscens culpam David, dixit: *Peccavi*: Eodemque momento vice Dei Propheta illum absolvit, dicens: *Dominus quoque transulit peccatum tuum*.

Peccavit item Saul inobedientiâ, ex spoliis Amalecitarum reservans meliora pro sacrificio, quem similiter correpturus Samuel Propheta venit, gravitatem simul offensæ, & iræ divinæ ob oculos positurus: Saul quoque culpam suam agnoscens dixit: *Peccavi*: Propheta verò condonatum esse

peccatum non respondit; neque Deum ignovisse & peccatum transulisse dixit. Casus iste ex notabilioribus S. Scripturæ casibus unus est, confid. ratis omnibus circumstantiis ejus & similitudinibus. Rex erat David, Rex quoque erat Saul: Peccavit David, peccavit quoque Saul: Propheta venit correptum Davidem, alius similiter Propheta reprehendit Saulem: David dixit, *peccavi*; peccavi itidem dixit Saul. Si igitur casus per omnia fuerunt similes; quoniam pacto Deus Davidi, & non Sauli condonavit? si unum, *Peccavi* sufficit Davidi, quare unum, *peccavi* non sufficit Sauli? Ratio literalis, quam omnes dant Doctores, est, quod ly *peccavi* Davidis, ex toto processerit corde: & *peccavi* Saulis ore tantum & non corde fuit depromptum. Pœnitentia Davidis fuit pœnitentia vera; pœnitentia Saulis fuit pœnitentia falsa. Optime quidem dictum, sed unde probatur? unde probatur, quod pœnitentia Saulis fuerit falsa, quod ejus ly *peccavi* ex ore tantum, & non ex corde fuerit prolatum? Doctores hoc non dicunt, sed ego dicam, vel textus hoc dicet. David dicendo, *peccavi*, nil adjunxit: Saul dicendo; *peccavi*, hæc verba addidit; *Sed honor a me coram senioribus populi mei, & coram Israel*.

1. Reg. 15.
v. 30.

q. d.

q. d. Ego quidem peccavi, sed tu Samuel, curam habe respectus mei, & coram Principibus populi & regni mei me honora. Ah mi Saul, postquam dixisti *Peccavi*, inchoato jam Pœnitentiæ statu, adhuc reputationis memor, quid de te dicant vel non dicant homines cogitas? argumento id est, quod pœnitentia tua non sit vera, & istud *peccavi*, ex ore tantum & non ex corde processerit: *Quicumque verè contritus esse curat, uti David, non nisi solum peccatorum recordatur, Peccavi*, qualiter judicent, quidve dicant homines parvi pendit.

S. VI.

ENim verò veritatis hujus rationes & momenta multa sunt & gravia, à me exiguo ea audire libeat: cui natura feliciter ingenium indulserit, ei utique plura, solidiora, & graviora occurrent. Verus pœnitens semetipsum accusat ac condemnat, quid ergo curret alios de se dicere, quod ipse confitetur? Quid refert alios esse præcones, si pœnam exequor ipse? confitentem se reum testimonia non gravant. Si homo verè compungitur, si verè & intimè suas agnoscit culpas, nullus unquam tam malè loquetur, quin multò se adhuc pejorem judicet: & qui be-

nignus se, quàm peccata sua merentur judicatum videt, gratias agendi potiùs, quam conquerendi causâ habet. Veri proinde pœnitentes de illatis non conqueruntur injuriis, judicet dicatque mundus qualiter quidve velit, nunquam tantum mihi malum poterit appingere, quantum certus sum, quod in me sit pœnitens verus nihil magis desiderat, quàm ut illatas Deo injurias in se vindicare possit; & quemadmodum judicium hominum ad hoc concurret, potiùs adjuvat, quàm nos offendat. *Qui non abnegat se ipsum, non potest* (ait Christus) *me sequi*, nec mihi servire: Pœnitentia est janua, per quam ad serviendum Deo intramus. O quomodo se abnegat, & abhorret verus pœnitens: & quid mea interest si ve benè, si ve malè judicetur, quem ego abhorreo? si delictorum meorum deformitatem & horribilitatem verè cognosco, nūquid magis me abhorre oportet illum, qui commisit, quàm qui ea refert & dicit? Verus pœnitens unum tantum in hac vita æstimat, & unum tantum timet: solum æstimat quod gratiam Dei conferre, & solum timet quod eandem auferre potest; cum autem judicium hominum gratiam Dei nec conferre, nec auferre possit, quare pœnitens judicium homi-

num curet? iudicium hominum, si multum illi tribuamus, nobis quidem malè facere potest, nos verò malos reddere nequit: si sim bonus, quantumcunq; malè me iudicent homines, malum reddere non possunt: si sim malus, quantumcunq; me benè iudicent homines, me bonum facere nequeunt: at si iudicium hominum nec bonos facere potest nec malos, quid curandum est? verus pœnitens est, qui unum tantum desiderat, ut sit bonus: & malū se fuisse dolet.

Omnes hæc rationes unica Christi omnibus major ratio concludat: *Nolite timere eos qui animam non possunt occidere: timete eum, qui animam potest perdere in Gehennam.* Qui nec infernum dare, neque Paradisum tollere potest, non est timendus. Agite seorsim nunc ponite omnia iudicia hominum, & seorsim peccata vestra, & utra eorum plus timenda sint vos ipsos interrogate. Iudicia hominum, quamvis faciant omne malum possibile infernum tamen irrogare, & Paradisum privare non possunt: Peccata, quamvis inveniatis in illis omnia bona, falsa quæ vobis promittunt, sola Paradisum tollunt, & infernum tribuunt. Perspicuus igitur pœnitens verus, sola peccata sua ipsum Paradisum excludere, & inferno addicere posse,

quare iudicium curet hominum, quinec inferno addicere, neque à Paradiso excludere possunt: qui timet ne condemnetur à Deo, flocci facit ab hominibus condemnari.

§. VII.

Suppositâ doctrinâ hujus veritate, quàm pauci utiq; seu paucæ erunt hodie verè pœnitentes in mundo, ubi tantum agitur ut hominibus satisfiat & placeatur! in Davide hoc videant viri, in Magdalena idem intueantur scemina. David quàm parvi fecit impropéria Michol! quàm nihili fecit Semei injurias! Semei in faciem ea exprobrabat Davidi Regi, quæ nec vilissimo cuique fas esset impropereare; porrò comites & laterones Davidis contumeliosum & maledicum & linguâ, & vitâ privare parabant; sed quid fecit David? punituros repressit, & Semei maledicta liberè evomere permisit: injuriæ & impropéria pœnitentibus sunt musica. Talis David nudipes in suo ambulabat palatio, & sua peccata deplorans. Agnoscens se offendisse Deum, nullâ re offenditur: hoc modo David hominum iudicia despiciebat. Idem de Magdalena quis condignâ pœderatione poterit explicare? Nobilissimarum Jerosolymæ domicellaram una, ad eò celebris, & famosa, vanitatibus & levitatibus
sic

fic dedita; eodem die volante hinc inde capitis peplo; veste incompofita, comitante nullo, feftinat per plateas, per Phariſæi ædes, tota inconfiderata, tota extra fe (vel potius intra fe, quia illa hora totū corpus ipſius non niſi cor erat) defluētibus ſparſiſq; capillis, alabaſtro confractō, ambobus oculis in toridē rivulos reſolutis, proſtrata chriſti pedibus advolvitur illis amplectendis & ex oſculandis occupatur, Deus bone, Magdalena, quæ nā mutatio eſt iſta? non conſideras quæ nā ſis? non attendis quid facis? non vides quid homines dicturi ſint? Nullatenus; nihil video: ſua enim intuenti peccata non remanent oculi ad aliud videndū. Nō intueor quod ſū, quia quod fui hoc vidi: non video quod facio. quia vidi, quod feci: jā omnia in hac vita videnda vidi, & utinam tantū non vidiffem! non jam reſpicio homines, neque eorundem moror iudicium, quicquid quantumq; velint dicant & iudicē. Tribus vicibus Magdalena iudicata & condemnata fuit ab hominibus. Iudicavit & condemnavit illam Phariſæus, peccatricem appellando; *Quia peccatrix eſt*: Iudicārunt & cōdamnārunt illam Apoſtoli, prodigā ſugillando, *Et quid perditio hæc?* iudicavit & cōdenavit illā germana ſoror rei domesticæ incuriam vocando, *Reliquit me ſolam mini-*

ſtrare. Omnia iſta ſemper audivit Magdalena, nec unquam vel verbum replicavit, ac ſi ſuo reſponderet ſilentio: inſiſtente me Phariſæi, cōdemnent me Apoſtoli, cōdemnent me, de quibus minus timeri poteſt, fratres & ſorores: in Phariſæis cōdemnet me malitia, in Apoſtolis cōdemnet me virtus, in ſorore cōdemnet me natura; graviora ſentiens delicta iſta non curat. Quando dolores ſunt æquales, ſentiuntur omnes, intenſiore uno, tantisper ſuſpenduntur reliqui: dolor peccatorum verus omnes excedit alios, quia majoribus intenditur motivis: & de peccatis ſuis verè dolens, omni alio dolore, & ſenſu caret: ſagitta quæ vulneravit cor, reliquarum ſagittarum vim inanem reddit; nā licet corpus feriant, ſenſum tamen non inveniunt: Iudicium hominum qualiacunque immittat jacula, corde à Deo tacto & vulnerato, hoc vel non offendunt, vel non lædunt. Amor eſt ſenſus homines faciens inſenſibiles; ideò comparatur morti, *Fortis eſt ut mors dilectio*: Mors inſenſibilem facit, quem occidit, amor inſenſibilem facit, quem diligit: ſolum diligere & amare ſatagens Deum ſolum ſentit, quod illum offendērit, ad reliqua omnia inſenſibilis. Ex eplū in ſemetipſa habebat magdale.

dalena, se cumque argumentari & ratiocinari hoc poterat modo. Quid refert, si hominibus videar mala, dummodò Deo videar bona? quid refert, si ab hominibus habear mala, si à dilecto meo tantùm videar bona? Eheu quoties in vanitatibus & vesaniis meis dictamen hoc neglexi! Eritne consultum, ut modò minùs generosus & minùs animosus sit meus amor? si ego non consideravi, quid dicerent homines, quando offendebam Deum, quid nunc eorum dicteria considero, cùm Deum toto corde inquirò? nihili feci illa, quæ dicebant, quod essem peccatrix, & nunc quid morabor, quod dicant poenitentem? nunc verò cùm sustinui dicentes, me peccatricem esse, liberè calumnientur meam emendationem.

Istud silentium respondit Magdalena tribus vicibus ab hominibus condemnata: & notatu dignissimum, quod iisdem tribus vicibus Magdalena ad pedes erat prostrata Christi. O quanta excellentia remedia sunt pedes Christi, ad hominum spernenda judicia! porrò si hoc faciebant pedes Christi vivi, quantò magis id agent pedes Christi mortui, & crucifixi? Quonam pacto in hac Cruce suspensum te, judicatum, & condemnatum intueri possum, & non sustinere; judi-

cari & condemnari, cùm peccator sim & reus? Si te judicant & condēnant propter peccata mea, ut quid ego propter eadem judicari & condemnari ægrè feram? in te adorem & venerer injurias & contumelias, easdemque pati respuerem? Te offendendo, meque perdendo non attendo quid dicant homines; teque amando, & me salvando, attendam, qui dicent: Simile quid in hac Cruce me non doces. Grande quid auscultate in quo Deus suam mutassè videtur conditionem.

Deo punituro populum in deserto, Moyses obtendit, quidnam Ægyptii essent dicturi: *Ne quæstō dicant Ægyptii &c.* Et Deus à punitione abstinuit. *Exod. 32. v. 12.*

Josue primà in terra promissionis acceptà clade dixit Deo, quidnam dicturi essent Chananæi? *Quid Josue 7. facies magno nomini tuo &c.* Et *v. 9.* Deus illi assistere perrexit.

Regno Israël vel maximè afflicto, David opposuit Deo, quidnam dictura essent gentes? *Ne forte dicant in Gentibus &c.* Et afflictio cessavit: ita ut obtinendo à Deo desiderio suo, Patriarchæ medium non haberent aliud, quàm allegare, *ne dicant, vel quid dicent?* *Pf. 78. v. 19.*

Deus ad redimendum mundum Venire decrevit in terram, & si Moyses, Josue vel David inveniretur

tur

In ibidem cum spiritu Prophetico
 quo gaudebam, videtur idem re-
 plicari potuisse Deo, dicendo, Do-
 mine, quomodo venire decrevisti
 in mundum? Apparere & conver-
 sari vis inter homines, & non con-
 sideras aut attendis, quid de te di-
 cent? Samaritanum te & Dæmo-
 niacum dicent: *Samaritanus es tu,
 & Dæmonium habes*: Blasphemum
 te pronuntiabunt, *Blasphemavit*:
 seductorem te vocabunt, *seductor*
ille: Reipublicæ te perturbatorem
 criminabuntur, *subvertens gen-
 tem nostram*. Confœderatum te
 Dæmoni convitiabuntur, *in Beel-
 zebub Principe Dæmoniorum ejicit
 Dæmonia*: Quod te ipsum salvare
 nequeas clamabunt, *seipsum non
 potest salvum facere*: Infinita deni-
 que in te evoment opprobria, *sa-
 iurabitur opprobriis*. Ad hæc unus
 exurgit Arrius, qui consubstantia-
 lem te patri negabit; hominem te
 negabit Manichæus: Deum te de-
 negabit Nestorius: non realiter te
 in sanctissimo Sacramento præsen-
 tem asseret Calvinus: Infiniti se ti-
 bi opponent Hæresiarchæ, infini-
 tas contra divinitatem & huma-
 nitatem tuam dicturi blasphemias.
 Cum igitur hæc omnia Deus præ-
 videret, & apud eundem olim tan-
 tum valeret illud, *quid dicent ho-
 mines*, quare modo ita vilipendit
 hominum dicta? Ratio est, quia

olim ly, *quid dicent homines*, cum
 nostra cōcurreret culpa; nunc au-
 tem idem cum nostro concurret
 remedio. Et quando, (*Quid dicent
 homines*, cum nostra concurret cul-
 pa) Deus punire desinit propter id
 quod dicit: quādo vero, *Quid dicēt
 homines*, cum nostro concurret re-
 medio, propter id, *quid dicent ho-
 mines*, salutare non cessat; salvatio
 continuatur & succedit, quicquid
 demum homines dicant.

Verum, Christiani, quidam no-
 strum adeo pusillo sunt animo, ut
 timore ejus, *quid dicent homines*,
 multa omittamus quæ nostram
 promovent salutem. Deus à simili
 nos liberet ignavia. Pro salute no-
 stra Deum æmulemur: Deus ut
 meam operaretur salutem, nihili
 fecit judicia hominum, & dignum
 est ut ego ea curem: omnia ad salu-
 tem requisita peragantur, & homi-
 nes quodcunque libet loquan-
 tur. Quid juvat ab hominibus
 bene judicari, salute non conse-
 quente? & salutem obtinentibus,
 quid nocet, ab hominibus esse ma-
 le judicatos? Ecce quomodò ju-
 dicialium hominum, pœnitentiæ ju-
 dicio despicitur: *Prædicans Bap-
 tismum pœnitentiæ*.

§. VIII.

E MENDATO nunc in Pœnitentiæ
 Tribunali, sui ipsius judicio, &
 hominum judicio explorato, solum

Dei iudicium restat, quod, ut dixi, in hoc tribunali revocabitur. Præta-
cta duo iudicia ingressa sunt ut
iudicarentur, & ante Pœnitentiæ
tribunal comparuerunt: quo pa-
cto idem de iudicio Dei affirmare
a usim, non video. Nonne iudi-
cium Dei iudicium est supre-
mum, non tantum superius non
agnoscens, sed nec in cœlo nec in
terra æquale habere valens? Non-
ne iudicium, Dei, de quo nobis ser-
mo est, ultimum illud & univer-
sale est, in quo omni præcisio grava-
mine, seu appellatione absolventur
vel condemnabuntur omnes
in eo iudicati homines? Quomo-
do igitur aliud tribunal dari po-
test, in quo memorati iudicii sen-
tentia revocatur? seu quo modo
revocari potest? Istud, *quomodo*,
mox patebit.

Agedum, videamus nunc adesse
iudicium Dei, omnique illa Magni-
ficentia & Majestate, quæ in ulti-
mo mundi die illud horrendum &
terribile reddent, comitatum, tri-
bunali pœnitentiæ se sistere con-
templemur: nox fasces præ se fert
Romanorum, & supremæ justitiæ
& auctoritatis insignia, sed gladiū
illum ostendit bicipitem, *Gladium*
utrâq; parte acutum: duplicis istius
pœnæ, damni scilicet & sensus in-
dicem, ad quam solum iudicium
Dei, & nullum iudicium humanū,

Apoc. I.
v. 16.

non corpora tantum sed & spiritus
condemnare potest. O quam rigi-
da auctoritas! ô quam horrenda
iurisdictione! ô quam formidabilia in-
strumenta! si sic iudicium Dei tre-
mere facit, quando comparet, &
iudicandum se sistit, quid fiet ubi
venerit iudicaturum? Quid autem
facit pœnitentia, aut facere potest,
ad hocce tam absolutum independensque iudicium revocandum? i-
dem ferme, quod cum reliquis fe-
cit. Ad corrigendum sui ipsius iudi-
ciū aperit nobis oculos; ad contē-
nendum iudicium hominum ob-
turat nobis aures: ad revocandum
iudiciū Dei cor nobis vertit: corde
converso revocatus est Dei iudiciū.

Propheta Joël de extremo judi-
cio ad literam loquens, solem, lu-
nam, & stellas obscurandas, Cœ-
lum terramq; ad conspectum Dei,
tremore concussa describit: *à facie*
eius contremuissunt terra, moti sunt celi, Joel. 2.
Sol & Luna contenebrata sunt, & v. 10.
Stella retraxerunt splendorē suum.
Innumerabiles insuper Angelorū
describit exercitus, qui supremum
iudicem, tanquam justitiæ & vin-
dictæ suæ executores comitaturi
sunt; *Dominus dedit vocem suam* Ibidem
ante faciem exercitus sui, quia multa
sunt nimis castra eius, quia fortia & Ibidem
facientia verbum eius: Deniq; ma-
gnitudinem & terribilitatē diei il-
lius describit: *Magnus enim dies Do-*
mini,

mini, & terribilis valdè. Interrogandoq; quis sustinebit eum? Sequèntibus concludit verbis: *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro.* Cernitis omnè, istum apparatus, omnes istas iræ, justitiæ, & pœnæ comminationes? corde tantùm versò omnia in ventum abibunt: cor tantùm ad me convertite, *convertimini ad me in toto corde vestro,* & omnis in judicio hoc contra vos fulminata sententia jam crit revocata. *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro.* Notate bene ista verba, *Nunc ergo:* ita ut pœnitentiam oporteat esse nunc in præsenti, & judicium postea. Hæc quippe inter judicium Dei, & hominum judicium est differentia: in judicio hominum appellatur postea, in judicio Dei appellatur antea, *Nunc ergo:* jam jam Christiani, quia jam tempus est. Enim verò, quare jam & non postea? quia postea nec locus, nec tempus est pœnitentiæ. Si post judicii diem spatium concederetur pœnitentiæ, judicii divini revocari posset sententia: sed quare sententia ista non possit revocari *Tunc?* ratio est, quia non datur pœnitentiæ tribunal, nisi nunc, *Nunc ergo,* &c. Sed Exemplo, tribunalis hujus potestas innotescat, & Exemplo quidè mundi hujus maximo. Attendite.

§. IX.

PRopheta Jonas Civitatem Nive ingressus predicabat ubiq;: *adhuc quadraginta dies, & Nive subvertetur.* Sententia hæc in justitiæ diviniæ tribunali ob civitatis hujus peccata erat decreta, nec Propheta Jonas aliud quam præconis agebat officium illam promulgando & ita publicando totam perambulavit Civitatè tam amplam, ut non nisi tertio finiente die, ad Palatii locum perveniret. Auribus tandem Regis insonuit sententia, & quid vobis faciendum ipsi fuisse videtur? è regio descendens throno, in quo Reges temporis istius residere consueverant, scissâ purpurâ, cilicio indutus aspero, ablatâ à capite coronâ, abjecto è manibus sceptro, conspersus cinere caput, vestigia Jonæ alium mandat insequi præconem, proclamantem, ut Civitas tota Regis imitetur exemplum. Præeuntem Dei prædicatorem, præco sequebatur Regis: Præco Dei sententiam evolutis quadraginta diebus executioni dandam clamabat; Præco regius decretum & mandatū Regis è vestigio exequendum urget. Et ita factum est, Regina induit cilicium, idem totum induit Gyneceum: cilicium induunt Aulici, eodem se induit omnis populus (& quod

Jon. 3.
v. 4.

quod fidem non inveniret nisi scripturâ attestante) ad stuporem & horrorem hominum sacco & cilicio ipsa operata sunt animalia. Hoc modo Jonas, totis quadraginta diebus jejunos, orationi tantum cum lacrymis & clamoribus in cœlum intentus Civitatem perambulavit. Ultimo jam expirante die Jonas in montem quandam perrexit, ex quo Ninive subversionem intueretur. Supponamus putasse Jonam, Civitatem horâ nonâ matutinâ subvertendam, quid illâ die horâ octavâ sonante cum cogitâsse censemus? Ah misera Civitas! unica tibi tantum hora durationis restat! jam jam apparet quàm suspensus Propheta rotam istam transigeret horam. Adest hora nona, & ecce nunc Civitas subvertitur. Id sibi ita, oculorum & Prophetiæ lumine quasi illuminatus Jonas imaginabatur: sed Ninive adhuc subsistebat, Turres adhuc in altum surrigebantur, & mœnia adhuc firma consistebant. Et domus ruinam minari visæ, immotæ perseverabant. Pari modo prima, & secunda hora, totusque transit dies, & Jonas stupore attonitus hærebat. Quid rei hoc est, Domine? Nunquid in divinæ justitiæ tuæ tribunali ex ore tuo decretum erat, verique Prophetæ tui verbi publicatum, quod Ninive

ob enormia sua peccata foret subvertenda? Nonne hunc in finem quadraginta tantum dierum tempus pro executione erat designatum? Quonam igitur pacto omnia ista in irritum reciderunt? Quonam pacto Ninive adhuc integra & incolumis perstat? Nonne Prophetia mea suo fraudatur eventu, verbumque tuum in contemptum & vilipensionem abibit? Si hoc dixisti, utique ex mentis tuæ decreto es locutus; & si decrevisti, quare non subsequitur executio? Ratio est, quia Rex populisque Civitatis Ninive eâ usi fuere prudentiâ, ut, quamvis intimata ipsis foret judicii divini sententia, ad tribunal nihilominus appellarint pœnitentiæ; & in tantum tribunalis pœnitentiæ *Superior* est jurisdictio, ut, quod in Dei judicio decernitur & pronunciat, in pœnitentiæ tribunali revocetur. Dixi, *Superior*: nam si duo ista judicia forent æqualia, sicut in judicio pœnitentiæ absolvitur, quod in judicio Dei condemnatur, in judicio Dei condemnari posset, quod in judicio pœnitentiæ absolveretur. At eatenus judicium pœnitentiæ supereminet ipsi judicio Dei per misericordiarum suarum excessum, ut, quod in Dei judicio condemnatur, in judicio pœnitentiæ possit absolvi: & quod in pœnitentiæ judicio

Mat. 9.
v. 3.

judicio absolvitur, in judicio Dei condemnari non possit. *Benedictus ille, qui dedit potestatem talem hominibus.*

S. Paul.
lin.

Enim vero quod dixi, totum est literale, sed pro confirmatione majore S. Paulinum audiamus: *Ninivite meruerunt denunciatum evadere excidium, quia se spontaneis luctibus cruciando, divinam sententiam prævenerunt suâ.* Ita ut pœnitentiæ beneficio plus valuerit Ninivitarum in se ipsos lata sententia, quàm divina in ipsos pronũciata, nam sententiam divinam prævenerunt suâ. O dignitatem magnam! O supereminentem pœnitentiæ excellentiam! in extremo Dei judicio (magnas mecum notate differentias judicii pœnitentiæ & excellentias, præ judicio Dei) in judicio Dei extremo, ab uno attributo appellare non licet ad aliud attributum; à justitia Dei appellare non licet ad misericordiam ejus: in pœnitentiæ judicio appellare licet à justitia Dei ad justitiam meam: in judicio finali Dei, appellari non potest à Filio ad Patrem, nec à Patre ad Filium, neque à Patre & Filio ad spiritum Sanctum; in summa, in judicio Dei appellare non datur à Deo ad Deum: in pœnitentiæ judicio à Deo appellare licet ad me. In judicio finali Dei, pec-

Pars V.

catores condemnantur ad non videndum Deum: in judicio pœnitentiæ condemnantur peccatores, ad illum non offendendum. O suavem condemnationem! in judicio finali Dei nihil profunt lachrymæ & planctus: in judicio pœnitentiæ una tantum sufficit lachryma, pro omnibus peccatis mundi. In judicio finali Dei nihil profunt intercessores & patroni: in judicio pœnitentiæ, nequidem sunt necessarii. In judicio Dei finali, peccatores damnantur ob peccata: in judicio pœnitentiæ condemnatis peccatis salvantur peccatores. In judicio finali Dei alii absolvuntur, alii damnantur: in judicio pœnitentiæ, nullo condemnato absolvuntur omnes. In judicio finali Dei peccata cunctis manifestantur hominibus: in judicio pœnitentiæ uni manifestantur soli. Denique in judicio finali Dei Christus aget judicem: in judicio pœnitentiæ Christus agit Advocatum: *si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Ecce, tali Advocato in pœnitentiæ tribunali, qualis erit differentia inter advocacy & revocationem! quoniam pacto non revocabitur judicium, ubi Advocatum judex agit: Sic sic est: in judicio pœnitentiæ, Dei judicium revocatur. Habemus,

O

Chri-

Joan. 2.
v. 1.

Christiani, iudicium Dei revocatum, iudicium hominum vituperatum, & sui ipsius iudicium emendatum.

§. X.

Supposito igitur, Christiani, quod mala omnia & pericula, quæ in istis iudiciis vidimus remedium habeant in pœnitentia: supposito quod tanta, tamque enormia sint, ut omnibus æternæ vitæ bonis nos privent: quid super est spem fidemque habenti, nisi ut de pœnitentia agenda seriò tractet? *agite pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum cælorum.* Jam mille sexcenti, totque in super anni abierunt, à quo S. Joannes Baptista hæc verba dixit, & nos dicimus quotidie: *adveniat Regnum tuum.* Sed si Regnum cælorum tum temporis jam appropinquaverat, quomodo petimus & oramus, ut adhuc adveniat? Regnum cælorum tres omni tempore status complectitur: unum in quo appropinquavit, alterum in quo appropinquat, & tertium in quo venit appropinquando. Mortuis jam appropinquavit; morientibus appropinquat; viventibus venit appropinquando, quibusdam citius, alijs serius & tardius; omnibus tamen temporis modici spatio. Hæc nos

consideratio vel maximè ad pœnitentiam extimulare deberet; Pœnitentiam agamus Christiani, ne impœnitentes nos mors inveniat. Christianorum nullus se pœnitentiam acturum negat, sed nullus eam statim agere disponit, ad finem usque vitæ eam omnes differunt. *Prædicans baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum.* S. Joannes Baptista prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: si peccatorum remissionem desideramus, pœnitentiam velut Baptismum accipiamus. Omnes pœnitentiam, velut extremam unctionem in vitæ fine volumus, sed non aliter ac Baptismus suscipienda est, quem differre fidelis prohibetur. Si creditis, quare pœnitentiam non agitis? si propositum illam agendi, & vos ad Deum convertendi habetis, utique quo differtis? *si aliquando, cur non*

modo: inquit Augustinus. *Quæstio ista responsione caret, nec ipse S. Augustinus, nec Plato vel Aristoteles, neque Angeli cælestes illam invenere; neque ipsi Dæmones infernales ad nos decipiem non illam unquam invenire potuerunt.* *Aug.*
Auditores Christiani, quos toto corde, & ex anima tota diligo, iustum est, ut tot cum iudiciis rationem ineamus: si quis me audit & convertere se renuit, huic non loquor

Mat. 3
v. 2.

quor: sed si convertendi vos pœnitendique Propositum habetis, *si aliquando, cur non modo?* si talicum proposito conversuros vos postea dicitis, quare hoc modò non facitis? Quænam habetis motiva hoc faciendi postea, quæ non habeatis modò? si postea verè contriti pœnitentiam egeritis quæ non potest esse vera sine vera contritione; Deum vos offendisse dolebitis, qui semper idè est: Ergò, non est Deus *hodie*, idem, qui erit *postea*? nonne eadem est majestas, eadem magnitudo, & eadem omnipotentia? nonne tam bonus, æquè amabilis est *modo*, sicut erit *tunc*? si itaq; amabitis *tunc*, quare illum non amabitis *modo*? Ergo ac, peccator, cum Deus omni amore sit dignissimus, judicabitur *tunc*? & in omnibus offendi meretur, *modo*? *si aliquando, cur non modo?* Insto, si *postea* pœnitebitis ritè & verè, ex toto doleatis corde opus est, quod vos non pœnituerit, nec pœnitentiam egeritis *modo*. Qualis igitur dementia est liberè & pro arbitrio id facere, de quo ut præsupponitis hac horâ, dolebitis quod feceritis, si dolebitis *postea de de præsentis*, quare vos non pœnitet *modo de præteritò*? Insto magis, si vestri motiva doloris non erunt contritio perfecta, neq; amor Dei super omnia, sed timor pœnarum infernalium tantùm; *si aliquando, cur non modo?* si propter infernum do-

lebitis *tunc*, quare timore inferni non doletis modò? forsan jam fuistis in inferno, tempusq; & ætatem jam ardentium ibi explorastis: si in inferno non nisi septuaginta aut octoginta annorum homines ardent, ad eam usq; ætatem vestram differre cõvertentur: sed si ad infernũ pergitur cum annis septẽ, quare pœnitentia differetur ad annos septuaginta? si itaque eadem motiva quæ habebimus *postea*, adsunt *modo*: si *tunc* nihil ampliùs habebimus, quàm *modo* (excepto), quod plura peccata ad deplorandum, & plures culpas, de quibus dolèdum) *si aliquando, cur non modo?*

Hucusq; argumentati sumus in supposito, quod vobis deinceps cõcedere nolo: quia ipsam vobis veritatem planè detegere, & nudam ob oculos ponere intendo. Qui dicit, *si aliquando, cur non modo*, supponit, quod, si non convertitis vos *modo*, quod vos convertetis *postea*: hujuscemodi suppositum non admitto, quia contrarium demonstrare conabor. Christiani, si non cõvertatis vos *modo* (ordinarie loquendo) nec vos convertetis *aliquando*. Pace S. Augustini, quæstionem ipsius inverteo. S. Augustinus inquit, *si aliquando, cur non modo?* Ego dico, *si non modo, cur aliquando?* Quæ motiva habetis convertendi vos *aliquando*, omnia ista, &

multò majora habetis *modo* : Si igitur ista non sufficiant, ut vos cōvertatis *modo*, quo pacto, humano sufficienti modo, ut nos cōvertamus *aliquando* ? rationis hujus vis Judam ad laqueum impulit. Judas hunc in modum secum ratiocinabatur. Efficaciora ad conversionem nequeunt esse motiva, quam ego sed me convertendum habui, siquidem Christum pedibus meis advolutum habui: sed si Christum pedibus meis advolutum habere, non sufficit ut me converterem, nihil mihi exspectandum restat: veniat laqueus. Et ja Christiani, neminem desperare volo; & salutem omni tempore obtineri posse negare nolo! Hoc tantum persuasum vobis cupio, quod S. Scriptura omnesque sancti Patres concorditer asserunt, scilicet illos, qui usque ad mortis horam vitæque finem penitentiam differunt, salutem suam discrimini exponere quia raro salvantur *si non modo, cur aliquando* ? Si non convertimini *modo* favente adhuc vitâ, quomodo convertitis vos *postea*, quando vos mortuos esse contingere potest? Dicitis, quod non convertitis vos *modo*, sed convertitis *postea* : si istud *postea* esset *modo* ? Si in statu moreremini præfenti, illud *aliquando* non attingentes, quid vobis futurum censetis ? Quot mane è lecto sur-

gunt, vesperi non iterum incubituri ! & quot incumbunt vesperi non surrecturi mane ! quot mensæ accumbentes bolus unus suffocavit: quot obambulantes per plateas ruina sepelevit ! quot globus non prævisus sustulit ! quot derepente in maniam & phrenesin inciderunt ! quot & quibus febris cum delirio supervenit ! quot quantisque turbatio aliqua, apoplexia aliqua, aut accidentia alia infinita vitâ, seu rationis usum adimunt ! omnes isti (sicut & vos putatis) ordinaria se morte morituros opinabantur. Et quis vobis idem non eventurum promittere præsumeret ? *Si non modo, cur aliquando* ? Si jam ratione, & sensibus, potentiisque adhuc plene utentes, non vos convertitis, quo pacto vobis in hora mortis, tot circumdati angustiis & impedimentis, quorum quodlibet animâ perturbare, suaque libertate rationis usu privare sufficit, conversionem promittere præsumitis? jam loco suo motis potentiis, quomodo vos conversuros putatis ?

Verum enim verò, ego liberè vobis vitam, salutem, sensuum, potentiarumque vigorem indulgeo: plus adhuc, quam istud requiritur. Ut homo cōvertatur, non sola vita, sanitas, rationisque usus sufficit, sed principaliter gratia Dei opus est: Ergo, *si non modo, cur aliquando* ?

Si

Si modò, quando minus Deum offendistis, hic suam vobis ad conversionem denegat gratiam, quid magis offensum facturum putatis? Scio, nec dubio locus est, quin *postea*, multò peiores eritis quàm *modò*: Ergo si jam meliores, seu minus mali vos non convertitis, quonam pacto peiores jam facti, hoc facietis? peccata quantò magis continuantur, tantò magis indurant & obstinatum faciunt peccatorem. Ergo, *si non modò, cur aliquando*? Si *modò* corde vestro necdum adèò indurato & obstinato, nec sermones, nec inspirationes, non exempla, nec infautæ mortes vos emolliunt, quid fiet, ubi marmore & adamante evaseritis duriores? peccata continuatione habituata, majores sibi vires roburque acquirunt: anima è contrario debilitatur; consuetudo robustior prævalet. Ergo, *si non modò, cur aliquando*? Sacra Scriptura inquit: *Beatus qui occidit parvulos suos ad petram* (loquens de peccatis) & tu (inquit sanctus Eucharis) *expectas donec inimicus tuus Gigas efficiatur*? Si *modò* peccata adhuc infirmiora, necdum adèò convalescerunt, & anima adhuc vigorem aliquem & robur habet, vix vinci possint,

quid fiet cum Gigantes jam evaserint, & in illis anima tristis senio confecta, & debilitata se movere non possit?

Denique ne longiùs abeamus, Christiani, si hac horâ vos Deus excitat, si aures cordis vestri clamore suo pulsât, nec ipsi aperire, aut auscultare vultis, quomodo vos vocaturum *postea*, vel clamantes vos auditurum, vel ipsum vos competenter invocaturum speratis, *si non modò, cur aliquando*? Utinam ipse vobis Deus hanc veritatem inculcet, ita ut videatis vos cum spe hac, qua nitimini, ruituros in infernum! Deum loquentem attendite. Prov. cap. primo. *Vocavi Prov. i. & renuistis, extendi manum v. 24. meam, & non erat qui aspiceret: Ibid. v. despexistis omne consilium meum. 25.*
Et quid hinc sequitur? *Ego quoque Ibid. 26. in interitu vestro ridebo, & subsannabo*: Et sicut *modò* clamantem me non auditis, ita & ego vos tunc non exaudiam, licet ad me clametis: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.*

Agite Christiani, promissioni huic Dei, fidem habemus, quod quoties peccator illum ex toto corde invocaverit, ipsum exauditurus sit. Promissio illa erroneè & malè intellecta agitur inter homines; proindè attendere

oportet, quid Deus in illa promiserit, & quid non promiserit. Deus promisit quotiescunque peccator ex toto corde ipsum invocaverit, se exauditurum: non tamen promisit, quod quotiescunque peccator voluerit, ipsum ex toto corde invocabit: utrumque valdè discrepat. Si ex toto corde clamaveritis ad Deum, ipse vos exaudiet: sed si modo Deum ex toto corde non audieritis, postea Deum ex toto corde nō invocabitis. Clamare ad Deum ex toto corde, à solo nostro non dependet arbitrio; sed à nostro arbitrio, & simul à Dei dependet gratia porò Deus secundum altissima iustitiæ suæ iudicia decrevit, quod eundem invocare nequeat in morte, qui cor illi præbere recusavit in vita. Quid amplius à vobis Deus exigit in vita tota, quam cor vestrum: *Fili, præbe mihi cor tuum*: Et sicut modò Deo petenti cor negatis, ita tunc iustissimè vobis negabit Deus, ut illum ex toto corde invocetis & petatis. Deus modò vos quærens non invenit: Tunc nos quærentes Deum non inveniemus. Deus ipse hoc comminatus est, dicens: *Quæretis me & non invenietis: & in peccato vestro moriemini*. Istud tantum dicit.

Prov. 23.
v. 26.

Joan. 8.

O Christiani, per Vulnere Christi, & ea, quæ animabus vestris de-

betis vos rogo, tantam infelicitatem præcavete. Veritatem attendite, & hoc verissimum habetote, nisi ab hoc vos instanti converteritis sed eandem viam & conversationem continuare perrexeritis sine ullo remedio, vos interitum & damnationem incurfuros. Remedium est Baptismus Pœnitentiæ, Contritio vera & ex corde, Confessio integra & sincera, firmaque non amplius offendendi Deum resolutio: Facite modò, quod facturos vos dicitis aliquando. Si conversionem distulistis in vitæ finem, istum jam adesse vobis imaginamini, quod reverà non est imaginatio. Sed quid prodest, Domine Jesu Christe, me illa dicere nisi gratia tua meorum inanitati seu imbecillitati verborum robur & efficaciam addat: efficaci piissimorum & benignissimorum oculorum tuorum auxilio succurre, intellectus istos illumina, voluntates istas & affectus accende & inflamma, indurata ista corda exure & emolli, ne tibi existant ingrata: & quò illis infinita incarnationis tuæ merita proficiant, *Per Adventum tuum*, Domine, per amorem, quo salvandis animabus venisti in mundum, salva hodie animas nostras, saltem vel unam. *Per Nativitatem tuam*, Domine, per amorem & misericordiam, qua natus in stabulo, re-

clina-

clinatus es in præsepio, per desolationes istas, per frigus istud, per paleas istas, & lachrymas, per paupertatem istam extremam, affectumque ardentissimum quo hæc omnia amore nostri pertulisti.

Sanctissima Virgo Maria, hodie intensissima expectationis tuæ desideria recolimus, istos tuos nobiscum partire affectus, ut etiam in

cordibus nostris nascatur Christus; suspiria in inspirationes converte; à Sponso tuo Spiritu sancto postula, ut efficaci lucis suæ radio pectora nostra penetret & transfigat, ut illum amemus, illi serviamus, gratiaque ipsius digni effecti, hac optulante, cœlestem & æternam gloriam promerceamus, quam mihi vobisque concedere dignetur.

S E R M O

DE

Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ.

De qua natus est Iesus. Matth. 1.

§. I.



Uemadmodum in materiis omnibus controversis dicere jam dicta, otiosum est: pari modo in hac, de qua mihi hodie loqui incumbit, non dictum dicere, difficile est. Inter omnia suprema Mariæ Matris Dei Mystera, illud quod hodie celebrat Ecclesia, quodque omnes no-

vitare aliqua solida stabilitatum audire desiderant, est illud immaculatæ ejusdem Conceptionis. Sed omnes semitæ quæ securè ducunt vel ad templum hoc venerandum, vel ad Castellum hoc propugnandum, sic tritæ sunt & calcatæ, ut juxta quod pluribus abhinc annis præcipuorum Hispania O-ratorum quidam asseruit,

nemo

nemo pedem, nisi super alterius vestigium figere possit. Optima quidem satisfactio pro excusatione, infirma tamen valdè & insufficientis pro desiderio. Hac ipsa quondam usus est celebris comicus Terentius, copiam sibi petens repræsentandi idem, quod illud illustre jam audierat Auditorium, in justificationem sui allegans, quod idem fecissent olim veteres, & nunc practicarent moderni.

Terent.
in Eunu-
cho.

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius;

Quare æquum est vos cognoscere, & ignoscere:

Quod veteres factitarunt, sic faciunt novi.

Porrò si illud usitatum jam erat in capite, ante mille, & plures annos, quid fiet inter nos hodie, ubi difficilius nova inveniuntur argumenta, quàm novi habitus & indumenta?

Sed esto. Ego nihilominus huic me dictamini nullatenus prosterno: licet enim veteres primibiberint ex fontibus, non tamen propterea eos exhauerunt; *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt*, inquit Seneca. Facere, & perficere grandi distant intervallo: *Multum restat operis, multumque restabit.* Quemadmodum illis assertis aliquid addiderunt veterum; sic & nos addere possumus,

Senec. e-
pist. 64.
Ibid.

& de novo detegere, quod illi non invenerunt: quod etiam facere poterunt, qui nos sequentur. *Quod animosè & audaciter scripsit maximus stoicorum spiritus.* Neque timere me facit oraculum illud Salomonicum: *Nihil sub Sole novum.* ^{Eccl. I. v.} ^{10.} Materia enim, de qua tractaturus sum hodie, non est sub Sole, sed de ipso Sole, & supra illum.

Dubius igitur inter hoc, quod sententiarum istarum una, proponit verù, & altera opponit difficile: illud tanquàm mediù assumere intendo quod Magister divinus docuit, in quo ambæ conciliantur & conspirant: *Ideo omnis Scriba doctus similis est patri familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Idem faciam hodie, licet paupertatis meæ non ignarus: *Ego vir videns paupertatem meam.* È Theologia & S. Scripturæ thesauris in præsentimateria supponam antiquam, visurus utrum dicere possim novum. Beatissima virgo immaculata, cujus gratia semper fuit antiqua, & semper nova, suâ mihi assistere dignetur.

Matth.
13. v. 52.

Thren. 3.
v. 1.

Ave Maria

§. II.

Maria, de qua natus est IESVS.
Matth. I. v. 16.

Vetus & antiquum me suppositurum promissi, ut dicam novum.

vum. Et cum propositionem hanc in materia immaculatæ conceptionis facilius sit promittere, quàm inde se expedire, à suppositionibus initium capiamus. Tria velut certa, & quæ talia recepta universaliter, quodlibet tamen intra suum certitudinis gradum suppono. Primùm scientificè notorium; secundùm plus quàm probabile; tertium de fide expressè. Primùm ex scientia notum est, duos esse redimendi seu redemptionis modos; unus qui tardando succurrit captivitati; alter qui præveniendò ab ea præservat. Suppositum secundum, tamque probabile ut jam publicè affirmare non liceat contrarium, est, quod Christus, per redemptionem quæ succurrit, totum genus humanum redemerit; per prævenientem verò & præservantem sanctissimam suam redemerit Matrem. Tertium & de fide suppositum expressum, est utriusque redemptionis pretium, meritum & valorem fuisse infinitum sanguinis Filii Dei oblatis, & pro omnibus profusi. Iste igitur sanguis, & modus quo Christus illum singulariter pro sua Matre profudit, cum multis non ponderatis hucusque excellentiis, novitas erit, quàm pro majore Matris &

Filii gloria probare intendo. Porro ad omnia fundamentum mihi suppeditant Evangelii verba thematis loco allegata: *Maria, de qua natus est Iesus*. In Maria redemptam habemus & præservatam in nomine JESU, quod interpretatur Salvator & Redemptor, habemus redemptionem: & in duobus verbis, *de qua natus est* habemus pretium, quod fuit sanguis: incarnatus enim & natus de Maria JESUS, ab ea illum accepit, ut illum universaliter pro nobis, & particulariter pro ipsa Matre daret.

§. III.

Agrediendo igitur considerationes modosque particulares, quibus benedictus Virginis Mariæ Filius, quatenus JESUS, & quatenus Redemptor, in obsequium beneficiumque singulare sanguinem profudit, quem ex purissimis ejus acceperat visceribus: *De qua natus est*: Primus sit generalior, & velut fundamentum omnium, eandem scilicet beatissimam Virginem, sanguinis ejusdem virtute & meritò, à captivitate peccati Adami fuisse præservatam.

Deo mandante Moyse, ut è desertis Madian ubi commo-

rabatur, abiret in Ægyptum, ad redimendum populum suum ibidem captivitate & servitute gravi oppressum, Moyses Sponsam suam in comitatu duxit. Porro actus hic legati sui vehementer adeo Deo displicuit, tamque reprehensibilis fuit visus, ut antequam Ægyptum intraret, ipsi occurreret cum indignatione vitam ablaturus: *Cumque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Agite, sistamus hic gressum cum S. Augustino Theodoro; Eusebio Casariensi, Emisleno & aliis considerantes, qui eodem extextu colligunt hanc solā, & non aliam fuisse memorabilis adeo apparitionis causam. Itane, Domine, Moysem quem populi tui ex captivitate Redemptorem destinasti, non officio tantum sed etiam vita derepente privare decrevisti? Nunquid tanti reatus, tamque graviter accepta fuit culpa, secum ducere velle sponsam suam? Ita plane. Cum enim ego Moysem mitam ad liberandum eos qui captivi tenentur in Ægypto, in eandem captivitatem ipse inducere velit suam Sponsam, quæ ab eadem tam libera & remota erat, quantum Ægyptus distat à Madian, cæcitate talem & errorem in homine, quem universalem populi mei Redem-

Exod. 4.
v. 24.

ptorem & hinc filii mei typum constitui dissimulare impune non possum. In hoc iudicio considerent illi, qui sese hodiernæ Concioni conformare recusant, num forte similis quisquam adhuc inveniretur. Si Deus occidere voluit Moysem, quia sponsam suam Ægypticæ captivitati cum aliis subijcere parabat, quæ erat Moyses: si ipsius Dei Sponsa fuisset, quomodo ipsum toleraturum fuisse putamus? Vera igitur ipsius Sponsa existente Maria, quo pacto, quæso, sustinebit eos qui eam captivam cum reliquis, in eandem captivitatem inducere volunt? sed hoc obiter notato, ad finem punctumque nostrum cum historia progrediamur.

Moyse & Sephorâ in articulis adeo periculosis & arctis constitutis: illo sub gladio Dei ad mortem condemnato, hac verò ut Ægyptum ingrederetur ubi omnes detinebantur captivi; quid accidit? ducebat uterque secum filiolum parvum, quem stantibus sic rebus confestim mater circumcidit, ad patrem dicens: ipsum profusi sanguinis esse causam. *Sponsus sanguinum tu mihi*

Exod. 4.
v. 25.

Et dimisit

Ibid.
26.

miserum. Id est Sephora Moy-
sen ; ita Lyranus. *Quis* hoc in
calu non admiraretur modum
tam expeditum , quo duo tam
forti sibi vinculo illigati se dissol-
verunt ; & duo tantis periculis
expositi eadem evaserunt ? ita
ut , dum Filii effunderetur san-
guis , Pater absolutus fuerit à
culpa , & Mater captivitate subtra-
cta ? Non sine ratione asseruit
sanctus Paulus , omnia quæ isto
contigerant , tempore fuisse figu-
ras , & quasi futurorum præludia :
Omnia in figura contingebant illis.
Insons Filiolus præfigurabat Chris-
tum ; Pater Adamum , cujus as-
sumpsit naturam : Mater beatif-
simam Virginem Mariam , de qua
natus est. Porro filii sanguine fu-
so mox pater liber evasit à culpa ,
ob quam condemnatus fuerat ad
mortem : & Mater à captivitate
præservata , ad quam deducta
fuerat à Patre. Nunquid aptior ad
propositum , per omnes suas
circumstantias figura & represen-
tatio dari potest ? Verum dux adhuc
ad majorem Mysterii deco-
rem advertendæ desunt. Prima ,
Matrem à captivitate fuisse immu-
nem non post Ægypti ingressum
ut captivitate subiceretur ; sed an-
tea , & ne captiva detineretur præ-
servatam fuisse. Secunda , quod
eadem ipsa Ægyptiaca cap-

tivitas tunc & occasione tali non
nisi modico tempore amplius fo-
ret duratura : sed sicut filius Sepho-
ræ Filium præfigurabat Mariæ , san-
guis ipsius non permisit , ut vel uni-
co temporis momento mater sua
captiva teneretur.

Præter figuram talem videtur
realem dari non posse probatio-
nem , quæ illam adæquet : tantò
verò major erit & melior , quan-
tùm lux ab umbra distat. Ipsemet
Christus pretiosissimum sangui-
nem suum in ultima Cœna in Ca-
lice consecrans , his usus est verbis.
Hic est Calix sanguinis mei , qui pro
vobis , & pro multis effundetur. Ter-
ribile est verbum illud ultimum !
Est de fide , Christi sanguinem pro-
fusum esse pro omnibus ; nam pro
omnibus mortuus est , de quo con-
tra modernum hæreticum , ex-
pressum habemus S. Pauli textum :
Pro omnibus mortuus est Christus. Si
igitur Christus profundere debet
& profudit sanguinem pro om-
nibus ; quare non dicit , hic
est Calix mei sanguinis qui pro
vobis , & omnibus effundetur :
Sed pro vobis & pro multis ? Legi-
te verba sequentia , & patebit
quàm admirabiliter dubium sol-
vant. *Qui pro vobis , & pro mul-
tis effundetur in remissionem pec-
catorum.* Effundetur , inquit
Christus , sanguis meus pro vobis ,

I. Cor. 10.
v. 11.

2. Cor. 5.
v. 15.

& pro multis, & quo fine? *In remissionem peccatorum.* Hic differentia consistit. Sanguis Christi absolute non pro multis, sed pro omnibus est effusus: sed in remissionem peccatorum non est effusus pro omnibus, sed pro multis; de numero quippe omnium exempta fuit Mater, quæ eundem sanguinem illi dedit. Pro reliquis omnibus sanguis Christi fuit effusus, & quidem in remissionem peccatorum: pro Matre etiam sua fuit effusus, sic est, sed non in peccatorum remissionem; quia peccato caruit. O benedixte Fili Mariæ, quàm benè te simul ostendisti Filium Dei, cum sublimiter ad eam Matris tuæ honori consuluisti! sancto Paulo dicendum fuisse videtur; quod omnes in Adam peccarint; & pro omnibus Christi sanguis fuerit effusus. Ne autem mundus deciperetur, & sciret, quod in contrahendo peccato fuit exemptio, & in effundendo sanguine differentia; hinc Christus duabus tam expressis limitationibus declaravit, sanguinem suum pro multis, & in remissionem peccatorum fore effundendum. Pro multis, & non pro omnibus, ad Matrem suam excludendam; & in remissionem peccatorum, & non alio fine & modo, ad illam ab omni eximendam eul-

pa, à qua absoluta non fuit, per remissionem, sed præviè præservata per gratiam. Hoc ita hora illa, taliquè actu Calicem manu tenens sanguinis quem effusus erat, protestatus est dicens velut Filius Dei, Redemptorque Matris, à qua eundem sanguinem acceperat. *De qua natus est Iesus.*

S. IV.

Generali isto confirmato fundamento, in quo (utrum novitate aliqua nescio) istius quod vetus & antiquum vocavi, suppositiones tam solidè probatæ videntur: ut aggrediamur id quod propriè magis novum censetur, & potissimum quoad sanguinem, quem Christus ad redimendam, & à peccato singulariter præservandam Matrem suam, effudit; novillè oportet quando, ubi, & quomodo benedictus Filius tantum, tamque arcanum, & nunquam hucusque distinctè & clarè examinatum operatus fuerit mysterium.

S. Bernardinus Senensis Christum suam redemisse Matrem asserit primo effuso in Cruce sanguine, grandi cum prærogativa inter omnes eadem Cruce redemptos. Super illa Canticatorum verba se fundat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum:* In quibus

*S. Bernardin.
Senen.
serm. de
Concept.
Cant. 4.
v. 9.*

bus duplicia , prima scilicet & secunda vulnera agnoscit; primaque Christum pro Matris suæ redemptione obtulisse in cruce affirmat: ut eadem Domina præ cæteris redēpta, redēptoris primogenita esset. Porro devotissimi doctissimiq; Patris verba sunt ista: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum: pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum; nam primogenita Redemptoris Filii sui Iesu est Virgo Beata.* Sublimis sanè conceptus & sensus, & authore suo cōdignus: ita, ut quemadmodum filius fuit primogenitus Matris quā homo, peperit filium suum primogenitum: ita Mater fuerit primogenita filii, quā Redemptoris, *Primogenita Redemptoris filii sui.* Et prima fuit excellentia, seu excellens correspondentia, qua Filius Iesus, quā Iesus & Redemptor Matris, de qua natus est, beneficium illi solvit istius esse, non quod jam ab illa accepisset, sed accepturus esset. Filius primogenitus Matris, & Mater primogenita filii: filius primogenitus Matris in sua nativitate, Mater primogenita Filii in Conceptione.

Hucusque S. Bernardinus, declaratā sententiā ipsius, quoad illa permittit, Et revera dicendo, *vulneribus primis, nisi addidisset, in*

cruce, nihil mihi ultra desiderandum putarem, conceptui meo applausurus quod cum tam illuminato sublimique spiritu concordaret. Verum quia aliæ clariores suppetunt scripturæ, quas allegabo, conformando me opinioni, quod sanguis, quem Redemptor pro sua Matre fudit, fuerit primus, dico non fuisse illum quem effudit in cruce, sed in horto. Probandæ huic novitati viam pandat insignis Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius, qui mille jam ante florens annis scriptum reliquit, quod Filius Dei universalis Redemptionis opus aspiciaturus initium fecit à Matre. *Nec mirum, si Dominus Redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Eleganter & discretè more suo Ambrosius, vult dicere, nemini mirum videri debere, quod mundi Redemptor opus suum exorsurus à Matre sua inciperet, ut quam cooperatricem in redemptionem sibi adsciverat, prima in ipsa redemptione, de ventris sui fructu colligeret fructum.

Hoc supposito, si cui fors eundè filium, eandemque Matrem interrogare libèret, ubi nam primos istos redemptionis fructus collegerint, nullus dubito, quin responderent

Cant. 5.
v. 1.

rent ambo, in horto: quod expresse Mater & filius affirmant. Est locus, quo nec desiderari, nec inveniri poterat melior: & fuit sponsa, qui est Christus, & sponsa, quæ est Virgo Maria, dialogus, in eodem Canticorum libro. *Veniat dilectus meus in hortum suum* (inquit Beatissima Virgo ibidem) *& comedat fructum pomorum suorum*: Id est fructus primos, & primitias eorum. Sic locuta est sponsa: & mox ut Filius Matris satisfecit desiderio, ita ait: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui Myrrham meam*: id est, veni in hortum meum soror & sponsa mea, & quod collegi, Myrrha mea est. Myrrha proprie non fructus, sed liquor est, ex sic dictis distillans & exsudatus arboribus. Si igitur sponsa ad hortum suum invitaverat sponsum, ut veniens fructus colligeret primos, *veniat in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum*: Quonam pacto sponsus ad eundem veniens hortum, fructuum loco Myrrham collegit: *Veni in hortum meum, & messui Myrrham meam*? Sic dixit, nam ita factum est, neque melius potuit declarari. Quemadmodum Myrrha exsudatus est ab arboribus aromaticus liquor; Collectus à Christo fructus in horto Matris suæ desiderio satis facien-

do, sanguis fuit eodem in horto orando profusus. Quod concorditer & expresse sentiunt, Cyrillus Hierosolymitanus, Philo Carpatius & Rupertus: *Christus enim in horto orans, Myrrham messuit, cum sanguinem sudavit*. Num clarius, brevius, exactiusque quippiam dari potest; in quo pro voto desiderioque nostro, ubi, quomodo, & quando exprimitur? Ubi, *in horto*; quomodo, *orans*: quando, *cum sanguinem sudavit*?

Primam hanc novam adeo, & probatam conclusionem contemplando quid dicemus? Dicemus fortasse Redemptorem supremum, suam redimendo Matrem tam excellenti processisse modo, ut non solum Immaculatam voluerit esse redemptam, sed Immaculatam ipsam etiam redemptionem? Et quia redemptio quam operatus est in Calvario, peccati, & peccatorum erat redemptio: ne illa Matris suæ ullatenus cum ea involveretur & permisceretur, eam loco, tempore, sanguine, & illum profundendi modo discrevit, & segregavit; in horto faciendo novum Calvarium sine monte, & in sudore crucem novam sine clavis? Sic illud eleganter Hildebertus Turonensis *de-*

Cyrill.
Philo
Carp.
Rupert.
ibid.Hilde-
bert.
Turo-
suis nescit.

fuit ante crucem. Sed Divum Paulum auscultemus. S. Paulus inter utrumque distinguere videtur sanguinem, universalem Redemptionē sanguini Crucis solū tribuendo! *Pacificans per sanguinē crucis ejus, sive qua in terris, sive qua in caelis.* Porro hisce terminis generalibus communiter loquuntur SS. PP. Ex quo sequitur, quod si sanguis Crucis solus fuit pretium Redemptionis universalis, hoc casu omnis sanguis in horto fusus, à Filio applicatus fuit Redemptioni Matris, proinde propriè non tantum primogenita, ut sanctus volebat Bernardinus, sed unigenita censetur: primogenita enim habet secundarios seu subseqentes, unigenita verò singularis est & unica. Verum enim vero excellentia hæc nullatenus debet, nec intelligi potest, cum exclusione sanguinis Crucis. dubio etenim vacat, filium Virginis etiam pro Matre mortem optiisse de qua natus est; quod nova fuit recognitionis gratitudinisque correspondentia, qua morte natiuitatem compensavit. Quid igitur coram ambobus hisce theatris seu amphitheatris, sanguineis utrisque in horto uno, in Calvario altero constitutis dicemus? Dico, in utroque Filium Mariæ, tanquam Jesum

fuisse operatum, & redemptionem ejus velut Redemptorem: sed in Calvario velut generaliter redēptam; in horto velut singulariter præservatam, & in utroque velut Purissimam & Immaculatam. In omnibus quæ dico, ejsdem Matris, ejsdemque Filii ore loquor: & in hoc puncto, consonantia admirabili cum textu, pro illo factò.

Unus è notabilioribus S. Scripturæ textibus, in quæ hoc dicit, & ordine & consequentiâ quâ hoc dicit, sunt illa sponsi divini, secum primo, & deinde cum sponsa loquentis verba: *Vadam ad montem Myrrha, & ad collem thuris: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Otiosum est repetere, sponsam esse Virginem Mariam, & sponsum Christum ejus Filium. Quomodo autem huic responderet, quod Filius ad montem Myrrha, & ad collem thuris iterum se dicat: moxque inferendo Matrem totam esse pulchram ab omniq; macula puram concludat? *Vadam ad montem Myrrha, & ad collem thuris:* & derepente nullo alio allegato motivo adjungat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te?* Pro notabilis adeò consequentiæ intelligentia, quam tam clarè & expressè Beatissimæ Virginis Immaculata puritas infer-

Ad Coloss. cap.
1. v. 20.

Cant. 4.
v. 6. & 7

infertur, scire necesse est, quis mons, & quis collis; quæ nam Myrrha sit ista, & quod thus, Myrrha mortem, thus significat orationem: porro communi hoc omnium SS. Patrum sensu mons Myrrhae est Calvarius, in quo Christus est mortuus; Collis thuris est Hortus Gethsemani, ubi oravit: Gethsemane enim situm erat in rupe seu colle valli, Cedron imminente. Proinde Christus moriens in cruce, & orans in Horto, hinc consequentiam deducit concludens ipse, Matrem suam totam pulchram, & ab omni macula puram: ratione & consequentia, repeto, iterumque dico, admirabili; nam ut Christus genus redimeret humanum, sufficiebat sanguis effusus in cruce; ad redimendam verò & præservandam matrem suam à labe peccati, per excellentiam sanguini crucis superaddere voluit sanguinem, quem orans profudit in Horto. Hoc est ire ad montem Myrrhae: vadam ad montem Myrrhae; simulque ad collem incensi, & ad collem thuris. Et mox unitis sibi gemini hujus itineris effectibus, sanguineque uno alteri consociato, exclamans voce alta Filius Matrem suam totam puram & Immaculatam pronunciauit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: Generalis enim san-

guinis in Cruce fusi effectus fuit redimere; effectus verò particularis sanguinis in Horto fusi, fuit redimere præservando.

Agite, sanguinem cum sanguine, illum crucis cum isto horti conferamus, & mox ad oculum differentia hæc patebit. Percusso in cruce Christi latere, mox inde sanguis & aqua profluxit: *Exiit sanguis & aqua*: Christo vero in horto sudante non nisi sanguis exiit: *Factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis*. Non ita fieri debuisse videtur. Sanguini horti consonum magis erat, quam sanguini crucis, cum eo simul aquam exire. Exhausto enim sudore naturali, qui est humor aqueus, sublequebatur præter naturale & mysteriosum quod est sanguis. Quonam igitur mysterio sanguis in cruce simul exiit cum aqua, & non ille fusus in horto? Omnes PP. uniformiter asserunt sanguinem crucis significasse Redemptionem, aquam autem Baptismum, ad abluendum peccatum originale primariè institutum. S. Athanasius: *Exiit sanguis & aqua ut ita redemptio, & immundatio prioris Ade dimanaret*. Et S. Ambrosius: *Exiit aqua & sanguis: aqua ut mundaret; sanguis, ut redimeret*. Sic reliqui: Et sicut sanguis Christi serviebat ad redimendum, & aqua ad abluendas peccati

Joan. 19.
v. 34.

Luc. 22.
v. 44.

Athanasius.
de Pass.
Ambrosius.
lib. de sacrament.
cap. 1.

Adami

Adami maculas, propterea in cruce cum sanguine simul exivit & aqua: *Exiit sanguis & aqua.* Verumtamen in horto, sicut sanguis feriebatur ad redimendum, non abluendo, sed à macula ipsa præservando; quia redimere tantum debebat, nec, quod lavaret, habebat; hinc sudor non fuit sanguineus aqua mixtus, sed sanguineus tantum: *sicut gutta sanguinis.* Hac ratione propriè Christus iterum se ad Calvariæ dicens, *Et ad montem Myrrha,* nullam de Matris puritate mentionem vel verbo fecit; sed mox ad hortum quoque; scilicet iterum adjiciens, *& ad collem thuris,* statim illam publicavit, & velut Immaculatam canonizavit, *Et macula non est in te.* Potuisset utique sanguis Crucis, utpote virtutis infinitæ idem operari; sed quia redemptio Matris tantò erat nobilior, tantò sublimior, tantòque pretiosior illis omnibus, valor æstimationeque redemptionis ejusdem exigebat, ut majus sublimiusque pretium daretur pro ea. Hinc filii studium & industria magis magisque; in excellentia semper proficiens, minori, quam solutionis duplicationi non acquiescens, pretio pretium, & sanguini sanguinem associat, velut Redemptor, & Jesus Matris, de qua illum sumpsit, & natus est: *De qua natus est Iesus.*

PARS V.

§. V.

Probavimus prærogativam sanguinis, quæ Christus sudavit in horto, respectu ejus quæ effudit in cruce, & quo pacto specialiter ab ipso Filio Immaculatæ Matris suæ redemptioni fuerit applicatus: sed nondum dedimus, nec inquisivimus rationem. In sanguine Christi tantum una valet gutta, quantum totus: & si in toto speculativè considerandus videretur aliquis excessus, totus fuit ille crucis, & guttæ ille horti: *sicut gutta sanguinis.* Qua igitur de causa, sanguis ille horti præferri meruit, in hoc mysterio sanguini Crucis: Respondeo, rationem, congruentiam, & excellentiam præferentiæ hujus fuisse; non tantum Redemptor & Redemptio, sed etiam pretium ejus, qui fuit sanguis, in eodè singulari & extraordinario redimendi unirentur modo, quo Filius Matrè redemit, & ipsa redempta fuit. Enim verò quomodo Beatissima Virgo Maria fuit redempta: non post, sed anticipativè, id enim est, præservatione fuisse redemptam. Hæc igitur fuit ratio & excellentia, cur non Redemptor solum & redemptio, sed ejusdem etiam pretium fuit anticipatum. Redemptor acceleravit & prævenit redemptionem: Redemptio accelerando prævenit peccatum: porro ut pretium quo-

que

que , quod erat sanguis , similiter accelerando præveniret , sanguis horti anticipando prævenit tantum crucis.

Parentibus Samsonis per desertam sylvisq; circumceptam oberantibus viam , comes viæ filius , præcurrens obvium sibi leonem non aspectu minùs , quam rugitu terribilem animosè aggressus sine armis , propriis tantum manibus suffocâdo interfecit , interfectumque in sylvam projecit. Heroicus sane & plusquam humanus actus quod ita notat scriptura , dicens , divini spiritus id cum fecisse impulsu. Primus verò motus , quo præcurrit , parentes suos post se relinquens , nec , necessarius , nec conveniens fuisse videtur. Non necessarius ; robur enim erat idem , & tam parentum stipando latus , quam præcurrendo occidere poterat leonē. similiter , imò multò minùs conveniens ; parentes enim comitando ab illius , alteriusve feræ sylvestris securiores reddebat incurfu. quonam igitur sine factum putamus ? (non enim poterat non esse magnus & mysteriosus) Finis magnus & mysteriosus fuit , pro ut jam nonnulli moderni scriptores notârunt , quia in historia hac de Samfone admirabiliter , & cum omnibus circumstantiis suis

Immaculatæ conceptionis præfigurabatur mysterium. Vi a per quâ ambulabant Pater & Mater figurabat illam , quâ ab Adamo descendimus omnes , quotquot mediante generatione naturali esse accipimus : Leo ferox & superbus peccatum denotat originale , quod in transitu illo omnes expectat homines , & nondum natis nec parçit , nec intactos dimittit sed perimit ; leonem istum occidens Samson est Christus Dominus per naturam à peccato imûnis , solus potens vincere & destruere non solum peccatum originale , sed & omnia alia. Quemadmodum igitur Samson præcurrit ad liberandû à leone Patrem & Matrem , antequam ipsis occurreret ; Ita Christus prævenit anticipando ad præservandam à peccato originali suam Matrem , antequam illud incurreret.

Hucusq; Doctores allegati , quorum nemo cõsiderat , nec circumstantiæ cuidam & improprietati succurrit , quæ , cum hæc mysterii figura tam naturalis existat , non solum eam deformat , sed negat vel in dubium vocat. Samson Patrem & Matrem à faucibus Leonis liberavit : Christus à peccato originali nullum præservavit virum , sed unam tantum mulierem , quæ fuit Virgo Immaculata. Er-

gò historia non convenit cum mysterio, neque figura cum suo figurato; immò omnem dissolvit & destruit Conceptionis Gloriam & prærogativam, quæ in eo consistit, quod Beatissima Virgo unicè fuerit præservata. Sed quid, si ego in eo quod in historia videtur improprium, energiam maximam mysterii elegantiamque constituisse asseram? Sic dico. Quoniam Samson ab illa liberavit fera, quæ peccatum originale refert, non solum suam Matrem, sed etiam liberavit patrem; hinc perfectissimè in Conceptionis Mystério Christum figuravit. Sed quomodo? Eandem ob rationem. Nam Christus fuit Mariæ Filius; & Mater Virgo, non tantum est Mater; sed Mater & Pater sui Filii, non enim alium habet patrem. Ergò ut Samson in Conceptionis mysterio perfectissimè præfiguraret Christum, non Matrem tantummodo, sed & Patrem à leone liberare debebat. Hoc fundamento graves Theologi sensère, Beatissimam Virginem Mariam respectu *Filii* sui, debere vel posse vocari non solum *Matrem*, sed *Matri-patrem*, id est Matrem & Patrem. Unde eandem ob rationem in multis SS. PP. legimus, a matrem Beatissimæ Virginis erga Christum

fuisse geminatum; aliorum enim naturaliter genitorum filiorum inter Patrem & Matrē dividitur; sed in Matre Virgine, veluti in Matre & Patre totus erat unitus.

Enim vero adhuc aliam in super, hæc eadem Samsonis historia in mysterii ejusdem conformationem admirabilem continet proprietatem. Vidimus jam quomodo occisum Samson Leonem projecit in sylvam & absconderit. Et sacra declarante scriptura, nec Patri, nec Matri, nec cuiquam alii factum hoc revelavit, cum ipsi tantum honorem famamque conciliare potuisset. Mansit itaque mysterium silentio & secreto tectum, donec multos post dies, detegeretur, intentionem propositumque fuisse Samsonis de eadem historia & facto formare, sicut formavit famosum illud ænigma, quod sub problematis nomine hominum proposuit & exposuit iudicio: *proponam* Judic 14
vobis problema. Agedum, nullius nunc tam rude puto ingenium, quod in singulari hac circumstantia clarius faciliusque non agnoscat Historiam Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionis, quam illam ejusdè Samsonis. Præcessit & præcucurrit Christus ad viacendum & perimendū pecca-

tum originale , ante Matris suæ Conceptionem : & cum multo tempore secretus & occultus fuisset singularis iste filii actus , quid idem filius fecit ? eodem actu occulto eodemque ex secreto sibi soli manifestato , celeberrimum , & intricatissimum formavit problema , quod unquam fuit in mundo , Doctissima Theologicæ Scholæ desuper disputarunt , utrum , Maria in peccato originali fuerit concepta , nec ne . Quænam scripturæ non fuere desuper investigatæ & explicatæ ? Quot libri non impressi ? Quot discursus & argumenta non inventa ? Quot disputationibus punctum istud non fuit ventilatum , Doctorum quibusdam affirmativam , aliis majore cum applausu negativam partem tenentibus ? Verum omnes hucusque problematicè ; sic enim pro majore mysterii ejusdem celebritate & gloria ipse supremus problematis ipsius author discessit : *Proponam vobis problema* . Ast , nunquid semper erit problema ? Nulla ratione . Ex eadem enim constat Historia , Samsonem ænigma revelasse spõsæ . Et quemadmodum Samson illud suæ revelavit sponsæ , & illa mediante illud intellexere omnes : sic Christus illud tandem suæ revelavit sponsæ , id est , Eccle-

siæ , pro ut jam cœpisset & si per illam veritas fuerit definita , cessabit cõtroversia , & cognoscetur celebrabiturque ab omnibus .

Discursus nostri filium repetendo , quemadmodum Filius præcedendo , & præcundo anticipavit redemptionem : sic Redemptio eadem nova & admirabili correspondentia prævenit peccatum . Peccati originalis tam stupenda fuit celeritas , qua præveniendõ & anticipando occidit homines ut cum omnes Adami forent filii , prius à patre fuerint occisi , quam nascerentur . Porro ut videatur Beatissimæ Virginis Mariæ redemptionem non minus fuisse acceleratam , neque Filium magis tardasse præveniendõ anticipare præsertionem Matris , quàm Adam præveniendõ anticipat filiorum occisionem : Interrogo ; Quodnam fuit prius , Nativitasne Filii , an Conceptio Matris ? Nullum est dubium quin Conceptio Matris diu præcesserit Nativitatem Filii . Si igitur Filius nondum erat natus , quo pacto præservavit à peccato Matrem antequam nasceretur ? Respondeo iterum interrogando . Quando Adam peccavit , num nati erant ipsius Filii ? Nequaquam ; nihilominus Adam eos occidere potest peccato antequam nascantur .
Ergone

Ergone iustum videtur, quod filios Adami peccato occidat eorum pater antequam nascantur: Et Filius Mariæ ab eodem non præservaret peccato Matrem, antequam nascatur? Est verò verius hanc anticipatam aded Redemptionem effectum fuisse sanguinis Matris, quem ille nondum acceperat. Sed hæc est virtus Christi, uti mox videbimus.

Jam jam nascituris ex Thamar duobus geminis Zaram & Phares: Zaram protendit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, illum primogenitum futurum autumans; ast decepta; Si quidem Phares præveniendo primus natus est. Omnes SS. PP. in hoc casu magnum agnoscunt mysterium, con-eorditerque sentiunt vitam illam coccineam Sanguinis Christi fuisse signum. S. Cyrillus in verba textus commentando, *Vnus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum*, inquit, *coccinum sanctissimum Christi sanguinem signat*. Idemque dicunt S. Ambrosius & Bernardus; ac alii Patres. Casus igitur fuit, quod Gemellorum duorum Zaram & Phares, uterque prius egrediendo primogenitus esse contendebat, ut è sanguine suo Messias nasceretur, quod unum tempore illo desiderabatur, & ambiebatur. Et quid idem fecit

Messias, Phares concessit, ut sanguinem ab eo acciperet; & Zaram ut eodem se sanguine honoraret: & sic factum est. At Zaram mox purpuram sanguinisque signum dedit: & de Phares signum illud non nisi longo post tempore accepit. Et quare? quia propria sanguini Christi virtus est ante dare se posse, quam accipiatur. Sanguinem Phares Christus non accepit, nisi natus: & signum sanguinis sui & effectum accepit Zaram, antequam ipse Zaram nasceretur: & istud, nec plus, nec minus, in Beatissimæ Mariæ Conceptione, & Filii ejus Nativitate verificatum fuit. Filius sanguinem accepit à Matre de illa natus, in die scilicet Nativitatis suæ: & Mater sanguinis accepit effectum, quem eidem impertitit Filius, antequam nasceretur, scilicet in die suæ Conceptionis. Ita ut Filius Redemptor fuerit Matris mediante sanguine quem ab ea accepit, antequam illum acciperet: Et Mater redempta fuerit & præservata mediante sanguine, quem Filio dedit, antequam illum ipsi daret. Fundatam & declaratam habemus rationem: iste enim sanguis fuit ille Horti.

Quemadmodum Redemptor fuit anticipans, quia præveniando anticipavit Redemptionem: & quemadmodum Redemptio fuit

anticipata, quia anticipando prævenit peccatum : sic pro majore mysterii splendore & gloria conveniens fuit , ut ejusdem Redemptionis pretium , quod erat sanguis, similiter anticiparetur ; & idcirco sanguis horti anticipando prævenit illum sanguinem Crucis. Ita hoc notavit , admirabilibusque celebravit proprietatibus eadem excellenter ad eam singulariter redempta Virgo. Postquam benedictus ipsius Filius , collectum in horto fructum Myrrham suam esse dixerat : *Veni in hortum meum , messui Myrrham meam* quæ Myrrha , ut vidimus , est sudatus in horto sanguis ; Beatissima Virgo cum Filio loquens, Myrrham illam , quam vocat primam , ex sacro ipsius ore stillasse affirmat : *Labia ejus distillantia Myrrham primam*. Verum enim verò , si sanguis ille quem sudavit Christus , per omnes corporis sacri exiit seu erupit poros : quo pacto Beatissima Virgo illum ex ore ejus stillasse affirmat ? Ecce nunc apparebit quanta proprietate & convenientia , de horto , & de oratione in eodem usâ , nomen , *Collis thuris* , accipiamus & interpretemur. Sanguis Christi in horto ex ore Christi dicitur stillatus ; nam vis & efficacia orationis e-

jusdem in horto velut tam fervida & ardens, in venis sanguinem accendit , & subtilem reddidit , & sudori permixtum emanare fecit. Eadem illud consequentia S. Lucas Evangelista affirmat : *Prolinxius orabat , & factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis*. Et Elias Cretensis in eundem commentando textum , ait ? *Ardenter orat , ac sudor guttarum sanguinearum ab ipso fluit*. Et sicut ex ore exibat oratio , sic ex venis erumpens currubat sanguis : hac proprietate Beatissima Virgo dicit , quod eodem ex ore Myrrha prima stillaret : *Labia ejus distillantia Myrrham primam*.

Verbum , *distillans* , juxta textum Arabicum , sudorem in horto significat : *Et factus est sudor ejus velut sanguis distillans*. Sed quæ ratio , cur Beatissima Virgo verbis eisdem sanguineum sudorem in horto , non Myrrham simpliciter , sed Myrrham primam appellat , *Myrrham primam* , quod nomen tam est singulare , ut in tota Scriptura sacra , non nisi in hoc textu inveniatur ? Nonne Myrrha omnis est ille liquor , seu pretiosus & aromaticus humor ex arbore stillans , in qua nascitur ? Ita planè. Ut quid igitur sanguis & sudor in horto , non quocunque mo-

Luc. 22.
v. 43 &
44.

Elias
Cret. ibid

Cant. 5.

v. 13.

Ibid. v.

13.

do, sed specificè & particulariter Myrrha prima nuncupatur: *Distillantia Myrrham primam?* Nec propriè magis, & eruditè declarari potuisset sanguinis anticipati mysterium. Myrrha, secundum Plinium, ex arbore in qua nascitur, duobus modis colligitur. Primus est, quo arbor se ipsa, nulla exterius admota violentia, liquorem subtilissimum naturaliter distillat: & hæc vocatur Myrrha prima. Secundus modus est, quo arbor vulnerata grossiorem emittit liquorem: & hæc vocatur Myrrha secunda. Et quis non videt talem proprietate admirabili fuisse Myrrham & sanguinem in horto, collatam cum Myrrha & sanguine Crucis? sanguis in Cruce non nisi ex percussio & aperto lancea & clavis Redemptoris corpore exivit: ille vero in Horto, omnia violentiæ præveniendi instrumenta, à semetipso & spontaneè è venis in sudore exivit & distillavit. Sanguis Crucis vi ferri, velut Myrrha secunda fuit educus: sanguis horti non alia quàm amoris violentiâ, velut Myrrha prima fuit sudatus; *Myrrham primam.* Porro Virgo purissima tanti facit hanc circumstantiam, & ob eam in tantum Filium suum deprædicat. quia

dum non præcipua tantum prærogativa, sed ipsa præservationis essentia, in Redemptione anticipata consistit; quænam, quæso, major amoris excellentia aut sperari, aut concipi ab ipso Redemptore poterat, quàm amor ejus velit, & sapientia inveniat, ut quemadmodum Matris suæ Redemptionis fuit anticipata, sic Redemptionis pretium, & sanguis quo illam redemit, similiter anticiparetur; sic denique probavit sanguinem esse illius Jesu, & illius Redemptoris: Redemptoris illius, qui fuit. Ille suæ Matris antequam homo esset: Et illius Jesu, qui fuit ille Mariæ, antequam esset Filius: *de qua natus est Jesus.*

§. VI.

Obligationibus Redemptoris, simul cum illis Filiis, toties repetitis prærogativis & excellentiis, quibus purissimæ Matris singularem adeo reddiderunt Redemptionem, jam satisfactum esse censendum videtur: sed adhuc superest omnium eminentissima. Quorundam Patrum antiquorum fuit sententia, sicut hodie communis est inter Theologos, sanguinè quem Verbum Incarnatum de beatissima Virgine sumpsit, semper Divinitati conservâsse unitum, non

non permittendo calori naturali, ut illum alteraret, immutaret, vel imminueret; Eandem hodie gloriosus conservat in caelo, sicut dicit Augustinus; eundemque accipimus in Sacramento, sicut dicit S. Petrus Damianus. Hoc supposito Christiana pietas temeritatis me non arguet dicentem, sanguinem, quem Christus sudavit in horto, eundem fuisse, quem à sanctissima Matre sua in Incarnatione acceperat.

Prima naturalisque ratio, in qua me fundo, ex ejusdem incarnati Verbi pectore, nec non intellectus & voluntatis ipsius archivio est deducta, & non ex alterius, sed ejusdem Incarnationis Mysterij congruentia. Duo à nobis accepit Verbum idem in illo Mysterio, carnem videlicet & sanguinem. Et quid de eis fecit, & quam ob causam? ex ambobus instituit Sacramentum Eucharistiæ; Porrò causa fuit, inquit S. Thomas, ut totum quod ab hominibus acceperat, hominum eorundem saluti impenderet. *Totum quod de nostro accepit, totum nobis contulit ad salu-*

D. Tho. opusc. 57. tem. Ad memoriam nunc redeat, quodè Cœnaculo, ubi Christus Sacramentum instituerat, immediate ad hortum perrexerit, ubi eandem Caro, quam in Sacramentum converterat, non alterius, sed

eiusdem omninò sanguinis partem sudaverit. Et erit qui sibi persuaideat, in tam exiguo temporis & loci spatio, mentem mutasse, & affectum, idè ingenium, eandemque Christi voluntatem; oblitumque fuisse, quid aut sua pietas diceret, aut amoris suo congrueret? Clarum est, tale quid sibi imaginari, tam Filio, quam Matri injuriosum fore. Si igitur bonitati amorique Christi visum fuerit, totum saluti hominum esse impendendum, quòd ab hominibus acceperat: si quam sui sanguinis partem, anticipandæ Matris suæ Redemptioni impensuruserat; quid obstat, quin fuisset aut esset eadem pars, quam de visceribus ejus acceperat? qui tam integrum illum conservaverat triginta tribus annis, utique non alio hoc sine fecit, quam ut tam competenti & excellenti illum expenderet occasione.

Istud ego, nec solus, aut sine Authore affirmo. Eusebius Emisenus (quem nonnulli Eucherium esse volunt, ambo antiqui, nec auctoritatis modicæ Ecclesiæ PP.) vel ambo, vel alterutrum eorum notabilia hæc refert verba. *De carne Mariæ coagulatus, de ejus formatus visceribus, de ejus substantia consummatus, sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Ma-*

Enseb. Emis. de Nativ. Domin.

tris accepit. Id est, Christus de Mariæ carne generatus, de visceribus Mariæ formatus, & de substantia Mariæ homo perfectus sanguinem non alium, pro Matris suæ Redemptione obtulit, quàm de sanguine Matris accepit: *Sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Notentur benè admiranda illa verba, *Sanguinem de sanguine Matris*: Et illud, *Etiam.* Ita ut sanguis de quo loquimur, non sit totus sanguis Christi, sed pars ejus; & hæc pars non alia, quàm illa eadem, quam de sanguine suæ Matris accepit: *Sanguinem quem de Matris sanguine accepit*; Et illud, *Etiam, etiam pro Matre obtulit*, denotat solutionem pretiumque particulare fuisse pro Redemptione tantummodo Matris, præter & ultra pretium generale pro omnibus, quod non fuit tantum pars sanguinis Christi, & non solum, pars in Incarnatione à Matre accepta, sed totus vitæ totius tempore acquisitus. Sanguis iste totus, universalis generis humani Redemptionis pretium fuit: illa verò pars de Matris sanguine accepta, quamvis etiam fuerit pars totius, etiam quæ pars separata, *etiam*; simul, specialique modo, & præter pre-

Pars V.

tium generale, etiam; specialiter, prout diximus, ejusdem Matris Redemptioni fuit impensa: *Quem etiam pro Matre obtulit.*

Porrò ut idem sanguis eandem nobis considerationem solidè confirmet, ad ipsum hortum, locumque & modum quo effusus est, procedamus. Quando Christus Dominus noster hortum ingressus in repetita toties oratione perseveravit, anxietates & angustia ejusdem, ex naturali mortis, tormentorumque timore & apprehensione nascebantur, postquam sensitivæ sacræ humanitatis suæ parti (tam ad probandam passibilis naturæ veritatem, quàm ad plura pro nobis patiendum) subjiciendi sese naturæ affectibus copiam fecerat, & hoc non sine pavoris infirmitatisque argumentis. Hoc sensu dixit S. Marcus: *Capit pavere, & cadere.* Quod omnes PP. intelligunt de timore proprio, vero, & naturali, sed idem ipse timor sanguinis sudorem difficilem reddere videtur; non enim Philosophia tantum, sed etiam experientia nos docet, timore sanguinem retrahi & cordi succurrere, hinc qui timēt, vultu pallent. Christo igitur verè timente, cum tam timor quàm sudor sanguinis, licet extraordinarius, fuerit naturalis,

R

quo-

quomodo loco ejus ut sanguis retrocederet intra, exivit & profiliit foras? Ratio similiter naturalis est: Eidem enim sanguini duo inerant impulsus, & differentium effectuum horum causa, pro diversitate affectuum eodem tempore cor Domini impugnantium. Pars una sanguinis timoris sequens affectum, timida erat; pars altera contrarium sequens affectum erat animosa: sanguis timidus succurrit cordi, animosa exivit prorupitque foras: & hæc pars sanguinis animosi exeuntis & profiliantis foras, fuit sanguis, quem Verbum Incarnatum conservabat de Matris suæ sanguine acceptum. Probo. Quando Angelus missus est ad Mariam, humillimus modestissimusq; Beatissimæ Virginis animus talibus auditis sermonibus velut inassuetus non nihil turbatus fuit: *Turbata est in sermone ejus*. Idem verò Angelus anxietate sedata, timorem ipsi abstulit, dicens. *Ne timeas Maria*. Sedata itaq; anxietate, & timore amoto Beatissima Virgo legationem animosè suscepit, dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: Et sic Verbum in visceribus suis incarnavit. Quoniam verò sanguis, quem Verbum de Matris suæ sanguine assumpsit, actualiter erat animosus, *ne timeas Maria*, iste idem fuit, qui in horto eordi non succurrit,

velut timidus, sed velut animosus exiens è venis profiliit foras: *factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis*. Hoc modo generosum & impavidum sese præstitit sanguis horti, quasi memor non solum cujus esset, sed cujus fuisset, ad succurrendum in causa originali: honori suæ propriae originis: *Sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit*.

Denique, & in summa, quod Jesus de Maria natus, ut perfectum & perfectissimum ostenderet Jesum, nec non perfectum & perfectissimum Matris suæ Redemptorem, non tantum illam sine macula præservavit in purissima Conceptione, qui est perfectissimus redimendi modus; sed ut inter redemptos omnes esset prima, & primogenita, vel unigenita Redemptionis ipsius Filii: antequam ille pro omnibus totum effunderet sanguinem in Cruce, illum effundere cepit in horto singulariter pro ea, Redemptionis ejus pretium anticipando, quemadmodum ipsa Redemptio fuit anticipata; sed etiam ex supremo amoris, gratitudinis, principalisque correspondentiæ excessu ut pars sanguinis anticipata, quam specialiter applicavit, ejusque præservationi dedicavit, esset eadem,

Luc. 1. 29.

Ibid. 30.

Ibid. 38.

eadem, quam de purissimis visceribus ejus accepit custodierit. Ego extremum illud excellentiæ pro dignitate ponderare & admirari nescio: sed altioris ordinis pro me substitutam admiratores, quam omnes homines sunt.

Quando Christus velut universalis noster, & particularis Matris suæ Redemptor triumphans ascendit in cælum, omnes spiritus Angelici admirati, interrogabant: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus?* Id est, Quis est iste qui venit de terra Edom vestibus sanguine tinctis? *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ;* Id est, veniens comitatus multitudine eorum, quos brachii sui fortitudine liberavit: & quam formosus ille, & quam illustris vestitu suo! nullus erit qui non singulariter notet & consideret hæc ultima verba: Enim verò si triumphantis amictus primarium erat Angelis admirationis motivum, & ex eodem formositatem exaggerarent: *Iste formosus in stola sua!* Si erat propter sanguinis tincturam, *tinctis vestibus*, eodem in triumpho Christus Vulnera detecta non præferbat; cur silentio pressis corporis vulneribus, amictus tantum sanguinem admirantur? Quia Vulnera, pro uni-

versali omnium Redemptione in Cruce fuerat accepta; sanguis verò vestimenti erat ille sudatus in horto, pro particulari Matris suæ Redemptione & præsertatione. Benè notatâ totâ Passionis historiâ invenietis sanguinem quo propria Christi vestis fuit tincta fuisse tantum horti. In flagellatione Christus totus erat nudus, & decurrens flagellis eductus sanguis prætorii pavimento inhaesit. In spinea coronatione, expressum è sacro vertice crucem purpura, seu potius ludicra & illusoria, quâ irrisorie, militum insolentia cum induerat chlamys exceperat. In Cruce totus pendebat nudus, & dimanantem, ex quinque Vulneribus sanguinem totum Calvarii humus imbibebat. Proinde sanguis quo Tunica, & propria Christi tincta fuere vestimenta, fuerit ille ex omnibus poris in horro sudatus. Quoniam verò sanguis iste tot extremis, & admirandis, ut vidimus, modis in præsertatione suæ Matris singulariter fuit operatus; hinc supremus Redemptor, pro splendidissimo & ditissimo triumpho sui ornamento, amictum suum eo tinxit: ex quo talem Angeli, cum velut talem

sunt admirati, & ad exaggerandam Redemptoris formositatem deprædicarunt: *Iste formosus in stola sua.*

Quicquid præterea in eodem contigit triumpho, confirmat sanguinem istum ex hoc tantum auxisse admirationem, quia specialiter Immaculatæ Beatissimæ Virginis Conceptioni fuisset impensus. Interrogârunt Angeli, qualisnam supremus iste Triumphator esset, *Quis est iste?* Quibus ipsemet respondit: *Ego, qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Christus salvavit omnes, sed solam Matrem suam velut propugnator seu defensor; alios enim salvavit à peccando ipsos liberando: Matrem verò suam, ne illud incurreret defendendo. Et hæc est justitiæ distinctio, de qua loquitur: *Ego qui loquor justitiam:* Nam alios salvavit post peccatum, læsæ Patris Majestati ex justitiâ satisfaciendo: Beatissimam Virginem salvavit, ipsam præservando & defendendo, obligationibus illis satisfaciens, quibus velut Filius Matri obstrictus erat. Ulterius institerunt Angeli: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Eadem comparatione superius jam dixerant, *tinctis vesti-*

bus de Bosra, Nam *Bosra* idem est quod *Vindemia.* Respondit Christus: *Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum.* q. d. Torcular in quo tincta sunt vestimenta mea calcavi solus, absque quod ullus fuerit mecum. Ex quo differentia patet sanguinis in Cruce fusi (ad quam ipsa Mater velut redemptrix fuit comitata, & tanta hominum, tam suorum popularium, quam externorum turbâ ipse circumdatus) ad sanguinem fudatum in horto, in quo solus & solitarius fuit, ipsi quoque, quos socios assumpserat, dormientibus. Et quia iste sanguis in metaphora torcularis Redemptioni Beatissimæ Virginis particulariter fuit applicatus, verba Jeremiæ sono tenus saltem ipsi quadrant: *Torcular Thren. I. calcavit Dominus Virgini filia Iuda. v. 15.* Concludit tandem verbis quibusdam Triumphator divinus, quæ omnia hucusque dicta annihilare videntur: dicit enim, sanguinè quo tincta erant vestimenta sua, eorum esse quos in conflictu prostraverat: *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea:* Si sanguis erat devictorum, non erat suus, uti supponimus. Imò verò suus, quia victorum. Deus non habebat sanguinem, quem ut haberet ad redimendos homines, ab

Isai. 63. v. 1.

Ibid. v. 2.

Isai. 63. v. 3.

ab ipsis illum accepit hominibus; & hinc dicit profusum à se sanguinem fuisse ipsorum, *sanguis eorum*. Sed si Christus redemit homines sanguine ab ipsis accepto, multò magis stabiuntur quæ diximus, scilicet sanguinem, quo Matrem suam redemit, eundem fuisse quem ab ipsa acceperat. Porro ut primis verbis rem absolvamus: *Quis est iste qui venit de Edom*, Edom & Adam idem est, utrumque enim nomen idem significat: Et Angelorum admiratio in figura de Edom innuit, triumphatorem supremum venisse de Adam: Triumphum enim illius gloria, vel gloriosior illius pars ad Immaculatam Virginem pertinebat. Reliquum generis humani Christus non solum à peccato redemit Adami, quod est originale, sed à peccatis actualibus omnium & singulorum: Virginem verò Mariam ab omni peccato actuali semper puram, ab originali tantummodo Adami peccato præservavit; & quia inde triumphus cepit, inde triumphus venit: *Quis est iste, qui venit de Edom*.

§. VII.

Hic celeberrimus fuit Iesu triumphus, quatenus Redemptor fuit, prius suæ Matris, & postea mundi, admirabilior visus Angelis propter decorem & ornatum amictus, quàm propriam personam: &

speciosior propter guttas sanguinis in horto, quibus veniebat obumbratus, quàm propter sanguinis rivos, quos effudit in cruce, quique Calvarium rigarunt. Pro devotis erga Conceptionem Immaculatam nihil superest aliud, quàm desiderare; nec quod faciamus, nisi affectus, voces, cordisque jubilos angelicis consociare admirationibus & applausibus; nec non tali Filio, & tali Matri congratulari millies. Et quamvis omnes Baptismi virtute & beneficio à peccato originali sumus liberi; pro ut corruptioni & infirmitati cum illo hæreditatæ, nec non tentationibus, actualiumque peccatorum periculis obnoxii; nobis verò vel maxime utile & necessarium est, ut mediante potentissimâ Matris ejusdem intercessione, sanguinis Filii ipsius efficaciam utamur & fruamur. Interpellemus ambos; pretiosissimi enim sanguinis illius virtus est, non tantum redimere & liberare à peccatis jam commissis, sed præveniendi præservare à committendis: Et misericordissimo dicamus Redemptori, quod toties repetit Ecclesia: *Cito anticipent nos misericordiatuæ*: ut infinita ejus misericordia non tantum nos liberet à peccatis, quibus ipsam jam offendimus, sed anticipet ad nos præservandos à futuris, ne ipsam unquam

Eccles.

amplius offendamus. In fatali illa nocte, qua Deus Ægypti primogenita interficere decreverat, anticipatè mandavit Filiis Israel immolare agnum, ejusque sanguine domorum superliminaria tingi & rubricari, ut Angelus divini executor decreti percutions, viso sanguine transeundo, intus morantes relinqueret illæsos; & ubi illum non videret, introgressus omne primogenitum occideret. Probabilius est, hunc Angelum non fuisse bonum, sed Diabolum, hinc dicit Ecclesia, præ horrore istius sanguinis, non ausum fuisse vel domos aspiceret, quas sanguis iste defendebat: *Sparsum cruorem postibus, vastator horret Angelus.* Si exteriores animæ nostræ portas, quæ sunt sensus; & interiores, quæ sunt noster intellectus, memoria & voluntas, caractere illo forent consignatæ, & anticipati sanguinis illius peccatum destruentis protectione præ-

Eccles.

muniti: eatenus Diabolus desperaret nos vincere, ut etiam formidaret tentare. Denique ne quis dubitaret, quin sanguis ipse anticipatus figura fuerit sanguinis horti, & non crucis: Ille crucis duodecim horis postea effusus est in meridie; & horti sanguis effusus fuerat duodecim horis antea media nocte? & hæc fuit hora, quo triumphans sanguis, prodigiosos illos operatus est effectus: *Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Hoc modo Deus Filios Israel liberavit à captivitate Ægypti mediante sanguine agni; & pari modo nos liberabit à captivitate peccati, virtute sanguinis sui Agnus qui tollit peccata mundi, nos anticipatè præservando ab actualibus, sicut anticipatè præservavit ob originali Matrem, de qua natus est: *De qua natus est.*



S E R M O

PRO

Dominica decima sexta post Pen- tecosten.

Recumbe in novissimo loco. Luc. 14.

§. I.



Uoties Dei Filius
mēſæ accubuit ho-
minum, doctrina
ipſius optimū ſem-
per fuit ſerculum.
Comedebar ex præ-
ſcripto temperantiæ, & docebat ex
dictaminiæ prudentiæ. Materiam
ſuggerebat occaſio; & ſuper occa-
ſionem deducebat, explicabat &
definiebat materiam. Omnia do-
cumenta divina erant oracula, nec
moralia ſolum, ſed & politica di-
ctamina: talis quippe Evangelii
præſentis extitit doctrina. Illi qui
tunc temporis nomine honorifico,
hodiedum verò ſignificato odioſo
vocantur Phariſæi, temporis illius
erant Religioſi. Ait igitur S. Lucas
Evangelifta, quod invitante quodam
Phariſæorum principe, id eſt,
Religioſorum iſtorū Prælaro Chri-
ſtum Redemptorem noſtrum, ut
perſonali ſua præſentia, feſto quo-

dam die, ſcilicet Sabbatho men-
ſam ſuam honorare dignaretur,
piiſſimus Dominus non reſutave-
rit convivium. Acceptavit, quam-
vis non deeſſet, qui acceptatum ſu-
gillaret. Huiusmodi convivia ob-
trectantibus, venientis è cælo Ma-
giſtri aſteriori vivendi methodo,
dignitati, nec non profeſſioni mi-
nus videbantur conſona Rationē
vero non averſandi invitationem
in Chriſto, diverſiſſimi poſtmo-
dum prodidere effectus, prout et-
iam in caſu præſenti patuit.

Phariſæorum intentio erat Pha-
riſæica; inſidias enim ſtruebant
Chriſto in Hydopico, ut viderent,
num die iſto illum curaret, quo
tanquam legis violatorem Chri-
ſtum calumniari poſſent: *Sabbatho Luc. 14.
manducare panem; & ipſi observa-
bant eum.* Non ipſos ad hoc inſti-
gavit obſervantia, ſed obſervatio:
non obſervantia dici, ſed obſer-
vatio

vatio invitati. Porro cordium ipsorum cognitor Christus quid fecit? Mentiam acceptavit ut homo; malitiam dissimulavit, ut Deus: & in quo operatus est velut Deus, & quod reprehendit & docuit sicut Magister, se Deum, hominemque ostendit. Hydropico sanato, illos sanare est conatus. Hydropicum, manu tangendo: & illos, manus bene dispositas ipsis imponendo. Nullum vitium superbiâ est absurdus, & ambitione incivilius: quemadmodum intus caret modestiâ; sic exterius ipsi, deest urbanitas. Non refert Evangelistæ assignatum Christo in convivio locum; sed invitatos certatim, non sine contentione, prima fatigasse occupare loca. Hæc est occasio, & istud doctrinæ punctum; Hinc morale, simul & politicum.

Deus mundum hunc formâ circulari, velut mentiam, rotundâ condidit, ne quis de loco contenderet; cum iusto non videatur consentaneum, ut locus illos redderet inæquales, quos natura fecerat æquales. Verum cum superbia & ambitio, ordinis hujus æqualitatem ordine alio inordinato, à primis, secundis, usque ad loca ultima perverteret; vitium istud in observatoribus, suis Christus observavit. *Intendens quomodo primos*

accubitus eligerent. Observabat Christus (inquit Evangelista) attentione singulari, quod invitati faciebant, modumque faciendi: Quod faciebant, erat, autoritate & electione propria prima occupare loca, *primos accubitus*; faciendi modus, erat, nulla modestiæ, respectus, urbanitatisque habita ratione ea invadere. In locorum electione à Christo exigui notabantur esse iudicii; & in modo, quo quilibet, alii se præferebat permodicæ, seu nullius potius esse urbanitatis: hæc porro absurditates geminas, de eodem ambitionis superbiæque prognatas vitio, Magister supremis unico tantum castigavit & emendavit, documento: *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* q. d. Cum invitatus fueris ad domum mensamve alienam, non primum, sed ultimum oportet capeßere locum. Et quare? Ne forte Paterfamilias, seu qui te invitavit, cujus est officii pro personarum dignitate cuilibet assignare locum, te loco cedere iusto, eundem meliori, seu honoratio-ri te assignet: quo casu ultimum, non sine confusione, cogere tene- re locum; quia tam incivili & inurbanus fuisti, ut occupare præsumpseris primum: & *incipias*

Luc. 14. 10.

Ibid. 9.

Hic

Hic juxta historiam diei illius casus fuit, quam ipsum Evangelium etiam parabolam vocat: *Dicebat autem ad invitatos parabolam.* Verum enim vero, si erat historia, quo pacto erat parabola? utrumque simul erat. Historia erat quantum ad casum, & parabola quantum ad moralitatem. Quantum ad eventum seu casum, privata erat historia pro presentibus: & quantum ad doctrinam moralitatem; universalis erat doctrina pro omnibus, Omnibus, & singulis Christus hodie pradicat: *Recumbe in novissimo loco:* num ergo in mundo hoc esse putatis qui arbitrio proprio sibi eligat & cetera: nus sit ultimo loco: punctum sane intellectu difficile, sed persuasum difficilium. Hinc thematis loco unicum illam & admirabilem assumpti sententiam: & hæc sola orationi meæ presentem materiam ministrabit. *Ave Maria.*

§. II.

Recumbe in novissimo loco.

OMnis homo in hoc mundo, locum affectat meliorem. Nemo in quantumcunque sublimi officio & dignitate constitutus, non ad aliam majorem aspirat. Inclinatio hæc naturæ rationali adeo est propria, ac si ratio esset, & non appetitus. Inclinatio hæc primò nata est in cælo simul cum primis

Pars V.

rationalibus, qui sunt Angeli; postea propagata est in terra cum secundis, qui sumus nos homines. Lucifer in cælo prius nam inter Hierarchias tenendo cathedram non contentus, ipsiusmet Dei solio suum adæquare attentavit: *Exaltabo solium meum, similis ero altissimo.* Adam in terra absoluto super omnes trium elementorum creaturas gaudens imperio, tam lato non contentus territorio, residentiaque seu palatio tam delizioso, ut paradiso, locum etiam meliorem & digniorem affectavit: *Eritis sicut Dei.* Porrò quisnam, quæso, Protoplasti hujus natus, de quo progignimur omnes, ambitiosam hanc superioritatis inquietam semper passionem, non hæreditavit? Literatus, doctus, miles, nobilis, titulis ornatus, magno nomine gaudens, & nomine carens, omni cura, sollicitudine, & desiderio nunquam contentus, neque pacatus, omnes meliorando loco, dilatandisque terminis invigilant. Videntur tantum à simili subiectione vivere debere exclusi, qui mundum deseruere, & despectum ejusdem profitentur: verum ibidem eos insequitur ipse mundus, ut ipsi durum illud & voluntarium tributum solvant.

Admiratione sanè dignum extitit, quod Discipuli Christi ante descensum spiritus Sancti super il-

S los,

*Isai. 14.
v. 13, 14.*

*Gen. 3.
v. 5.*

Luc. 22.
v. 24.
los. nondum docti & illuminati inter se contenterent, quisnam eorum major esset: *Quis eorum videretur esse major.* Veruntamen contentionis huius motivum & occasio longe admirabili ora extiterunt. Qualia erant: Christus jam ipsis exposuerat, se in Jerusalem ad moriendum ibidem ascendere, eodemque momento omnes de majoritate contenderunt; quilibet enim locum ipsius occupare gestiebat. De Imperatore Trajano dixit Plinius, quod nemo illum novisset, neque se ipsum, qui præsumeret ipsi succedere. *Nemo est tam tui, quam ignarus sui, ut locum ipsum post te concupiscat.* Id est, nemo esset tam audax, ut tibi succedere concupisceret. Et ausi fuerunt duodecim piscatores affectare cahedram ipsius filii Dei, ipsoque adhuc vivente de loco illius litigare.

§. III.

AD confutandum & confundendum universale istum abusum non solum in militaribus officiis, sed etiam in pacificis optimi loci prætensionibus: primò tres opiniones seu deductas ex S. Scriptura suppositiones referam, quæ non solum hanc tam altè in hominum cordibus radicatam ambitionem condènant, sed totaliter quæstioni nostræ radices amputant & evelunt. Opinio prima absolute negat,

quòd supponimus, etiam loca dari negans: Quare? quia quicquid in mundo vocatur locus, quantumcumque sublime & elevatum videatur, bene examinatum, nihil est: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus ejus: id est, vidi ambitiosum, inquit David, super alios homines elevatum, sicut Cedros Libani super alias arbores: progressus pusillum oculis conversis nec illum amplius vidi, nec locum ejus inveni.* In hoc admirationis punctum consistit, & non est inventus locus ejus. Quod David tam modicum progressus non invenerit ambitiosum, quem adè viderat elevatum, non est quod quis miretur; ad similes enim faciendas mutationes, neque mors, neque fortuna multo indiget tempore. Non illum invenit, & non erat, quia vel statu suo exciderat, vel vivere desierat: sed quod David non invenerit locum, in quo eum viderat, *non est inventus locus ejus.* Ita respondet Carthusianus ex Aristotele id probans: *Locus enim, & locatum sunt simul, secundum Philosophum, subtracto ergò locato, & locus non manet.* Id est, locus & quod eum occupat, juxta sanæ Philosophiæ dictamen, ita ab invicem recipro-

Psal. 36.
v. 35-36.

Plin. in
Panegy.

Dionys.
Carthus.

ciproce dependent, ut deficiente locato, & ipsum locum deficere opus sit. Proinde optimè affirmavit David, quod disparente ambizioso & potente, nec ipsum, nec locum, ubi steterat, invenire amplius poterit. *& non est inventus locus ejus.*

Enim verò si consequentia ista vera est in loco, ut vocant Physico, in loco morali, de quo loquimur adhuc certior est, eodem definiente Philosopho. Aristoteles definiendo locum, ait, quod sit superficies ambiens illud, quod in ipso est. Et quando locus non ambit hominem, sed homo ambit locum, prout in nostro casu, multo sanè melius sequitur, quod deficiente superficie, quæ locus vocatur, nec locus ipse, nec quid aliud supersit. Et si nihil ibi comparet, quo pacto David aliquid ibidem inveniret? Verum propositionem istam urgere pergamus, cum idem David eodem in Psalmò bis eam repetat, dicens semel, quod locum quærens non invenit: *Quæsi vi, & non est inventus locus eius: & iterum, quod etiam nos eundem quæsituri non inveniemus: Quæres locum ejus & non invenies.* Quæro. Quæsitus à Davide locus, & non inventus, nonne idem est, quem ambiciosus occupavit, antequam moreretur, vel caderet? Immò verò, idemque locus

quem occupavit antequam moreretur vel caderet, nonne fuit iste, quem hæreditavit, vel prætendit antequam illum occuparet? Etiam sic, Si igitur prætensus, occupatus, & derelictus locus erat idem, quare David ipsum jam derelictum non invenit? Quia jam derelictus erat idem, qui fuerat ante; & prætensus, occupatus, & derelictus, semper fuit nihil. Eleganter & doctè Hugo Cardinalis: *Non est inventus locus ejus; quod sua dignitas nulla erat, & suum esse non esse erat.* q. d. Non est inventus locus ejus, qui erat exaltatus sicut Cedri Libani; nam esse eorum, quæ in hoc mundo loca vocantur, non est esse, sed non esse: *Suum esse non esse erat.* Proinde si ipsa loca vocata, vel prætensa, vel occupata, vel derelicta nihil sunt, bene concluditur, in hoc mundo non dari loca. Porrò id ipsum quod non est, neque datur, tanta sollicitudine, cura, & vigilantia affectant & quærant ambientes vanitatem & mendacium: *Ut quid diligentis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Suppositio secunda, vulgarem & communem sequendo sensum, admittit in mundo dari loca; sed meliorem dari locum

Aristot.

Ibid. 36.

Ibid. 10.

Hugo
Card.

Psalm. 4
v. 3.

negat. Quare: Quia melioritas non consistit in loco, sed ipsum occupantis persona. Quantumcunque sublimis, seu humilis sit locus, si fueris bonus, locus tuus erit bonus: si fueris malus, & plus quam malus, etiam locus tuus talis erit. Christus Dominus noster inquit Matth.

Matt.
23. v. 2.
23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Et quis fuit Moyses, & quinam Scribæ & Pharisei? Moyses fuit maximus sui temporis sanctus: Scribæ & Pharisei temporis sui erant pessimi. Si ergo eandem Moylis cathedram occupabant, quare ipsi similes non erant? Quia homines bonitatem seu melioritatem locis imperiunt, & non loca hominibus. Si fueris bonus, quamvis cathedra tua Scribarum sit & Phariseorum, locus tuus erit bonus: & si fueris malus, quamvis cathedra tua sit Moylis, non ideo locus tuus erit bonus. Quis, quæso, locus melior, quam cælum & paradysus: sed neque cælum Luciferum, neque paradysus bonum fecit Adamum. Jeremias æquè in carcere ac in pulpito bonus erat: & Job æquè bonus in sterquilinio, ac suo in palatio. Melior utique in mari locus erat navigium, quam ventus Ceti: & Jonas melior fuit in ventre Ceti, quam in navi.

Ita ut loca per se nec bona sint, nec mala, nec meliora nec peiora. Nonne locus quem hodie tenet Matthias, idem fuit, quem tenuit Judas: idem omnino, & non alius. Si fueris sicut Judas, non te bonum faciet locus S. Matthiæ: & si fueris S. Matthias, non te malum reddet locus Judæ. Quod si meliorem affectus locum præ omnibus, meliorem te omnibus reddere cõtende, moxq; locus tuus, qualiscunque fuerit, melior evadet. Sed omnes, prò dolor! meliorare allaborant locum, & nemo curat emendare vitam. Ambitiosus inquit quod peregrinis, usu venire asserit Socrates. Peregrinus semper vadit mutando locum, nec melior evadit, quia semetipsum semper secum circumfert: *Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas?* Te ipsum relinque, & cum fueris alius, melior mox erit locus tuus. Si idem fueris, ad templi licet pinnaculum ascenderis, nunquam è loco, ubi es, alius exibis: Porro si fueris alius, & valde immutatus, etiam non exiendo ex locoubi es, ad templi usque pinnaculum exaltatum te videbis. Conclusio sit ista, non dari loca meliora, nec peiora. Ut nemo non suo & secum sit contentus.

Suppositio tertia loca admit-
tit

Socrates
apud
Sen. lib. 3.
Epist. 38.

tit meliora: sed ea in Cælo tantummodo & non in terra dari affirmat. Quare? quia omnia terra: loca, quantumcunque sint aut videantur meliora, aliena potius sunt quam nostra; relinquenda potius, quam tenenda; perdenda potius, quam eis sit fruendum. Loca terrestria sunt transitus: solus locus cælestis est sedes: loca terrestria tantum paucorum sunt dierum: locus cælestis durat in æternum. Christus ex hoc mundo abiturus in Cælum, dolentes abitum & absentiam suam Discipulos hac ratione consolatus est, dicens, quod præiret præparaturus ipsis locum: *Vado parare vobis locum.* Veruntamen cum consolationis motivum esset locus, viciniora sanè erant loca, ubi Christus eos deserebat, loco quem illis præparaturus erat: nam cum hic esset, & discessurus, absentiam absentiam consolari videtur. Ultimâ illa horâ, qua Jacob moriens à suis filiis discessit, quorum etiam duodecim erant) hac illis consolatione lachrymas absterfit, quod terram promissionis ipsis addixerit dividendam, in qua commodè victuri essent. Enim verò si duodecim Patriarchas de absentia Patris consolari sufficiebant tam exigua terræ spatia, quæ singulis, Judæâ in duodecim partes divisâ, obventura erant: quanto magis

Apostolos, totus mundus, quantum quantus inter ipsos divisus? Dicat igitur Christus Petro, quod Romam ipsi assignet & Italiam: dicat Jacobo, quod ipsi committat Hispaniam: Joanni Asiam, Andream Græciam; Philippo Scythiam; Bartholomæo Armeniam: Matthæo Æthiopiam: Thomæ Indiam: Simoni Ægyptem: Thaddæo Arabiam & Perfidem: nec non Jacobo alteri minori, Jerusalem, ipsamque Judæam cujus illa caput erat. Si igitur Christus tam imensa locorum spatia suis assignabat Apostolis, & quidem supremam simul dignitatem & supremam in illa omnia conferebat jurisdictionem; quare locorum istorum præsentium consideratione illos non fuit consolatus, sed loco tantum futuro, quem præparaturus abibat: quia locus iste erat in Cælo, loca verò alia erant in terra. Et in solo hoc verbo ambæ includuntur rationes, quas notavimus in principio. Loca terræ sunt transitus; ille Cæli est sedes. Hinc Christus interrogatus à Petro, *Quid ergo erit nobis?* Respondit, *sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Non respondit ad navigia & retia dere-

Joan. 14.
v. 2.

Matth.
19. v. 27.
ibid. 28.

quibus sessuri essent in die iudicii ; quod enim in die illa possideri incipiet, sedem habet: quicquid hinc est, non nisi transitus est. Et quare magis ? quia solus locus qui nobis tunc obtigerit erit noster, & illa hujus vitæ sunt potius aliena, quàm nostra, quantumcunque longa fuerit eadem vita. Nemo Pontificatu fruitus est aut fruetur pluribus annis quàm S. Petrus, nihilominus in eundem jam successerunt locum ducenti triginta septem Pontifices, & quot adhuc successuri sint nescitur, ut liquidò pateat, Pontificatum potius fuisse alienum, quàm ipsorum. Solus erit noster locus, quem sive in cælo, sive extra illum æternum habituri sumus. Hac terribili energia docuit Apostolorum Princeps dicens, quod Judas perdidit Apostolatam: & quo fine? *Vt abiret in locum suum.* Id est, ut ad locum iret, qui suus erat. Quem in hoc mundo inter Apostolos habuit, erat alienus; erat enim Mathiæ & successurorum: quem inter Dæmones in inferno tenet, erat suus; quia idem ipse æternum durabit. Porro si istud accidit homini vocato à Deo, & à Christo electo, ubi tandem sistent negotiationes, subornationes, adulationes, simonia, quibus procurantur & obtinentur loca

paucis diebus duratura, sine memoria æternitatis, vel timore reddendæ rationis?

§. IV.

HÆc tria sunt fundamenta, seu tres illæ suppositiones, quibus non solum meliorum locorum ambitio impugnatur; sed & omnium illorum præscinduntur & evelluntur radices, quæ ipsa requirit. Nam suppositio prima, ut vidimus, dari loca absolute negat: Secunda, dari quidem loca concedit, sed meliorem dari locum negat: Tertia, dari locum, & meliorem quidem; sed non in terra, sed in Cælo affirmat. Hoc supposito, non sine ratione, nec utique sine curiositate suspensi expectabant omnes, quidnam horum persuadere intendam. Respondeo primò, nihil horum sic se habere. Contra primum enim sentio dari loca; contra secundum locum dari meliorem: & contra tertium, locum istum meliorem non esse in Cælo (de quo nunc loquor) sed in terra. Admittendo igitur cum sensu communi, dari loca, & alia aliis meliora: quisnam locus inter omnia mundi loca sit melior, hodie declarare intendo. Non potest dari omni possibili attentione dignior materia, eoque magis, quò quisque

que jam resolvit, & res controvertia carere videtur. In Evangelio Pharisaorum opinionem, & Christi habemus consilium. Pharisei, meliorem & optimum mundi locum primum esse, sustinent; *Quomodo primos accubitus eligerent*: Christus è contrario, novissimum locum eligere, consulit, *Recumbe in novissimo loco*: Et licet sententiæ Christi, eò quod Christi, opponi nihil possit: & ea Pharisaorum, eò quod Pharisaorum, jam videatur convicta: illam nihilominus Christi rejiciunt, & hanc Pharisaorum amplexantur omnes. Sic illud praticari videmus hodie, & suo jam tempore, tam vicino ætati Christi idem probabat experientia. De quo

Tertullianus: Ad primum locum certamen omnium contendit: secundum solamen habet, victoriam non habet. Id est, eò desiderium, & studium tendit omnium, ut quis locum primum præoccupet, tamque contentiosè de primo tantum certant, ut quamvis locus secundus consolationem quidem aliquam afferat, victoria tamen reputari non possit. Porro si nullus loco secundo contentus sit, eò tantum quòd primus non sit;posito, quòd unum tantum supra se, & reliqua omnia sub se videat: Quis, quæso, est aut

erit ultimo contentus? in famosis istis usitatis in Græcia ludis Olympicis, ad quos certatim ex toto mundo confluebant homines ad decertandum, prima, secunda & tertia erant præmia destinata: nihilominus unum tantum præmium tulisse S. Paulus affirmat: *Omnes in stadio currunt, sed unus accipit præmium*: Præmium enim pro quo omnes contendebant, erat primum, & illi tantum, qui currendi pernicitate alios superasset, tanquam victori, pro laurea tribuebatur. Si S. Paulus post Christum, Christianis, quales Corinthii erant, scribens exemplum illud proponit licet inter Gentiles natus; Quis, amabò, vel ulli hominum persuadere præsumeret, locum meliorem esse ultimum? persuadere dico, & non credere; sufficit enim esse consilium Christi, ut credamus. Sed quo pacto punctum persuadebit ratio, quòd non persuadet fides?

Id nunc hodie peragere conabor; ut hominibus cunctis demonstrarem, optimum mundi locum esse ultimum. Et non tantum pro altera, sed pro hac etiam vita; nec pro virtute solum, sed etiam pro commoditate; neq; pro mortificatione solum, sed pro oblectamento: non pro humilitate solum, sed pro honore etiam &

I. Cor. 9.
v. 24.

Tertull.

dignitate. Quæ omnia innuunt hæc verba : *Recumbe in novissimo loco.*

§. V.

Prima loci ultimi prærogativa , est , nullo illum labore consequi posse. Ad loca alia , quamvis non altissima , tardius , nec sine difficultate pertingitur : ad ultimum igitur facilis. Nunquid facilius descenditur , quàm ascenditur. Hæc ergò , quamvis naturalis , est ratio , facilitas scilicet ultimum consequendi locum. Ad alia loca lento tenditur passu , & quasi scandendo pertingitur : ad ultimum quasi sine passu , & prono velut lapsu descendendo pervenitur ; Ezechia Rege dies vitæ à Deo sibi prolongari , idemque miraculo quopiam sibi confirmari desiderante ; Isaias Propheta optionem obtulit Regi , ex duobus eligeret alterutrum , vel ut Sol lineis decem retrocederet , vel totidem ascenderet. Et quia Ezechias in lecto decumbens Solem videre non poterat , sed horologii tantum , ad lectum usque in palatio protensam umbram , hoc modo ipsi propositum fuit : *Vis ut ascendat umbra decem lineis , an ut revertatur totidem gradibus ?* Id est , vultne Majestas tua , ut umbra ascendat vel descendat decem lineis ? propositio ea-

dem juxta situm , locumque Solis illa hora faciliè ostendebat , non minùs miraculum esse , umbras descendere , quàm ascendere. Nihilominus sine ulteriore speculatione : in continenti respondit , se nolle ut descenderet , sed ascenderet , rationem adjungens , quod descensus facilis esset : *Facile est umbram crescere decem lineis , nec hoc volo ut fiat , sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Ita respondit Ezechias , non velut mathematicus juxta particularem casus illius observantiam , sed velut prudens Princeps , nec non tam famæ , quàm vitæ amicus , secundùm generales experientiæ regulas , optimè locutus. Intentio ipsius erat , difficiliore Solis motu magis celebrare miraculum , ideoque resolutione tanta , se nolle Solem descendere , sed ascendere dixit : quia naturaliter & experimentaliter , tam difficile est ascendere , quàm facile descendere. Sagitta ad ascendendum vim impulsamque arcus violenter sequitur ; ad descendendum vero brachio non indiget alieno , ipsa natura sine violentia ducit ad profundum , & quanto profundius , tantò celerius. Navicula in medio fluminis jactata , velo contracto , remisque collectis , solo torrentis impetu , alienis veluti humeris ducta , tam quietè descendit ,

Ibid. 10.

cedit, sicut impulsa. E contrario per eundem fluvium ascendendo, quamvis tam validis agatur ventis, ut vela rumpantur, remigesque tam veli robusti, ut remi frangantur, plus aquæ sudant, quàm laborando superent. Nos ipsi montem ascendendo eam difficultatem & molestiam experimur, ut præ defatigatione ipsa respiratio intercludatur: in imum verò descendentes vallis, ipsa corporis moles adjuvat, alleviat & urget; ut acti potius, quàm ambulantes, sine omni defatigatione & lassitudine, ad inum ultimumque locum deveniamus. Tam primum & facile est descendere, tantæque molis & laboris ascendere.

Agedum, ipsi nunc fateantur qui ascenderunt, quantis sibi laboribus & molestiis constiterit ascensus. In aëre nobis exemplum præbuit sagitta; in aquis navicula: & nos ipsi in terra. In Aulis verò & Palatiis, quæ residuum quartum constituunt elementum, pluribus sanè impedimentis & difficultatibus obnoxium, laboriosius est ascendere. Hoc testari poterunt illi, qui ascendendo fatigati, consultius sibi duxerunt subistere: multoque magis illi, qui scandendi laboribus & molestiis exhausti, in vicem obtinendum locum, seriùs tandem frau-

dis consecuti sunt detectionem, & rei veritatem. Non ita prætendens, qui nullum prætendit, & æstimator nullum æstimans, qui ultimo contentus loco, ad descendendum cum sagitta non indiget arcu; ad descendendum cum navigio, non indiget remo: & ad descendendum cum homine, & velut homo, nec quasi pedibus indiget, nec gressibus aut passibus. Alas, favoris, impulsus potestatis, sollicitudinis curas & anxietates despectui habet & risui: aliisque tandem ad loca prima pervenientibus defatigatis, ubi denud defatigari oportet; ille quietus residet in ultimo, in quo solo quies vera requiescit.

Inclinationis hujus facilitatiquæ exemplum inter homines non invenio: insita enim ipsis à natura ambitio, magis ipsos ducit ad ascendendum per ardua, quàm ad descendendum per plana. Ast verò si revocarent in memoriam, qua facilitate & felicitate de monte descendens Danielis lapis, statuum prostraverit Nabuchodonosoris, locumque simul cum illo mutaverit, omnia ipsius metalla evanescere faciendo: *Nullusque locus inventus est eis*: In rudi & insensato speculo eisdem geminos impositi iudicii sui depræhendent errores.

Dan. 2.
v. 35.

Descendens de monte lapis non caput, necpectus, sed statua percussit pedes, quibus insistebat; ibi enim imus & ultimus erat locus, quo propriae suae inclinationis ipsū pondus traheret. Enim verò singulariter notat & ponderat textus, lapidem istum abscissum descendisse de montis vertice sine manibus:

Abid. 34

Abscissus lapis sine manibus. Quare? quia hæc est differentia & facilitas, quā ad locum humiliorem & infimum descenditur, neque ad locum altum & sublimiorem ascendere potest. Lapis iste juxta opinionem communiorum parvus non erat, sed grandis. Tantus siquidem erat, ut cum statua statura sexaginta foret cubitorum, pedesque & sparium intermedium altitudini huic proportionaliter responderent, ambo dejecerit, & comminuerit. Nunc igitur interrogo. Quot manus machinaeque necessariae fuissent ut lapis iste in montem, locumque unde descenderat, eveheretur? sed quò, non nisi multarum manuum & machinarum adminiculo subvehi seu ascendere poterat, inde non requisito propriarum seu alienarum manuum adjutorio suapte natura descendit *sine manibus*. O cæcitatem ambitionis humanae! Edicite, quaeso, mihi, quot manus osculamini, quot

manus impletis; edicite, inquam, mihi, quot machinas construitis, quibus alas ascendendum faciatis? similiter, quaeso, edicite mihi, quoties eadem machinae in vacuum vos exhauriunt, & osculatae istae, & repletae manus, vacuis vos manibus relinquunt? Illi enim à vobis, quod sperabant, obtinuerunt; vos verò minimè, quae sperastis ab eis. Lapis non prostravit & dejecit statuam ut ipse ascenderet (prout vos facitis) per ruinam alterius, sed locum, quem statua velut superba pedibus subjectum calcabat, eò quod infimus & ultimus esset, sibi ipsi occupavit, & in eo velut in centro proprio quievit.

Infinita materiae foret opus, primorum locorum difficultates, cum ultimi loci facilitate ad parallelum reducere. Dependencia ab arbitrio seu potestate aliena loca, vel distribuit justitia; vel indulget gratia. Pro justitia requiritur meritum; pro gratia necessarius est favor. Sed enim nunquid hæc bina ista tam difficilia conjungere sufficiunt? non sufficiunt. Abel & merito gaudebat & favore: | & hæc eadem Cainum fratrem suum, ut ipsam

inter-

interficeret, moverunt. Si igitur cum merito & favore primum inter mortuos locum obtinuit Abel; nunquid melius est ultimum tenere inter vivos, sine labore illum promerendi, aut periculo non fruendi? porro si istud contingebat tempore quo homines sese trucidabant sine ferro; & gratia favorque obtinebatur sine auro: quid erit tempore presenti? postquam dignitates factæ sunt venales, loca elocantur potius, quam obtinentur; & non conferuntur pro meritis, sed carius licitantibus. Quæ requiruntur in hominibus, olim vocabantur talenta: & quæ eodem hodie gaudent nomine, nisi eidem sint inclusa metallo, quantumcunque sint excellentia, nihili æstimantur. Solus locus ultimus, quia nullos habet emptores non venditur: ideoque solus obtineri potest sine summa capitali, & possideri sine penitione.

Considerate, & benè metimini gradus hos tam altos, alios tam humiles & demissos, quibus inclinando, genua flectendo, & sese dimittendo, vel præteritio in casum recidit, vel tandem loci præteriti possessio apprehenditur: & patebit, quod pluris constet locum illum obtinere, quam promereri. Davidi ad prome-

rendum, unum sufficiebat sternere Philistæum: ad obtinendum verò jam promeritum, opus erat sternere ducentos. Quis porro minister, aut ministri officialis, non potius pro comodo suo & interesse, quam pro integritate, Philistæus est loricator & armatus? staturas tam extraordinarias & immensas in vanum acquiretis & subigētis mensuris, jam enim tempus transit, quo negotia pedibus retrogradis procedebant. Habilitates personarum, integritas officiorum, fidelitas servitorum, & justificatio securitatum, non habent tot scientias, quot sunt difficultates quibus in eis impingitur, & offenditur, & fors semper eorum est, & vestrum periculum alexque infortunium. Minoribus dare debebitis quod minus est: majores rogare & obscurare oportebit: spe vestra ab eorum beneplacito, & ab hora, & humore, quo audiemini suspensa manente. In consiliariis consilium, in secretariis sollicitate oportebit Calamum; in Principe non solum resolutionem, sed in resolutione effectum & executionem; ut omnia, juribus solutis, non sint solum regis consignatum insignis, quæ de novo erunt acquirenda, ut tantum se deveniat ad aliquid, quod jam obtentum nihil est:

Hiscæ denique arduis difficilibusq; ascendunt gradibus, nisi cadant, qui prima loca occupant. Et solus ultimo contentus, neque servit, neque requirit, nec contendit, nec adulatur, nec rogat, nec solvit, neque debet: nec dependet à ministris, nec à tribunalibus, nec ab ipso dependet Rege: ille sibi consulit, ille sibi gratiam indulget; quoniam ipsemet se expedit. Et cum ipse me expedire possim, illud ab alio petendo requiram? nonne promptius est, vellem, quam perere? auscultate justam hoc in casu S. Bernardi exclamationem: *O perversitas! o*

S. Bern.
Serm. 2.
de Asc. c. f.

abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum; ipsi & leviter ascendunt, & difficilium descendunt. q. d. *O perversitas & abusus filiorum Adam! cum tam difficile sit ascendere, & facile descendere: illi rationis naturæque per-& invertendo leges, potius ascendere appetunt cum difficultate & labore, quam descendere cum facilitate & requie. Et notate, tantam esse facilitatem, ut Christus quietis tantum, & non descensus fecerit mentionem. Non dixit, uti Zachæo, *descende*, sed *recumbe*; descendere enim licet facilius, requirit tamen passus: & *recumbe*, more Hebræorum*

quo ipsi in mensa recumbere consueverant, significat quietem cum oblectatione & sine labore. *Recumbe in novissimo loco.*

§. VI.

Secunda loci ultimi prærogativa est, magis esse securum. Loca alia, quanto altiora, tantò minus secura! ipsaque eorum altitudo certum ruinæ ipsorum & præcipitii prognosticum existit. Nolo nos exiguum hanc securitatem in alio speculari loco, quam illo ipso, cui, quod firmissimum sit totius mundi, Deus nomen imposuit, Firmamentum, Christus iudicii extremi signa præcursora prænuncians, inquit: *Sol obsecrabitur, & Luna non dabit lumen suum: & Stella de Cælo cadent.* Super illud, *cadent de Cælo Stella*, diversæ Interpretum leguntur expositiones: supponunt enim, cum stellæ fixæ sint in Cælo, & Cælum incorruptibile, propriè cadere posse, fore impossibile. Sed mihi (prudenter inquit Maldonatus) quando Aristoteles negat, quod Christus affirmat, videtur credendum potius Christo quam Aristoteli: *Magis enim Christo affirmanti, quam Aristoteli neganti fieri posse, credendum esse arbitror.*

Matt. 24. v. 29.

Maldonatus.

Sup-

Supposito igitur, quod stellæ & propriè cadent, nec non Sol & Luna tantum obscurabuntur : quare non obscurantur & cadunt omnes? Quam suâ culpâ Stellæ solæ cadent: non aliâ culpâ, quàm à quo tempore collocatæ fuerunt in cælo, locus earum sit altissimus. Luna in primo, Sol in quarto consistit cælo, Stellæ in octavo, quod est supremum, quousque visus noster pertingere potest: nec alia requiritur culpa, cur Stellæ casuræ sint. In omnibus tribus signis Christus locorum naturam est imitatus. In Eclipsi Lunæ naturam loci est secutus; nam in primo cælo ipsam naturaliter obscurat terra: in Eclipsi Solis naturam loci est secutus; quia in quarto cælo ipsum naturaliter obscurat Luna: in casu stellarum similiter naturam loci est secutus, in octavo quippe cælo, quod est supremum, similiter naturale est cadere.

In hoc mundo non datur altitudo, quæ non sit præcipitium. Omnis locus altior propriam semper minatur ruinam, nullâ aliâ ad hoc requisitâ causâ vel culpâ, præterquam quod sit altior. Quâ suâ culpâ turres & montes tonitruis & fulminibus magis sunt obnoxie? nullâ certè aliâ vel causâ vel culpâ suâ, quam altitudine propriâ, &

quod loca sint à terra elevata. Cælum nimîa ipsorum propinquitate offendi videtur, ac si turres omnes essent similes illi Babylonicæ, & montes omnes illis Gigantum. Christus, pro exemplo nostro, cõgressurus cum Diabolo, primum ad provocandum locum elegit desertum: *Ductus est in desertum, ut tentaretur à Diabolo.* Secundum verò & tertium locum ipsemet elegit Diabolus, ad oportuna & congrua tentationi loca Christum deducens. Primus locus fuit Hierosolymitani templi turris: *Assumpsit eum in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Secundus locus mons fuit in toto circumjacente spatio altissimus: *Iterum assumpsit eum in montem excelsum valde.* Et quare cum in turrim & montem assumpsit quia utroque ex loco Christum præcipitare & in terram prosternere parabat. In turri sollicitans ut se præcipitaret: *Mitte te deorsum.* In monte multa & magnifica promittens si humi cubans se adoraret: *Si cadens adoraveris me.* Similia loca ascendere ambientes, cum ducem suum videre nequeat, saltim quò ducti sint attendant. Turris locus erat Ecclesiasticus & sacer: Mons locus erat profanus & sæcularis. In turri Diabolus illi promisit angelos: in monte omnia illi

Mat. 4.
v. 1.

Ibid. 5.

Ibid. 8.

Ibid. 6.

Ibid. 9.

illi obtulit mundi rēgna : sed cum utraque loca essent altissima, etsi promissa & oblata sive de cœlo essent, sive de terra, vel in Ecclesia, sive extraiam, utraque erant periculosissima, & lapsui peropportuna.

Jam dudum Diabolus hanc ipsam tragœdiam duabus utriusque status figuris delineaverat. Daniel persona erat Ecclesiastica cultui divino devota: Aman Minister erat sœcularis, mundi negotiis occupatus. Aman primum & præcipuum in aula Regis Assueri obtinebat locum : Daniel similiter primum & præcipuum in aula Regis Darii tenebat. Quis verò in foro Metropolis Susan, quinquaginta cubitorum altitudinis patibulo affixus moritur? Aman. Et quis in famosissima civitate Babylone à Ministris justitię in lacum leonum est conjectus, ut corū unguibus dilaniatus mortem oppeteret? Daniel. Ergone Daniel tam charus & pretiosus Dario Regi: & Aman adeo familiaris Regi Assuero, ambo tam repente lapsi, insuper tam vitâ, quam professione differentes? sic est. Daniel serviebat Deo, Aman serviebat mundo: Daniel justus erat & sanctus, Aman iniquus & perversus : Verum ad primorū locorum culmen evectis, nec Aman ad se conservandum in loco sua profuit industria; neque

Danieli ad præservandum se à lapsu, sua quicquam contulit virtus. Admirabilior sane Danielis lapsus, Aman lapsu extitit. Aman cecidit, quia Regis gratiam perdidit: Daniele omni Regis gratiâ suffultum, hæc ipsa tota à lapsu præservare non suffecit. Sed enim, nunquid hic stitit? nulla ratione. Deus miraculosè Daniele à faucibus leonum liberavit, tamque publico & stupendo cœlesti præconio canonizatis ipsius meritis, Rex illum in pristinum locum restituit. Sed majoris utique prodigii loco habendum quod sequitur: tam callidis simul & validis inimici ipsius usi sunt insidiis & machinis, ut deavo Regem adegerint, ut Daniele iterato in locum immisissum famentium ferarum voracitati objiceret.

O terque quaterque beatum & felicem, & solum doctum & prudentem illum, qui ex omnibus mundi locis eligere novit illum, ex quo nec deturbari ab alio, neque semet ipso cadere possit, verum est, non omnes ex altis cecidisse locis; nihilo secius etiâ verum est, quod non lapsi labi potuerint : Et sufficit cadere posse, ne simus securi. Et quænam mari securitas esse potest, ventorū inconstantix semper obnoxio. Latini duo habent nomina, quibus securitatis genera duo val-

valde diversa declarant : *Tutus*, & *securus*. *Tutus* significat securitatem ejus, qui non periclitatur : *Securus*, securitatem ejus qui nec periclitari potest. Infirmus in febricitata *tutus* est se non moriturum, sed non est *securus* : quia non est sine periculo, sine timore, sine sollicitudine & cura, hoc enim significat *securus*, id est, *sine cura*. De quo nervosè & eleganter Seneca : *scelera tuta esse, securam non possunt*. Istud porro securitatis genus securum reddit non solum à periculo, sed etiam à timore, sollicitudine & cura, quæ securitas in altis nunquam locis esse potest, sed tantum in locis invenitur ultimis. Qui loco consistit alto, potest non cadere ; sed qui in loco agit infimo, non potest cadere, & hæc sola vera securitas est. Quare ? quia si ex infimo cadi posset, infimus locus non esset. De loco alto delabi quis potest ad inferiorem locum, & de inferiore ad infimum : sed de infimo, qui est ultimus, lapsus non datur, nam non est Quò.

Hoc evidente argumento Jeremias Propheta Jerusalem in transmigracione Babylonis fuit consolatus, Propheta disertè transmigracionem illam quatuor threnorum alphabetis deploravit, cuilibet literæ novum assi-

gnans doloris motivum : ad ultimum appropinquans versus, literam hac brevi sententia absolvit : *Filia Sion, non addet ultra, ut transmigret te*. Tua transmigratio, ô Jerusalem ad non plus *ultra* malorum pervenit, quæ tibi Babylonia poterat inferre. Modò verò transmigracionem hanc patiens, non aliunde illum, quam ipsa transmigracione consolari fas est. Quare ? Si enim illa ad non plus *ultra* & malorum ultimum & extremum pervenit, hinc transiri non potest : *Non addet ultra ut transmigret te*. Tam extremè Jeremias malum exaggeravit, quam subtiliter levamen excogitavit. Extremis malis proprium est, oppressum liberare à seipsis. Mors malorum omnium ultimum, eximit à morte, & immortales facit quos occidit : nec illa enim eos amplius occidere potest, nec illi mori queunt. Hoc privilegio fruitur in vita, qui loci ultimi bonum cognovit eodem contentus. Antequam ad fortissimum hoc asylum confugiat, sponte descendere, cadere per offensam, violenter deturbari potest ; in ultimo verò loco consistens, neq; spontaneè cadere, neq; violentia aliena, neque omni fortunæ vi & impetu dejici potest. Fortuna gradum unū addit

addit ultimo, & alterum infimo (quod Deus facere nequit) & hoc solo casu descendere potest, qui in loco agit infimo, & cadere qui est in ultimo,

Solus qui hanc novit in praxin redigere electionem, exarmavit fortunam. O gloriosum Trophæum! fortuna armis suis exuta, & pedibus suis substrata illius spolia calcans, hunc canit versum:

Major sum, quàm cui possit fortuna nocere,

Sic exarmatur fortuna, quæ ministratis sibi ac nobis armis tantum prævalet. Omnes fortunæ vires in quo consistunt? In exaltando solum & dejicendo: & si ego ultimo contentus sum loco, non illa me exaltare poterit, quia nolo; neque dejicere, quia non potest. Immò verò fortunam etiam volentem, me nec evehere, nec deprimere posse: contrarios enim invicem habemus conceptus: Elevare me nequit, secundum meum conceptum; quem enim illa meliorem locum æstimat, hunc ego despicio. Similiter nec me dejicere potest ex meo conceptu; siquidem quem illa pejorem reputat, eundem ego æstimo. Cæca tandem oculos suos aperiat fortuna, falsum erraticorum conceptuum suorum corrigens apparentiam, & hoc solum pacto fortuna-

tos reddere poterit, non meliorem mundi hujus locum æstimans primum, & altissimum, sed infimum & ultimum. Solus ille beatus existit & fortunatus, qui cadere nequit: & solus cadere nequit, qui quò cadat, non habet. Verum enim ve-

rò ne subtilitatem quandam instantiæ alicujus dissimulare videat, quam Philosophia hæc continet: dicit fors aliquis, etiam in ipso loco ultimo, absque quod eo sit inferior alius, stantem cadere posse: I. Cor. 13

Qui existimat se se stare, videat, ne v. 12.

cadat. q. d. Qui stat, videat ne cadat: quippe qui stat, in ipso loco cadere potest, absque quod ad alium cadat. Quod ingeniosè Peëta inquit: *In se magna ruunt.* Sed hæc instantia in casu nostro locum non habet: stans in eodem loco cadere potest; sed non sedens aut cubans: & id insinuare vult, *recumbe*; ascendentes & descendentes scalam Jacob cadere poterant, ad pedem verò ejusdem scalæ cubans in loco infimo, & recumbens, de lapsu erat securus & hinc somno solutus dormiebat: *Recumbe in novissimo loco.*

§. VII.

Tertia ultimi loci prærogativa, præter majorem facilitatem, & securitatem, est, illum magis esse quietum, vel solum tranquilum. In hac semper volubili & agitata mundi rota, omnia moventur,

tur,

tur, omnia alterantur, omnia mutantur, omnia continuo circumaguntur sine stabilitate & firmitate, nec datur locus, in quo quis quiete frui possit, nisi ultimus, nec alia ex causa, quam quia ultimus. Philosophorum non paucorum antiquata fuit opinio, non solem movendo se circuire terram, sed ipso semper immobili & fixo permanente, hanc ipsam in qua stamus terram nobis non sentientibus moveri, & nos secum circumagere, & nos à sole elongando facere noctem; & eundem iterum ostendendo efficere diem. Sed hæc opinio seu Mathematica speculatio, quemadmodum nostris temporibus fuit exorta, sic etiam velut erronea fuit condemnata, cum expressè scripturam sacram offendar, eique contradicat. De sole facer textus verbis ipsa luce solis clarioribus affirmat, quod circumneundo mundum universum illuminet: *Oritur Sol & occidit, gyrat per meridiem, & flebitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu.* E contrario de terra pronunciat, quod immobilis & fixa, nec se moveat, nec motura sit unquam: *Terra autem in aeternum stat.* Si igitur Sol planetarum princeps movetur; nec non omnia astra & corpora cælestia in perpetuo sunt motu, & sub cælo

cum eo sphaera movetur ignis, & sub igne, aër & venti; & sub aère aqua, vel perpetuo currendo in fluminibus, & torrentibus, & fontibus, vel bis de die reciprocando ad littora maris; imò quando tempestates mare non elevat ad stellas, vel ad arcenam usque deprimit: Quæd, quæso, est causa, quare in medio omnium harum naturæ agitationum & tumultuum terra sola immobilis & firma, & quieta perpetuo consistit; *Terra autem in aeternum stat.* Nunquid videtis, quomodo in immenso hoc universali globo, soli terræ veluti centro ejus, ultimus mundi competit locus? Hac igitur de causa illa sola tranquillitate gaudet sine perturbatione. *Causa stabilitatis & immobilitatis terræ est ejus gravitas, quæ exigit infimum mundi locum,* commentatur Cornelius à Lapide. In summi omnia alia, plus minusve alta loca, naturaliter sunt inquieta, & solus infimus & ultimus omnium, stabilis est sedes, & centrum immobile securæ perpetuæque quietis.

O si terra oculis prædita esset & intellectu, & hinc sursum versus cælum respiceret, & ad omnia, quæ inter ipsum cælum moventur & terram, quam contenta foret suo loco, & quas non gratias ageret videns

Eccles. I.
v. 5. 6.

Ibid. 4.

Corn. à
Lap.

cursum, semperq; inquietam Solis revolutionem, Lunæ, & Stellarum, continuamque elementorum, sese invicem consequentium pugnam, sine pace, sine quiete, sed quodlibet continuo in sphaera suæ dilatatione occupatum: dum illa sola pacata, & ultimæ inferioritatis beneficio, qua ipsam Deus mundi basim fecit, & ipsi pro basi suum proprium assignavit centrum immota cõsistit: *Fundasti terram super stabilitatem suam.* Sed homo, qui est terra intellectu & oculis prædita, si Deus, eousque illum illuminârât, ut sciat non alium velle locum quam ultimum, verè fruitur tranquilla quiete, & quæta tranquillitate tam fortunati, quam incogniti sui status, nullo ipsum turbante, aut alterante. Depugnent alii, seque invicem conficiant, quisnam eorum altiora loca subeat; Ego (inquiet) quo magis illa loca respicio, eorumque deforis ditrimina intueor, eo magis pace mea, quàm eorum luctis, mea abstractione & segregatione, quam eorum victoriis; & mea securâ inferioritate, quàm eorum inquieta altitudine delector, & contentus ago. Ecce quam bene altitudinum omnium inquietudinem vivi & mortui intellexerint! Samuel mortuus sollicitante Saule, de fundo terræ suscitatus,

Pf 103.
v. 5.

inque mundo comparere, quantumvis brevissimo temporis spatio, jussus, de nullo alio cum Saule exoptulavit, quam quod ipsum inquietâsset: *Quare inquietâsime, ut ascenderem?* Et Sidonius Apollinaris, certi cujusdam eminentioris loci aggratulationem refusans, ad quem amicorum suorum quispiam promotus erat, hæc notatu dignissima verba conscripsit: *Sed sententia tali nunquam ego assentior, ut fortunatos putem, qui Republica precipitibus & lubricis culminibus insistant, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt inquietissimo se subjacere famulatu.* Notate Verbum superlativum, *inquietissimo*, quo vir tanti judicii sicut Sidonius, locorum sublimium possessionem, non simpliciter servitute, sed servitute inquietissimam appellat: *inquietissimo famulatu.*

1. Reg.
18. v. 15.
Textus
Heb.

Sidonius
Apollinaris
lib. 2. Epist. 13.

Naturales locorum sublimium inquietudinis causæ, vel sunt ambientium, competentia, vel affectantium invidiæ, vel intrinseca & propria locorum eorundè inquietudo, quæ obtenta nec quiescunt ipsa, nec se tenentè quiescere sinunt. Quoad competentias: quare Jacob & Esau in matris suæ visceribus certant? Et quare Phares & Zaram ipsorū successores

in

in matris itidem utero non compugnarunt? Quia Jacob & Esau uterque primum locum prætendebant: Phares autem & Zaram tantum ab hujuscemodi contentione aberant, ut Zaram jam inanu tenēs cū purpura investiturā prioris, *Hic exiet prior*, manum retrahendo prioritatem cesserit Phares. Ita ut in ipsis visceribus maternis quibus continebantur duo de loci primatu contententes, omnia inquietudini & luctu essent obnoxia: & ubi unus tantum fuit, ultimum locum præferens primo, pacatissima & quieta fuerint omnia. Quantum verò ad invidias, gravior adhuc casus est. Filii Zebedæi duas in regno Christi prætenderunt cathedras, ad dextram scilicet & sinistram: & quā intentione, illas petierunt? Ea intentione inquit S. Chrysoſtomus, ne S. Petrus, quem solum timebant, locum primum, vel regni primatum præriperet. *Primum hujus confessio impetrare, & præponi quidem se ceteris sciebant: Petrum verò sibi præferri formidantes dicere ausi sunt, ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat.* De aliis Discipulis, quibus duo illi fratres prælatos se videbant solliciti non erant: sed Petrum tantummodo timebant. Verum si Joannes & Jacobus in Apostolatu erant duo excellentissimi, & sin-

gulariores S. Petri amici, quomodo hac via illum volunt excludere? ubi invidia locorumque intrat ambitio, nec virtus, nec amicitia securitatem invenit: maximus vos amicus circumducet, & virtuosissimus sese introducet. Præripiant prima loca Joannes & Jacobus: & S. Petrus quid? nullum obtineat. Certum planè est inquietudinem hujusmodi in Apostolatu non futuram, si locus ultimus esset. Ultimus locus æmulos & invidios non habet, & qui hunc meliori prælegit, quod invidet non habet: & ubi invidus & invidens non reperitur, omnia sunt quieta. Sed num sufficit istud? non sufficit, Quia licet loca sublimia à competentiā non inquietentur aut invidia, ad eò connaturalis ipsis est inquietudo, ut, prout dixi, loca ipsa sint inquieta; & qui ipsa occupat. Lucifer creatus fuit in cælo, unde decidit: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Nihilominus ambitio ipsius dicebat se ascensurum in cælum: *Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam.* Age Diabole, si jam es in cælo, quo pacto in idem affectas ascendere cælum? quo pacto desideras quod jam tenes? quo pacto prætendis, quod jam obtines? Quo pacto te adhuc inquietat, quo jam gaudens frueris? quomodo

S. Chry-
sost. hom
66. in
Matth.

14.
12.

13.

ascendere intendis, quò jam ascendisti, & esse ubi jam es? quia idem ipse locus in quo jam erat, taliter ipsum inquietabat, ut in eo quiescere non posset. Hinc sine competentia aut invidia alterius ipse præcipitavit & deturbavit si ipsum. Adamum in terram deiecit Diabolus, Diabolus deiecit seipsum, sic enim jam possessus ipsum inquietabat locus, ac si illum non habuisset.

Solus locus ultimus ab hisce inquietudinibus & periculis est exemptus; nec alio, quam quod sit ultimus, privilegio. Erroneè vocantur gurgites & vortices loca illa, in quibus naufragium patiuntur navigantes. Non sunt gurgites & voragines, sed altissima maris loca, quæ in medio ejus ad instar rupium, & collium, seu arenosorum locorum more exurgunt. Idcirco in eis ipsum naufragatur mare, & diffringuntur & dissipantur undæ. Fælices omnino aquæ illæ, quæ nec egredi nec ascendere volentes in suo resident fundo, hæc etenim in pace remanentes perfecta quiete gaudent: ad quas si periclitantium & contractarum pervenerit Echo, aliis sonantibus, quiescunt dormiuntque securè. Porrò stabilis illius securæque quietis, aliud nobis terra exemplum ministrat, in corporibus illis magnis, quibus

vitâ concessâ sensus negavit. Arborea cunctæ parte una fixæ, altera mobiles existunt. Pars firmior, quæ sunt radices, in imo se tenet: mobilis altera, quæ sunt rami, in altum exurgit, his tantum dominatur vel blandimentum viriditatis, vel lævitia & flagellum ventorum. Arborea omnia in capite leves & inquietæ, in pede tantum firmæ & securæ existunt. In cacumine seu capite diffringuntur rami, exagitantur folia, decidunt flores, & antequam maturescant perduntur fructus: & in imo tantum radices sustentant truncum, in eoque spem meliore anno omne perditum recuperandi. O informatum pessimè iudicium humanum, quod nec insensitivæ plantæ, neque elementa sine vita te instruere, intellectumque tribuere possint: à sensitivis saltem discere creaturis, & hisce minimis utere Magistris.

Passer & turtur (ait David) conservationis suæ convenientissimum quærere & invenire scivere locum: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* *Psal. 83. v. 4.* Enim verò quo sine David exemplum illud adducit, & in animalculis duobus tam parvi vultus constituit? ut confundantur & erubescant homines, toto rationis suæ

sua usu non nosse convenientem sibi eligere locum. Porro omnes tam incurii immemoresque hujus faciendæ electicnis vivunt, ut si quis eam fecerit, speciali gratiæ divinæ auxilio adscribendum sit. Hinc David idem sequentibus verbis admiratione dignis continuat: *Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo deposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit.* q. d. Beatus, Domine, homo ille, cui tu speciali gratiæ tuæ auxilio assistis; hic enim omnes consideravit ascensiones, id est, omnes ascendendi modos, quibus alii prima & altissima loca obtinere contendunt: ipse verò locum sibi elegit omnium infimum, & hunc in lachrymarum valle constituit: *In lachrymarum valle, in loco quem posuit.* Quænam verò est hæc lachrymarum vallis; Vulgariter quidem lachrymarum vallis vocatur hic mundus; verùm hic nec totus est vallis, neque totus de lachrymis. Non est totus vallis; habet enim campos, colles & montes: neque totus lachrymarum, seu de lachrymis; sua enim habet gaudia, delicias, & oblectamenta.

Quænam igitur est vallis, in qua sola homo divina adjutus gratia locum suum ponit, *In valle lachrymarum, in loco quem posuit?* Est vallis, quam montes faciunt ascensio-

nis, id est, loca sublimia, quo omnes ascendere desiderant, quod ipse valdè vigilanter attendit: *Ascensiones posuit in corde suo.* Qui sublimia ista conscenderunt loca, in montibus stant lætitiæ; quia desiderii sui jam compotes sunt facti: & qui ascendere nequiverunt, in valle morantur lachrymarum, quia gemunt & deplorant ascensionis non appropinquare diem, quo ad desiderata promoveantur loca. In hac igitur valle, quæ lachrymarum est mœroris & tristitiæ reliquis, in hac ipsa, & in imo ejus & profundissimo, quod infimum & ultimum est, locum suum ponit, cui Deus assistit: non enim ad heroicam hanc resolutionem capefendam, intellectus propriumque sufficit judicium; sed gratiæ divinæ necessarium omnino est auxilium: *Cujus auxilium abs te:* Auxilium luminis ad cognoscendum illum promeliore & optimo; auxilium magnanimitatis, ad præferendum illum omnibus: & ipsum quoque auxilium amoris proprii, ut quis in eo sine dolo & deceptione quiescat. *Recumbe in novissimo loco.*

§. VIII.

Quonam pacto locus ultimus obtentu facillimus, conservatu securissimus, & ad fruendum sit

quietissimus jam vidimus; quæ sunt prærogativæ singulares, ob quas meritò veniat omnibus præferendus. Neque nomen ultimi aliquatenus æstimationem ejus imminuit; nisi enim ultimus esset, his sanè prærogativis careret. Omnis locus ultimus similis est illi, qui in mensa Josephi Benjaminò obvenit. Omnibus fratribus mensæ accumbentibus juxta ordinem ætatis, Benjaminò velut juniore omnium ultimus obrigit locus. Nihilò secius tamen accidit quippiam, quod ipsi fratres, Ægyptiique omnes fuerunt admirati; scilicet, quod Josephò disponente discos, & fercula distribuente, semper pars optima, non sine notabili excessu obrigerit Benjaminò. Agite locum & non discos respiciamus. O utinam delibare nossemus quàm sapidæ sint puræ sinceræque deliciae, quæ in ultimo percipiuntur loco, ab amaritudinibus defœcata, quæ in omnibus aliis quantumcunque sublimibus, & altissimis etiam locis, oculis quamvis clausis vix deglutiri possunt! Democritus dixit, resolventem se ad nihil desiderandum, cum ipsomet Jove de felicitate contendere possit: porrò felicitatem hanc plusquam humanam nò falsus, sed verus Deus in absconditis ultimi loci thesauris deposuit. Ibitantum vivitur sine desiderio,

sine timore, sine spe, sine dependentia, sine omni cura, imò sine levissima cogitatione quæ perturbet. Ibi solum somnus est quies: eibus nutrimentum: respiratio vitalis: & vita, vita: nam ibi solum est indivisa & integra, & tota secum, & in se collecta; sicuti etiam homo totus in se, & extra mundum; quia nihil eorum quæ mundi sunt concupiscit. Et nonne hæc sufficiunt, ut locus ultimus magis æstimetur, magis diligatur, & ab omnibus prætendatur? Erronea tantum nominis illius ultimi apud ipsos prævalet apprehensio, quæ in reliquis ultimum præcellentiorum & meliorem recognoscen-tes, nihilominus non solum minus honorificum sed & injuriosum sibi reputantes eum despectui habent & fugiunt.

Hic ultimus est error atque deceptio, quæ sola nobis explenda restat; cujus intelligentia consistit in eo, ut quis eodem in loco differentiam de ultimo ad ultimum, discernere sciat. Locus ultimus alio distributive assignatus, injuriosus esse potest: propria verò electione acceptatus vel maxime honorificus, & gloriosissimus existit. Sua sponte, & propria electione ultimum mundi sibi eligens locum, solus eodem mundo velur

lut Dominus utitur. Ipse nobis mundus non velut errans & vanus ; sed velut civilis & prudens , illud nobis probet & demostret. Vidistis per arcem palatii currum transire nobilibus onustum : & quisnam currus illius est Dominus ? qui ultimum tenet locum. Vidistis eisdem , vel alios in domo aliqua familiariter conversantes , & mutue visitationis ergo congregatos ? & quisnam domus illius est Dominus ? qui ultimam occupat sedem. Sicut igitur , qui ultimum in curru tenet locum Dominus est currus ; & qui in domo ultimam occupat sedem Dominus est domus : sic qui voluntarie ultimum mundi amplectitur locum , Dominus est mundi. Non committamus decisionem voluntati hominum , quæ erronea esse potest , sed voluntati Dei , quæ omnis rationis & veritatis regula est. Sextidui spatio Deus ingentem hanc creationis mundi machinam absolvit. Sed quo ordine ? postquam primo die creavit lucem ; tertio creavit arbores & plantas ; quarto Solem , Lunam & Stellas ; quinto pisces & aves ; sexto animantia & bestias , seu gradientia seu reptantia super terram , & sic depositis cælo , aëre , aqua & terra , ex

hæc creavit hominem , ut Creatorum omnium subiret dominium. Quod ita ipsemet Deus asseruit ipso actu , quo formavit hominem : *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram , ut præsit piscibus maris , & volatilibus cæli , & bestis unversaque terræ.* Si igitur homo erat prima nobilissimaque omnium mundi hujus creatura , ut mox creatus omnium earum esset Dominus , quare Deus non primo , sed ultimo ipsum condidit loco ? eodem ex capite & causa. Honor enim ultimi loci & dignitas in hoc mundo , soli Domino Dominatori ejus debebatur. Ergo videre num , & quàm honorificus ultimus sit locus. *Merito ergo postremus , quasi finis nature formatus : rectè ergo novissimus , quasi totius summa operis , quasi cauda mundi , propter quem facta sunt omnia* , ait sanctus Ambrosius. Sed nondum dictum est , quod omne dicibile excedit.

Deus quæ Deus , eò quod infinitus est & immensus , incapax est loci : postquam verò è Cælo descendit in hunc mundum homo factus , locum habiturus inter homines , quem acciperet ? nunquid illum in Nazareth ? illum in Bethlehem ? illum in Ægypto ? illum in Calvario ? similem semper

Gen. I. 26.

S. Ambr

per & ubique elegit. Quod Isaias Prophetice expendens non alio id nomine explicare potuit, quam ultimum virorum ipsum appellando: *Novissimum virorum*. Et quare ultimus, cum ejus arbitrio electio subesset: non quod æqualitatem quam cum Patre suo æterno habebat, rapinam, aut alienam, & non naturalem & propriam reputaret, ut S. Paulus notavit: sed cum esset Deus, tamque supremus Dominus universi sicuti Pater, nec alius locus magnitudinis ejus esset capax; nec alius superioritati suæ honorificentior; neque alius doctrinæ suæ conformior, quam ille idem, idcirco illum hodie recommendavit, scilicet ultimum. In convivio quodam, ad quod Siciliae rex Dionysius illustriores quosque regni sui invitaverat, in ultimo mensæ suæ loco Aristippum temporis illius oraculum collocavit, ad quod magnus ille Philosophus: *Hunc planè locum decorare, & illustriorem reddere voluisti*. Enim verò si locum istum ultimum sic decoravit & illustravit Aristippus in eo tantum sedendo; quid factum dicemus, postquam Deus ipse illum pro se elegit, & amplexus est? *O novissimum & altissimum!* exclamat S. Bernardus. Antequam Deus illum ultimum locum inter homines elige-

Aristippus.

Bern.

ret, dubitari poterat, utrum honorificus, vel non honorificus esset ultimus locus; sed postquam Deus eum elegit, sibi que vendicavit; intolerabilis blasphemia foret, ipsum locum honorificentissimum omnium denegare.

§. IX.

Coronidis loco tantum restat parabola conclusioni satisfacere, qua Magister divinus dissolvit, & destruxisse videtur, quidquid diximus. Christus Dominus rationem dat, cur loca prima appetenda non sint, sed ultimus: quia veniens, inquit, pater familias, sive domus convivique Domus, te ultimo recumbentem loco cernens, dicet tibi: *Amice, ascende superius*: Et è contrario si primum occupaveris locum, audies: *Da huic locum, & incipias cum rubore novissimum locum tenere*. Dominus domus, & convivii in fine parabola est ipse Deus, qui omnia nostra opera, intentiones & molimina pro meritis remunerabit: neque considero tantum & expendo, quod ultimum tenentem locum vocaverit amicum, amice: neque pondero, quod primum tenens locum, non remanserit saltem in secundo seu tertio, sed ad ultimum omnino descendere justus sit: Hoc tantum considero & pondero,

*Luc. 14.
v. 10.
Ibid. 9.*

dero , quod ultimum ample-
xum locum , Deus remunera-
vit primo ; & primi loci occu-
patorem puniverit ultimo. Ergo si
locus ultimus assignatur pro pœ-
na, & primus pro præmio; melior
profectò videtur primus, quàm ul-
timus.

Ita videtur, quia in ipsis non in-
tuemur locis, *Vbi & Quando. Vbi &*
Quando consideratum movit homi-
nes ad loca eligenda ? protinus
ita, in hoc mundo ; ubi verò &
quando Deus illa commutabit ? in
altero mundo. Ista ergo differen-
tiæ & commutationis est ratio, in
mundo altero melior est locus pri-
mus, in hoc mundo ultimus. Et
quare? quia cœlum omnium ele-
ctorum bonorumque est patria ;
terra omnium reproborum & ma-
lorum est regio. In terra quicquid
est non nisi superbiam, ambitio-
nem, invidiam, discordias, conten-
tiones, calumniâs, fraudes, fallacia-
s, prodiciones & violentias sapit
& spirat, & nullus non, etiam per
alterius ruinam ascendere fatagit ;
ad quæ omnia evadenda mala, ma-
lescicia, & malitias, non alius locus
securus est & quietus, nisi ultimus.
E contrario nihil est in cœlo, nisi
charitas, pax, concordia, amor, sa-
tisfactio, beatitudo, & quilibet
fruitur & gaudet bono alterius si-
cuti proprio ; proindeque prima

Pars V.

loca à nemine invidentur aut præ-
tenduntur: sed ab omnibus appro-
bantur & honorantur, sine omni
metu, qui eos inquietet intus, &
periculo quod eos perturber foris ;
tam stabilia sunt & perpetua sicut
ipsa bona & felicitas, quâ fruun-
tur.

Porro ut binas hæc differen-
tias, à mundi principio à Deo ; u-
nam in terra inter elementa, & al-
teram in cœlo inter Angelos con-
firmatas videamus ; S, Scripturam
auscultemus. Creationi mundi
Deus sextiduum impendit. Primo,
tertio, quarto, quinto & sexto die
creavit, secundo tantùm die crea-
vit Nihil. Si igitur dies secundus
planè sterilis fuit & infecundus
nullius creaturæ novæ productio-
ne, quinam Deus totum illum im-
pendit diem ? totum illum hono-
rando & exaltando loco ultimo
pro dignitate sua dedicavit. Text-
us inquit, Deum secundo die di-
visisse elementum aquæ, partem-
que ipsius sublimatam collocasse
supra firmamentum, quod vocavit
cœlum. Hæc sunt aquæ illæ, de
quibus dicit David: *Et aqua omnes*
quæ super cœlos sunt, laudent nomen
Dominî: Ubi declarat, cœlum, su-
per quod collocatæ fuerunt, om-
nium esse altissimum, & supre-
mum. Verùm enim verò, unde e-
lemento aquæ hæc provenit exal-

X

tatio,

Pf. 148.
v. 4.

ratio, nulli alii à Deo collata: Quia cum aqua qualitate sibi naturali superior sit terra, terræ verò locus sit ultimus, illa eminentiorem, in quo creata fuit, descendendo situm, ad implendas ejusdem spontaneè cucurrit concavitates, tamque arctè ibidem terræ unita, ut unum tantum globum aqua & terra formaverint. Quod ita oculis Dei complacuit, quamvis elemento aquæ naturale, ut auctor naturæ locum, loco aquæ compensaturus, propter ultimum, ad quem descendit in terra, ad cœli sup̄remum elevaverit eandem. Sed dum agimus de cœlo, videamus, quàm contrarium huic exemplo aquæ elementaris fuerit istud ignis rationalis, hoc enim significat Seraphim. Primum in cœlo locum inter Seraphinorum ordines Lucifer tenebat, nec superbia illius inferiore contenta erat loco, quàm ut super omnes ascenderet creaturas: hoc mente volyebat dicens: *Super astra Dei exaltabo solium meum: similis ero altissimo.* Quid verò similitudinis suæ æmulatori vanissimo idem facit altissimus? *Veruntamen in infernum detraheris in profundum lacu.* E cœlo ipsum præcipitavit in infernum, & de sup̄remo loco, quem affectavit in Emyreo, ad infimum abyssi. Sic Deus punit, sic præmiat, & commutat loca, sublimanda uf-

que ad sup̄remum, cum qui sese abjecit ad infimum; & deturbando ad infimum sup̄remi affectatorem. Tantùm in Evangelii nostri parabola valet. *Vel amice ascende superius: vel, Incipias cum rubore novissimum locum tenere.*

Persectâ nunc rei hujus veritate, superfluum est inferre qualiter in hac vita resolvere se oporteat, cujus adhuc libero subest arbitrio, electio. Quid verò faciendum illis, qui jam illam consecuti, sive per natales, sive per negotiationem, sive quacunque fortuna alia in primis sunt locis collocati? facillimum foret dare consilium, nisi difficilis esset resolutio. Sed res hæc me non concernit. Cur non facient, qui minus relinquendum habent, idem, quod Reges tot & Imperatores fecerunt? Nec cœlum, nec infernum credebant Diocletianus & Maximianus; sed sola experientia constitutionem primorum locorum docti, ambo Imperii tadio affecti, unanimi consensu & uno eodemque die (qui fuit decimus septimus mensis Februarii Anni 304.) Diocletianus Nicomedæ, & Maximianus Mediolani, scepra posuerunt, regimini renunciantes. Et quis hoc casu non exclamabit: O cœcitatem humani judicii! ô deplorandam magnam fidei nostræ infirmitatem!

Isai. 14.
v. 13. &
14.

Ibid. 15.

tatem! Quod duo Gentiles, & sceleratæ vitæ homines, tam heroicam capefferint resolutionem, velut istam; cumque locorum mensura, qua nos super nostros elevamus æquales tam sit brevis, hæc tam laboriosa incertaque prælatio sic nobis ablandiri possit, ut illam in hac vita, vitæ temporalis, quieti, & æternæ vitæ securitati antepōnamus!

Dari possunt tam urgentes rationes, tamque validæ obligationes, quæ laqueos istos perrumpere non sinant. sed casibus hujusmodi, qui non nisi rarissimè evenire possunt, in quibus cum renunciari nequeat locis, amoris saltem & affectui renunciari oportet. Christus in Phariseis & Scribis affectum potius & amorem, quibus locis primis inhiabant, quam ipsa loca reprehendit: *Amant autem primos accubitus in cænis, & primas cathedras in Synagogis.* Cum sint tam periculosa, sicut videmus loca prima, sufficit esse prima licet non a-

Matth.
23, v. 6.

mentur. Sancti illa non amabant, de omnibus legitur, quod illis sese opposuerint, & ab eis fugerint: Verùm si fuerint loca prima, & simul amata, multò sanè sunt periculosiora & perniciosiora, tam eis quos insunt & decipiunt; quam Reipublicæ, cui exitium inferunt. iidem illi Scribæ & Pharisei primorum amatores locorum, mortem Christi urserunt, in Crucem agentes Filium Dei: quare tantùm ne amata perderent loca: *Veniens Romanis, & tollent nostrum locum.* Denique si prima loca non amarentur, minoræ certè forent damna, quæ causabunt propria & aliena. Sed, si ve amata, si ve non amata, si illa jam tenentes, eisdem totaliter non renunciaverint, generosèque mutaverint cum ultimo, nullatenus frui poterunt libertate, & securâ quiete; quod sic prolixè demonstravi; quia privilegium istud à Deo ultimo tantùm loco est concessum: *Recumbe in novissimo loco.*

*Joan. 8.
v. 48.*

☉ (o) ☉

☉

S E R M O

DE

Sanctissimo Sacramento , in die Corporis Christi.

In Ecclesia , & Conventu de Incarnatione.

Hic est Panis, qui de Cælo descendit. Joann. 6.

§. I.



Ecclesia hæc idem die celebrat , quod celebrant omnes ; sed nulla cum tanta obligatione , nulla tanta cum congruentia , quantâ hæc. In cæteris solemnitas est propria diei , in hac, diei simul & loci. Tam arctè sibi invicem suprema hæc duo mysteria , Incarnatio & Sacramentum , sunt innexa ; ut ipsa Sapientia , & Eloquentia divina , ad deprædicandum Sacramenti magnificentias , Incarnationis usâ sit excellentius : *Hic est panis, qui de Cælo descendit* : Hic est panis (inquit Christus) qui de Cælo descendit. Sed quando panis iste descendit de Cælo ? non in die , quâ Sacramenti Myste-

rium est institutum ; sed in die quâ Incarnationis Mysterium fuit perfectum. Ita genibus flexis confitemur omnes : *Descendit de cælo, & incarnatus est.* Ita ut in eodem thematicis textu, duos habeamus dies , nec non Mysteria duo. Diem, & Sacramenti Mysterium: hic est panis: *Qui de cælo descendit.* Diem, Mysteriumq; Sacramenti, convenienter celebrati: diem , Mysteriumq; Incarnationis, cõformiter loco. Cùm ergò sermonem (pro ut etiâ fas est) non de corpore Christi, vulgariter loquẽdo modo, sed de corpore Christi in Incarnatione tractare oporteat: cumq; discursus hic meus, eidem corpori Christi, nõ solum quatenus consecratum , sed quatenus etiam incarnatum est ,

mibi

mihî commensurandus sit, dico, diem Incarnationis, & diem Sacramenti, ambos esse dies Corporis Christi; sed diversa valde ratione. Dies Incarnationis, dies est Corporis Christi; quia in die Incarnationis descendit Deus ad assumendas corporis conditiones & qualitates: & dies Sacramenti similiter dies est Christi; quia in die Sacramenti idem ascendit corpus, ad assumenda attributa Dei. Istud hodie prædicare statui, Verùm quia pro Majestate materiæ mihi adhuc desunt termini condigni: & ut ego melius eam penetrem, & explicare sciam, ad præsentem gratiæ fontem recurramus. *Ave Maria.*

§. II.

Hic est panis, qui de celo descendit.

Joan. 6.

S. Apostolus Paulus, de secunda textus hujus parte loquens, id est, quando Verbum Divinum de ecclo descendit, ut carne vestiretur, hæc notabilia dicit verba: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Id est, cum Verbum æternum esset æquale Patri per omnia, & non aliter esse posset, nihilominus homo factus, aliis hominibus similis, sic in semetipso, Divinitatis Majestatisq;

sux attributa collegit & absorbit, ut in eo jam Incarnatus protinus non viderentur, & ipse quasi illis vacuus appareret: Hoc propriè, & secundum rigorem significat. Illud, *Exinanivit semetipsum*: & ita factum est. Verbum quoad Divinitatem erat Spiritus, & per Incarnationem habuit Corpus: per Divinitatem erat immentum & per Incarnationem limitatum: quoad divinitatem infinitum, & per Incarnationem, evasit finitum. Per Divinitatem erat æternum, & per Incarnationem factum est temporale: per divinitatem erat invisibile, & per Incarnationem visibile: per Divinitatem immortale erat & impassibile, & per Incarnationem jam patiebatur, mortique erat subiectum. Nonne hæc magna Divinitatis sunt vacua: tanta sane, tamque profunda, ut non nisi intellectus S. Pauli aliquatenus ea penetrare possit: *Exinanivit semetipsum.* Sed triginta tribus annis eadem Divinitas Incarnata expectet, & æquali vel majore miraculo altaris Sacramentum prodibit in mundum: Quare, quove fine? ut Divinitatis vacua in Incarnatione, reimplementur in Sacramento. At tigenunc metam & scopum ad me declarandum & explicandum. Quemadmodum per in Incarnationem Divinitas Christi se

exiit attributis Dei, Corporis proprietatibus vestita: sic ipsum Christi Corpus mediante Sacramento Corporis se proprietatibus exiit, attributis divinis vestitum. Et hic plus quam admirabilis fuit modus, quo vacua Divinitatis in Incarnatione, repleta & restaurata sunt per Sacramentum. Videte nunc & attendite.

Per Incarnationem (ut diximus) Deus qui erat Spiritus, factus est Corporeus, partibus distinctis & extensis: per Sacramentum Christus qui erat, & est Corporeus, factus est spiritalis, totus in toto, & totus in qualibet parte, ad instar Spiritus. Per Incarnationem Deus immensus ad unum tantum reductus est locum: per Sacramentum Christus circumscriptus loco factus immensus in cunctis mundi est locus. Mediante Incarnatione, Deus æternus factus est temporalis, sicque natus, vixit, & mortuus est in tempore. Mediante Sacramento, Christus temporalis, denuò factus æternus, sine termino vel durationis limite: Mediante Incarnatione, Deus infinitus, evasit finitus, prout utraque humanitatis pars est finita: Mediante Sacramento, Christus finitus non habet finem: est enim infinite multiplicatus: Mediante Incarnatione, Deus invisibilis, factus

est visibilis, & sic illum viderunt homines: Mediante Sacramento, Christus aliàs visibilis, factus est invisibilis; quia illum nec videmus nec videre possumus. Denique per Incarnationem, Deus immortalis & impassibilis, factus est mortalis & passibilis, passus est & mortuus propter homines: Per Sacramentum, Christus mortalis & passibilis, factus est immortalis & impassibilis: In Sacramento enim præsens, nec passioni, nec morti subjacet. Sed enim, quænam, quæso, singulorum, seu potius simul sumptorum est differentia, nisi, quod hodie in Corpore Christi, mediante Sacramento, adimpleta sint vacua, quibus eodè in corpore, mediante Incarnatione, occultata fuit Divinitas; & quod Corpus Christi in Sacramento, per omnia attributa divina Corpus sit Dei?

S. Joannes Evangelista in Apocalypsi sua Capit. 5. Notabile quid vidit, & alia notatu digniora audivit, Magnificentissimum vidit thronum, à tota curia cœlesti circumdatum, & super illum agnum stantem, sed velut mortuum: *Agnum stantem tanquam occisum.* Apoc. 5. v. 6. Audivit cœlestium illorum aulicorum, multorumque Angelicorum chororum voces, accinentiũ cum applausu, & dicentium: *Dignus est agnus;* *ibid. 12.*

agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem. Agnus iste non jacens instar mortui, sed vivi ad instar stans erectus, est agnus Dei qui tollit peccata mundi, Christus Redemptor noster: sed est Christus, & idem Christus non in alio statu, vel alio quocunq; modo, sed quatenus in Sacramento. Quod ita communiter loci hujus interpretes intelligunt, ipsaq; Textus Verba proprie valde declarant; non enim agnum mortuum ad instar vivi, sed vivū mortui ad instar stetitisse asserunt: *stantem tanquam occisum.* Istud proprie & distinctè credimus, idq; nos fides in Sacramento Mysterio docet. Verbum, *stantem* repræsentationem, & non realitatem innuit: Idemq; Christus in Sacramento, qui realiter æquè vivus est in Sacramento ac in cælo, eodem in Sacramento repræsentativè tam mortuus est, ac in cruce. Hinc consecrationis Verba, in Hostia Corpus velut à sanguine separatum, & in calice sanguinem tanquam à corpore separatum collocant; omnia in mortis significationem, in qua (& nullatenus sine illa) sacrificium perficitur & consummatur. Idcirco etiam in forma & cum nomine agni. Nam post agnū Abelis in lege naturæ, similiter in lege scripta, in agni figura idem ipse Christus immolabatur: Hoc

S. Andreas ita docuit proconsulem Ægeam, dicens: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie immaculatum agnum, cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, integer perseverat & vivus.*

Supposito igitur quod Agnus vivus & tanquam mortuus, quem S. Joannes vidit, erat Christus, & quidem Christus in Sacramento; accedant nunc & intrent secunda, & admirabiliora textus Verba, quibus eidein Agno applaudens, tota accinebat cælestis curia dicens, ipsum dignum accipere virtutem & Divinitatem: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem.* Porro idem Joannes Canticum istud novum fuisse asserit: *Cantabant Canticum novum:* nec novum, sed antiquum fuisse videtur, & triginta quatuor saltem annorum, tot enim ab Incarnationis die, usq; ad diem institutionis Sacramenti numerari possunt. Quandonam Filius Dei factus est homo, & Divinitas humanitati Christi est unita? Nullum est dubium, quin in die Incarnationis. Si igitur ad Christum quæ Incarnatum pertinet, eundem Christum Divinitatem accipere quæ hominem: Quænam, quæso, Cantici hujus est novitas, quo tota illi congratulatur cæle-

coelestis curia, quod Divinitatem non in Incarnatione, quatenus Deus Incarnatus, sed in Sacramento, quatenus Agnus in Sacramento accipiat: *Dignus est agnus accipere Divinitatem* & Verbum *dignus*, adhuc magis in & extendit dubium: Dignus enim supponit meritum; unionem verò hypostaticam humanitas Christi nec meruit, nec mereri potuit: si igitur fuit divinitas, & divinitas promerita, quo pacto dicitur, Christum dignum illam accipere, eandemque accepisse in Sacramento? Ratio altissima & nova, prout eam S. Joannes appellat, est ea quam dixi, & probabo. Duabus vicibus, duobusque modis diversis Christus divinitatem accepit. Primò in Incarnatione, in qua Deus modo quo possibile erat, Dei se exiit attributis, corpus induens humanum: secundò in Sacramento, in quo Christus similiter modo, quo erat possibile, Divinitatis in se vacua implens, Corpus idem Divinitatis proprietatibus revestivit. Ubi valde notanda verborum proprietates, *accipere Divinitatem*: In mysterio quippe Incarnationis, non Corpus propriè Divinitatem accepit, sed Divinitas Corpus accepit, *Verbum caro factum est*: In Mysterio autem Sacramenti, quemadmodum in Incarnatione Divinitas

Joan. I.
v. 14.

propriè accepit corpus, sic propriè Corpus accepit Divinitatem: *Dignus est agnus accipere Divinitatem.*

Idem ipse Christus quinque panibus miraculosè factis prædicans, ibidem Sacramenti Mysterium cæpit revelare, exhortans illos, ut meliore alio vescerentur pane, quem eis ipse daturus esset, pane scilicet vitæ, non temporalis, sed æternæ: *Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*, porro ne de panis hujus miraculosi virtute dubitarent, adjunctis; Deum pani huic suum impressisse sigillum: *Hunc enim Pater signavit Deus.* Verbum, *signavit*, valet idem quod *sigillavit*, & sic in textu originali legitur. Sciamus igitur, qualisnam figura sigillo huic fuerit impressa? Omnes SS. Patres concorditer, Divinitatis figuram imaginemque fuisse asserunt: & hanc vim habet Nomen Dei, Nomiini Patris adjunctum: *Hunc Pater signavit Deus*: Modus loquendi hac occasione in Christo singularis. Enim vero, si Christus de se loquitur quatenus homo, & quatenus est in Sacramento: Quatenus homo, quem Filius hominis dabit vobis; & quatenus est in Sacramento, *cibum, qui permanet in vitam æternam*; quare virtu-

Joan. 6
v. 27.

ibid.

gis hujus potentiam, Divinitatis demonstrat & probat sigillo, quod illi Deus impressit: Convenientius sanè confirmari nequit consideratio altissima de qua agimus. Hostia illa, in qua fides nostra Christi Corpus præsens esse credens idem adorat, est Hostia consecrata, cui Deus sigillum suum impressit: & quemadmodum huic sigillo apparebat insculpta imago & figura Divinitatis cum omnibus suis attributis, pari ratione eadem in Hostia fuit mansitque illorum omnium similitudo impressa, & hinc omnia in Sacramento reperiuntur. Potissima adhuc desideratur Metaphorica sigilli proprietates & energia, qua usus est Christus, quod totum melius intelligeremus mysterium. Quod sigillo insculptum est & vacuum, idem est quod in materia cui imprimitur plenum extat & eminet: & sic in Sacramento, plena fuerunt vacua Incarnationis: *Exinanivit semetipsum: Hunc Pater signavit Deus.* In Incarnatione omnia attributa divina vacua & in Sacramento plena: in Incarnatione omnia depresso, & in Sacramento omnia exaltata.

§. III.

Hoc pacto Corpus Christi in Sacramento attributis repositum Divinis, magisque proprie Corpus Christi fuit. Corpus Christi, quia

Pars V.

spirituale; Corpus Christi, quia im-
mensum; Corpus Christi, quia æ-
ternum: Corpus Christi, quia infi-
nitum: Corpus Christi, quia invi-
sibile: Corpus Christi, quia immor-
tale: Corpus Christi, quia impassibile. Istud nunc distinctè per partes, & attributa discursus noster demonstrabit. Ast cum omnia jam dicta Corporis sui mirabilia, (ut ita loquar) Deificata, ad nostrum à Christo ordinata fuere remedium & profectum: sic ea probabo in Sacramento, ut simul demonstrarem, quonam modo ipsum Sacramentum illa omnia communicet nobis. Ipse me adjuvare, novaque gratia in materia tam sublimi & ardua assistere dignetur.

Proprietates prima tam Divinitati naturalis, quam à Corpore aliena, est, Deum Spiritum esse; quale primum est vacuum, quo ipse Deus se in Incarnatione exinanivit, tale etiam primum est attributum, quo illud Christus restauravit & implevit in Sacramento: in quo corpus ejus est non afficiendo locum, nec non cum omnibus Spiritus conditionibus. Quod ita docet fides, & ad probandum ex scriptura, oportet nos descendere in abyssum, qualis est sextum S. Joannis Capitulum, quod jam ingredi

Y

gredi cœpimus. Occasione relati jam miraculi de quinque panibus, à quo Capitulum istud incipit, Christus in majore illius parte loquitur de pane qui descendit de cœlo, sanctissimo scilicet altaris Sacramento. Semel dicit. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Iteratque brevius: *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Et præter hos quos ejusdem capituli locos, in eodemque aliàs repetitis vicibus, multisque modis, semanducantibus, vitam promittit æternam. Verum enim verò exprimi pro merito & exaggerari sat nequit ingens motus, perturbatio & scandalum, quod hæc doctrina excitavit, non solum in auditoribus foris, sed etiam in ipsis Discipulis in Schola Christi, quorum non pauci ex hoc solo capite & puncto illum deseruerunt: Audito à Christo, quod carnem ipsius comedere, sanguinemque ipsius bibere deberent, horrendum quid & barbarum audire putabant: porro alia phrasi & sensu eum loqui audientes, quod se manducaturi essent, non partem Corporis Christi sed totum, impossibile illis videbatur, hominem aliquem alium intra se hominem collocare posse; & quando alio, alioque ca-

Joan. 6.
v. 54.

su audiebant, quod caro illa, illudque corpus vitam ipsis collaturum esset, contra omnem naturæ rationem, hoc ipsis pugnare videbatur: quod enim vitam dat homini, non est caro, neque Corpus, sed Spiritus: uti patuit in Spiritu, quæ Deus limo infudit Adami; & in vita, quæ anima nostris dat corporibus, quæ deficiente vivere cessant. Hucusque murmur, dubium & scandalum audientium: ad Magistri Divini responsum nunc progrediamur.

Christus in hæc responderet Verba: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* q. d. Istud vos scandalizat? Quid foret, si me videretis ascendere in cœlum, unde descendi? Porro ad dubia eorum quæ à me audistis, dico Spiritum esse, qui dat vitam, carnem non prodesse quicquam. Si igitur Christus de sua loquebatur carne, de eademque affirmabat, quod manducantibus se vitam esset datura; quoniam pacto carnem ad nihil prodesse, & Spiritum vitam dare asseverat? Adeò difficilis est ista sententia, ut derelictis Hæreticorum deliriis, SS. Patres & Doctores in septuplicem abeant opinio-

Ibid. 62.
63. 64.

*Amonii
circa
à
Maldona.*

opinionem. Ultima & singularis Amonii Patris Græci, meo iudicio est optima, quæ penetrando mentem Christi, omnia incredulorum dubia, salva eisdem Sacramenti veritate, resolvit. Corpus Christi in Sacramento non adest cum naturalibus corporis conditionibus, sed cum supernaturalibus & miraculosis Spiritus : & idcirco Christus hic propriam suam carnem Spiritum appellavit : *Spiritum hic vocat plenam vivifici Spiritus virtute carnem, manet enim caro.* Et quemadmodum caro Christi non desinens esse caro, caro est cum omnibus qualitatibus Spiritus ; Caro hoc modo manducata nec causare poterat horrorem, quod dubio movebatur primo : neque corpori eodem modo ob stare quicquam poterat, quin totum & integrum corpus aliud subiret, quod dubio tangebatur secundo : neque rationi naturali contrarium, sed omnino conforme erat, ut spiritale seu Spiritus existens vivificaret, & vitam daret, quod erat tertium. Dissolutis hoc modo cunctis difficultatibus, vel maximè propriè, & adæquato ad omnia objecta responso, verificatur sententia Christi : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Nam caro ibidem non operatur quatenus ca-

ro, sed veluti Spiritus ; & velut caro Spiritus effecta hoc, quod Spiritui est proprium operatur. Et hinc declarata manet magna & exacta correspondentia, qua primum Incarnationis vacuum, primo Sacramenti plenè est restitutum. Quia in Incarnatione Divinitas Verbi se corporeitate vestivit carnis ; & in Sacramento caro Christi se vestivit incorporeitate Spiritus. Phrasim particularis, quâ SS. Patres in Incarnationis utuntur mysterio, est, Deum vocare incorporatum ; eademque utitur Ecclesia in Festo Epiphaniæ cantans : *Ducem salutis cælitus incorporatum gignere.* Quemadmodum igitur in Incarnatione contractum est Divinitatis vacuum per incorporatum : Sic in Sacramento, Corpus Christi idem restituit & implevit vacuum per incorporeum.

Super Verba, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,* Jo. 1. 14. Cajetanus Cardinalis dictum istud Evangelistæ considerat, scilicet, quod Verbum nostræ se uniens carni, habitaverit in nobis. Propriè magis dicendum fuisse videtur, quod nobiscum, seu inter nos habitaverit, siquidem Christus verè cum hominibus habitavit : ut quid igitur non dicit,

Ecclesia.

Card.
Cajet.

Autor.
17.v. 28

quod nobiscum, seu internos, sed in nobis habitaverit? Acuta interrogatio, sed longè acutior responsio : *Dixit hoc, ne errares, existimando Verbum, ex quo factum est caro, impedimentum esse ad habitandum spiritualiter in animabus nostris.*

Deus quæ Deus habitat, & semper habitavit in nobis : *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Porro Deo necdum Carne induto, nullum erat, nec esse poterat dubium, quin Deus cum sit Spiritus, esset & habitaret in nobis : Eo verò jam corpore induto cogitare quis poterat, idem corpus impedimento esse, quo minus esset in nobis, eò quod duo corpora simul eodem in loco consistere nequeant : ad hunc igitur tollendum errorem, Evangelista dixit expressè, quod Verbum jam caro factum, non tantum habitaverit nobiscum, sed in nobis. Hucusque Cajetanus, declarans tamen, non corporaliter intelligendum hoc esse de suo corpore in corporibus nostris, sed spiritualiter de anima ipsius in nostris animabus : & hoc in Mysterio Incarnationis præcisè factum est. Postquam verò idem Verbum Incarnatum, Incarnationis Mysterio, illud addidit Sacramento, non solum Christus in nobis habitat Spiritu aliter, quoad animam, sed corporaliter quoad corpus; nam cum

idem corpus in Sacramento existat velut Spiritus, hac ratione simul corpus ejus in nostro potest esse, non obstante, quod corpus unum excludat alterum. Porro hæc nova quædam & altissima est ratio, cur eisdem verbis non dixerit Evangelista, Verbum non hominem, sed carnem esse factum: *Verbum caro factum est*: Cum enim caro sit propria & immediata Sacramenti materia : *Caro mea verè est cibus*: eadem mediante carne Christus in Sacramento, non solum nobiscum, sed in nobis habitaturus erat : *Et habitavit in nobis.*

Hoc modo Christus primum Divinitatis suæ vacuum in Incarnatione, implevit in Sacramento, corpus suum spirituale reddendo, & Spiritum illud efficiendo, quem admodum Deus Spiritus, factus fuerat corpus. Hanc verò transformationem admirabilem Christus non tantum in corpore suo operatus est in Sacramento, sed etiam, uti probaturum me promisi, eodem mediante corpore suo in Sacramento, illam nobis communicavit. *Dilata os tuum, & implebo illud*, dixit Deus ad Davidem. Quæ verba de divinissimo intelliguntur Sacramento, de quo in eodem dicitur Psalmo : *Cibavit eos ex adspe frumenti*. Et Deus inquit se ipsum

Psal. 80
v. 11.

ibid. 7^o
 ipsum eundem esse, qui os illi impleturus sit: *Et ego implebo illud* solum quippe Deus animæ nostræ capacitate implere sufficit, nec aliqua alia re quàm seipso, sicut facit in Sacramento. *Et ego implebo illud meipso*, commentatur Hugo Cardinalis. Aperuit igitur David os à Deo invitatus, & quid accidit? *Os meum aperui, & atraxi Spiritum.* q. d. Aperui os, & quod in eo, & per illud recepi, & quo Deus illud implevit, totum fuit Spiritus. Si igitur Deus promiserat se os impleturum corpore suo in Sacramento; suppositionem istam, Doctores maximi S. Hieronymi auctoritate in eundem locum magis urgeamus: *Vis comedere ipsum Deum tuum & Salvatorem? audi quid dicat, dilata os tuum & implebo illud: dilata ora vestra, ipse est & Dominus & panis: ipse hortatur nos ut comedamus, & ipse noster est cibus.* Si igitur Deus promiserat Davidi, se os ipsius semetipso impleturum, & corpore suo in Sacramento; quoniam pacto David os suum aperiens non corpus, sed spiritum recepit: *Os meum aperui & atraxi spiritum? Quia Corpus Christi prout in Sacramento in se transformatum existit, ita quoque pro nobis transformatum existit: transformatum in se, in Spiritum, ut sine extensione contineri possit speciebus illud*

velantibus; & pro nobis transformatum in Spiritum, ut se sumentium corporibus contineri queat: in se de corpore transformatum, in Spiritum, & in nobis, ut de corporeis nos transformet in spirituales. Quod expressè S. Bernardus affirmat: *Transformatur manducans in naturam cibi: Corpus enim Christi manducare nihil est aliud, quàm Corpus Christi effici.* Quia verò mirabilium effectuum horum veritatem exemplis adstruere prolixum foret; ad confirmationem idem S. Bernardus sufficiat, qui hoc non solum asseruit, sed in seipso expertus, ejusdem virtute corporis in corpore vixit, ac si corpus non haberet; carne vestitus conversans, ac si Spiritus esset, cum S. Paulo dicere potens: *Spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

§. IV.

SECUNDUM Divinitatis vacuum, Immensitas est divina, quæ per Mysterium Incarnationis ad unum tantum reducta fuit locum, quem scilicet Humanitas sacra occupabat. Fuere Hæretici qui Mysterium hoc modo intelligentes inverso, & in contrarium, sustinuerunt, virtute unionis hypostaticæ Humanitatem factam fuisse immensam, & instar Dei ubique locorum præsentem esse, &

hinc vocati fuere Ubiquitarii. Sed non humanitas, virtute unionis cum Verbo, ad immensitatem divinam se extendit; sed immensitas divina per Idiomatum communicationem, sese ad humanitatis limites reduxit, si fas est dicere, Deum conceptum esse in Nazareth, in Bethlehem natum, tali & tali loco in Judæa & Galilæa prædicasse, & in Jerusalem mortuum esse. Veruntamen immensitate hac, qua Deus se exiit per Incarnationem, se deinde vestivit per Sacramentum, in quo corpus Christi vel reproductum, vel multiplicando præsentias, cum unum sit & idem, eodem tempore in omnibus est partibus mundi.

In eodem mundo, eademque hora qua Christus Sacramentum instituit, ad fidei nostræ confirmationem, naturale videbatur miraculum præsentiarum suarum multiplicatio. Hora qua Christus Sacramentum instituit, erat jam prima vel secunda noctis, *In qua nocte tradebatur*: Et quid, quæso tunc temporis, oculi nostri in hoc vident Hemisphærio? vident Solem se nobis subducendo, pro una qua nos privat præsentia, in tot se multiplicatum relinquere præsentis, quotus innumerabilis est Stellarum numerus: quælibet

enim earum non est aliud quam Solis ejusdem speculum, in quo ipse unicus existens & absens se nobis denud exhibet præsentem, toties & in tot multiplicatis locis, quot ab Oriente ad Occidentem, & à Septentrione ad Meridiem usque in toto mundo videmus. Idem omnino divinus Sol noster Christus sanctissimi sui Corporis Sacramentum, instituendo peregit. Absentavit se à nobis secundum præsentiam naturalem; sed pro præsentia ista, in tot aliis se nobis reliquit, quot in toto mundo sunt Altaria, in quibus verè & realiter, cum sit unus & idem, multiplicatus est in Sacramento. Ecce quam propriè id ipsum Propheta Malachias descripserit.

Querebatur Deus de filiis Israël, quod imitando Cainum non optima & pretiosissima, pro ut fas erat, sed pessima & abjectissima quæque suis in Altaribus offerrent, notabilibus hisce verbis illos confundens: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus Malach I. v. 10. II non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nemini meo oblatio munda. q. d. Scitote quod nolim Sacrificia vestra, neque oblationes vestras*

vestras acceptem: ne verò putetis mihi defutura; sciat in confusione vestri, & Jerusalem vestræ, in qua tantum habeo templum, & ita notus sum, venturum quandoque tempus, in quo ab Oriente usque ad Occidentem, in omnibus mundi locis, & inter omnes Gentes, non multa sacrificia, & immunda, ut vestra offerentur sacrificia, sed unum purissimum & sanctissimum. Quodnam verò istud est sacrificium? Quamvis omnes SS. PP. & Doctores dicant, illud esse sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, illorum auctoritate non indigemus, nam sic illud definiuit (& est de fide) sacrum Concilium Tridentinum. Tantummodo addo, verbum hebraicum, cui correspondet *oblatio munda*, oblationem significare specialem vocatam *Mincha*, quæ ad instar nostræ Hostiæ, de flore farinæ conficiebatur, & in Levitico vocatur Sacrificium. Istud igitur Sacrificium, cui specierum panis non deest proprietates, est sacrificium corporis Christi in Sacramento. quod immensitatis divinæ in Incarnatione collectæ & absconditæ vacuum adimplens, se immensè ab Oriente ad Occidentem, per omnes mundi partes & loca mundi extendit. *Ab ortu enim Solis usque ad Occasum in omni loco sacri-*

ficatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Quemadmodum milites in Calvario in quatuor partes divisere Christi vestimenta: sic quatuor partes mundi (ait S. Cyrillus) dividerunt inter se ejusdem carnem in Sacramento, quæ se vestierat verbum: *Quatuor orbis partes Cyril. lib. ad salutem reductæ, indumentum 12. in 70. Verbi, hoc est, carnem ejus impartibiliter partita sunt.* Porro S. Pater eleganter notat in hac partitione non fuisse aliquid partibile, *Impartibiliter partita sunt.* Christus enim se communicando, omnesque sanctificando, & singulos mediante carne sua, in anima & corpore, & in omnibus mundi partibus præsens, non est in eis veluti pars, sed totum, unus tantum & idem existens; *In singulos enim impartibiliter transiens, & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter & integre in omnibus est, cum unus ubique sit nullo modo divisus.* Hucusque sanctus Cyrillus; cum largius se nequeat extendere immensitas, quam Christus habet in Sacramento, quam in duorum verborum illorum brevitate, *unus ubique.*

Porro ut videamus, quoniam modo Christus immensita-

LUC. 22.
3.17.

tem hanc hominibus in Sacramento communicet, cœnaculum Hierosolymitanum intremus. Primus actus quo Christus immensitatem hanc exercere cœpit, fuit, quando panem consecratum manibus Apostolorum tradens, illum inter se dividere iussit: *Dividite inter vos.* Diviserunt panem, & sacrum corpus, quod quamdiu panis fuit in manibus Christi, in uno tantum loco erat, & mox in duodecim. Nunc interrogo, Sicut Christus modo illo immenso Apostolis suum communicavit corpus, eandem etiam illis communicavit immensitatem? Credo, & dico quod sic. Et hæc fuit ratio, quare Christus ad primam mensam in qua Sacramentum consecravit, non nisi duodecim illos admisit, quibus mundi totius conversionem commissurus erat. Cum res sit intellectu difficilis quod tam pauci, tamque brevis vitæ homines, tam exiguo & brevi tempore omnes possent peragere terras, omnibusque prædicare nationibus mundi, nisi præsentias multiplicarent, sicut Christus in Sacramento, Evangelistæ tantum de Apostolis dicunt, *Prædicaverunt ubique:* sed quemadmodum Christus in Sacramento, *unus ubique,* primo in una tantum fuit parte, postmodum in omnibus; sic illi quando-

que uni affixi erant loco, & quandoque in multis multiplicati.

Hucusque dicta, non nisi conjectura fuerunt, quæ non fuisset dicere ausus, nisi probare sufficerem, David de eisdem loquens Apostolis, juxta S. Paulum, quod est de fide, inquit, voces prædicationis eorum in toto mundo, ad ultimos usque fines ejus fuisse auditas: *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ. Verba eorum.* Psal. 18. v. 5. Porro si eundem rogavimus Davidem, ut similitudine quadam nobis declaret, quo pacto, cum Apostoli essent tam pauci, prædicationis eorum ad tam remota potuerit spatia extendi: respondet, non alioquam cœli prædicant, & die ac nocte gloriam Dei enarrant: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum: Dies Diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Enim verò quomodo cœli prædicant die ac nocte: de die tantum in uno prædicant loco, qui est ille solis: nocte in multis prædicant locis, qui sunt alii illi planetarum & stellarum. Simili igitur modo prædicabant Apostoli, jam quilibet velut unus in uno tantum loco; & jam quilibet velut multi in locis multis, admirabili hac similitudine confirmantes, quod immensitatem suam, præsentiarum, multi-
plica-

plicationem à Christo accepissent in Sacramento, qui, ut diximus, nocte qua sanctissimum instituit Sacramentum, se absentans à nobis more Solis, in eodem se multiplicatum reliquit Sacramento veluti in Stellis.

Si verò nonnemo replicaverit, quare id non attestantur Historici, qui Apostolorum vitas, peregrinationes, & res gestas, conscripsere? Respondeo ipsos hoc dicere, & tantum in suppositione dicti mei conciliari posse. Multi Auctores cuilibet Apostolorum varias assignant Regiones & Gentes quibus prædicaverunt, quod nihilominus negant, temporum tantum Chronologiæ inhærentes; undè historiæ illæ Apocryphæ judicatæ. At si supposuerimus, prout supponendum est, quod eodem tempore multiplicatis præsentis in diversis præsentibus erant locis, omnia cum summa Evangelii gloria facile verificantur, neque magnopere istud mirabitur miraculum, qui necessitatem hujus expendit; nam si mundo Evangelii ministris sic impleto, novimus, Deum gratiam istam in remotissimis apparendi locis concessisse S. Martino, S. Geminiano, S. Frontano, S. Antonio Paduano, S. Francisco Assisiati, S. Francisco Xaverio, multisque aliis, ob multò minoris me-

menti causam, quantum magis pro universali conversione mundi, tam paucis existentibus ad hoc instrumentis? Denique si S. Basilio fas fuit dicere de se ipso, *Nulla loco circumscriptus sum*: Et Ennodio, S. Epiphanium virum immensum: *In opere vir immensus*; Immensitatis hujus participationem, quis operum illorum immensitati denegabit, quæ sine illa impossibilia erant?

Hoc pacto Christus suas, & Apostoli suas multiplicarunt præsentias, eodem modo & nos oportet nostras multiplicare præsentias, ad assistendum divinissimo Sacramento in omni loco. Corpus quidem nostrum multiplicationis hujus seu immensitatis naturaliter est incapax, nostra verò anima & memoria, quam solam idem Dominus immensum hoc instituyendo Mystrium à nobis petiit, capax illius existit, *Ubiunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*: Notate verbum, *Ubiunque*. In omni loco, inquit Christus, fuerit corpus, illuc convolabunt, & confluent Aquilæ. Quodnam, quæso, illud est corpus, & quænam istæ sunt Aquilæ? Corpus, respondet S. Ambrosius, est corpus ejusdem Christi in Sacramento, porò Aquilæ sunt sublimioris & elevatioris spiritus animæ, quæ confidera-

S. Basil. orat. 29. Ennod. in vita S. Epiphani

Luc. 17. v. 37.

derationis & affectus alii illi assistunt, illud adorant & venerantur in omnibus partibus mundi : *Est Corpus de quo dictum est, Caro mea verè est cibus : circa hoc corpus Aquile sunt, quæ aliis circumstant spiritualibus.* Hoc modo animæ nostræ per considerationem & memoriam immensæ assistere, adorare & semper laudate debent eundem Dominum in omni loco, sicuti David ad idem faciendum, suam cohortabatur animam, dicens : *In omni locodominationis ejus benedic anima mea Domino.*

Ambr. in
Luc. c. 17

Pf. 102.
v. 22.

S. V.

Tertium Divinitatis vacuum in Incarnatione, fuit illud suæ Æternitatis ; temporalem se faciente, nascente, & vivente in tempore, qui erat æternus : Sed ab ipsa mox Æternitate juravit Deus, se Filio incarnato eam collaturum prærogativam, quâ mirabiliter vacuum istud implere posset, quæ prærogativa fuit Sacerdotium æternum secundum Ordinem Melchisedech : *Injuravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Sacerdotium Christi vocatur Sacerdotium secundum Ordinem Melchisedech, non quoad dignitatem,

Pf. 109.
v. 4.

quasi Melchisedech (qui fuit Sacerdos legis naturæ) illud instituit ; sed quoad oblationis similitudinem, Sacrificiique materiam ; quia non sacrificabat agnos sicut Abel ; neque alia volatilia seu aves, sicut Abraham ; sed panem & vinum, quæ legis Gratiæ Sacrificii, & Sacramenti Christi materia existunt. *Melchisedech proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos altissimi.* Vocatur autem Sacerdotium æternum, quia instar Sacerdotii Aaronici non desinit. in Sacerdotio Aaronico, Sacerdote deficiente sinebatur Sacerdotium, cessavit Sacerdotium, quia cessavit illa lex, quæ deficiente Sacerdote, necessariò desinere debet, prout disertè decidit S. Paulus Apostolus : *Translatio enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* Et desinit Sacerdos, moriente enim Sacerdote uno, succedebat alius, quemadmodum Aaroni filius ejus Eleazarus, & Eleazar cæteri successivè : quod in immortali Christi persona nec factum est, nec fieri potuit, prout idem S. Paulus notavit : *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem èd quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

Gen. 14.
v. 18.

Hebr. 7.
v. 12.

Ibid. v.
23, 24.

Verum enim verò, quantumvis

vis Sacerdotium Christi sit æternum, & æternus Sacerdos ipse Christus, sequi non videtur, quod vacuum æternitatis in Incarnatione impleatur in Sacramento; Sacramentum enim nec est, nec erit æternum, non nisi ad finem usque mundi duraturum, & cum eo pariter cessaturum. Finito mundo non nisi Cælum supererit & infernus: infernales illi sacrificii æquæ ac Sacramenti sunt incapaces: cœlestes illi neutro indigent. Non indigent sacrificio; sunt enim iusti, nec in Gratia proficere possunt: neque indigent Sacramento; præsentia enim Christi, quam velatam & invisibilem credebant & venerabantur; revelatam ibidem oculisque expositam contemplantur: si igitur Sacrificium & Sacramentum Altaris, non diutius mundo duraturum, cum illo pariter finem fortietur, sequitur non esse æternum. Idem hoc dubium movit Divus Thomas parte 3. quæstione 22. articulo 5. & respondet, in Sacrificio duo esse considerata, oblationem scilicet & consummationem: oblationem, qua Sacrificium offertur; & consummationem, in qua obtinetur finis, & ac-

quiruntur ejus effectus. Oblatio ad hunc pertinet mundum, consummatio ad alterum. Hinc sanctus Paulus Christum bonorum futurorum Pontificem appellavit: *Pontifex futurarum bonorum*: Bona etenim futura, quibus fruimur & fruituri sumus in Cælo sunt illa, quæ Christus nobis suo Sacrificio promeruit. Et licet oblatio in hoc mundo temporalis esset & in tempore, consummatio in Cælo per omnem durabit æternitatem, indeoque æterna est, sicut idem dixit sanctus Paulus: *Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Hebr. 10
v. 14.

In Levitico præclaram differentie hujus & ordinis habemus figuram in die, expiationis vocato, præceperat Deus, ne summus Sacerdos Sancta Sanctorum ingrederetur, nisi prius extra illud Sacrificium juxta legis dispositionem offerret: *Ne ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum, nisi hæc ante fecerit: vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum; his ritibus celebratis, ultra velum, intrabit in Sancta.* Sed enim quam ob causam, quove Mysterio Sacrificium primò & extra Sancta Sanctorum offerendum erat,

Levit. 16
v. 23. 11.
& 12.

& non postea & intra illud ? quia summus Sacerdos præfigurabat Christum, sanctuarium Cœlum, Sacrificium illud mortem Christi in Cruce, vel in Altari, ubi eadem mors repræsentatur : & Sacrificium hoc non postea, sed ante, neque in Sanctuario, sed extra illud offerendum erat : non postea, id est, non in æternitate, sed antea & in tempore, quousque mundus durat: neque in Sancto Sanctorum, id est, in cœlo, sed extra cœlum, & in terra. Ita factum est quoad oblationem, & ita fiet quoad consummationem, non de alio sed eodem Sacrificio. Factum est quantum ad oblationem; Nam Christus in terra obtulit Sacrificium Crucis, prout hodie offert Sacrificium Altaris, & ad finem usque mundi offeret: & ita fiet ad consummationem; nam in cœlo Christus idem consummabit Sacrificium, ejus nobis communicando effectus, qui in clara Dei visione per omnem æternitatem consistunt, ideoque Sacerdotium & Sacrificium utrumque æternum.

Omnia ista vidit S. Joannes in cœlo, sicut jam viderat Agnum viventem postquam occisus, & gloriosum postquam esset immolatus. Loquitur Evangelista prophetice de Civitate Jerusalem tri-

umphante, quæ est cœlum, dicens claritatem ipsam illuminare, & lumen ab Agno prodire: *Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.* Apoc. 21. 7. 23. Velut primus maximusque Ecclesiæ Theologus Joannes est locutus. Ut Beati clarè intueantur Deum, intellectus eorum lumine aliquo supernaturali elevatos esse necessarium est, quod Theologi lumen gloriæ appellant: & hoc vidit & attestatur Evangelista. Claritas Dei Jerusalem cœlestem illuminans est clara ejusdem visio, *Claritas Dei illuminavit eam*: Et lumen Gloriæ sine quo Deus videri nequit, prodit ab Agno: *Et lucerna ejus est Agnus.* Sed quare non exit Gloriæ lumen ab essentiali Gloriæ ejusdem objecto, quod est Deus & clarè visus, sed de Agno, qui est Christus, quem Joannes tanquam immolatum vidit? *Quia* hic fuit finis, & hi ejusdem in terra oblatis, & in cœlo consummati Sacrificii sunt effectus: oblatum in tempore, & consummatum in æternitate; & hinc tam æternum, sicut Sacerdos ipse, *Tu es Sacerdos in æternum.*

Æternitas hæc æternum reddit sanctissimum Sacramentum, quamvis oblatio Sacrificii in quo consecratur, habiturum sit finem, eum mundo cessaturum. Et posito

sito quod aternitas illa , de qua nullus dubio locus relinquatur, ad probationem intenti mei sufficiat, idemque tradat Doctor Angelicus, eosdem Apocalypseos & Levitici citatos proximè textus allegans ; Ego nihilo secius addo, Divinissimum Sacramentum non solum esse, & futurum in cælo, per suorum aternitatem effectuum, sed etiam propriæ suæ substantiæ: finito enim jam mundo, nullis amplius residuis in terra altaribus aut Sacriariis, consecrata aliqua Hostia in aeternum conservabitur in cælo. Quod ita considerant & præsumunt non pauci Authores aeternici & contemplativi, quorum opinio, meo iudicio, non probabilis minus, quam pia existit. In die iudicii cum supremo iudice Crux ejus apparebit in cælo, *Tunc apparebit signum Filii hominis in cælo.* Quanam autem erit ista Crux? S. Joannes Chrysostomus simul cum multis Doctoribus aliis eandem crucem fore asserit, in qua Christus in Calvario affixus pependit, quod hunc in modum Sybilla prædixit,

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!

Nes te terra capit, sed cæli tecta videbis.

Cum renovata Dei facies ignita micabit,

Supposito itaque Christi crucem hodie in partes infinitas divisam, iterum ex toto mundo recolligendam, majoreque reuniendam miraculo quam illud resurrectionis mortuorum, ad suam integritatem, conservandamque aeternum in cælo; cur simile privilegium pani vivo & vitali qui de cælo descendit negabitur? Si lignum aridum & durum ad tantam sublimari meruit dignitatem, & in ea aeternum est perennaturum, solummodo quia contactu Corporis Christi fuit sanctificatum, ejusque sanguine tinctum: Quare Sacramentum Corpus idem sanguinemque continens totum, ad vitam dandam hominibus aeternam institutum, eadem carebit aeternitate? tantum honorem Verbum Incarnatum, carnis sanguinisque particulæ, quam de purissimis Matris suæ visceribus assumpsit exhibuit; ut nunquam permiserit, quod calor naturalis, more modoque naturali illam corrumpere, vel consumeret: & juxta S. Augustinum, post resurrectionem etiam illam adhuc conservat, & aeternum conservabit in seipso; *Caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ sumpta est de Maria.* Quam igitur injuriam eidem irrogaremus honori & amori, si de ipso nobis ima-

ginaremur Christo, quod permetteret tempori, ut quemadmodum consumetur finieturque mundus, sic consumeretur finemque acciperet pariter cum eo Sacramentum, in quo non solum pars aliqua carnis & sanguinis continetur, sed tota in toto, & tota in qualibet ejus parte? Dicamus igitur, & piè credamus, quod, sicut Hostia consecrata, frequenter præservata fuit ab incendiis, ab univèrsali mundi præservanda sit incendio; ut sicut panem Angelorum, quem comederunt homines, cum in cælo adoret æternum homines & Angeli.

Authores citati & alii cum illis non levis momenti conjectura moti, prærogativâ similem Evangeliorum libro tribuunt; non quod reliqui libri sacri Verbum Divinum non cõtineant; sed quia proprio Dei Filii ore fuerit pronuntiatum: *Novissimè locutus est nobis in Filio*: Proinde quemadmodum in die judicii apparebit Crux, sic apertum apparebit Evangelium, ut juxta illud judicentur; quidam quia non crediderunt, alii quia idem non observaverunt. In Apocalypsi sua S. Joannes vidisse se dicit volantem per medium cæli Angelum, habentem in manu Evangelium æternum, *Habentem Evangelium æternum*, altisque

vocibus totum cohortatum fuisse genus humanum ut timerent Deum, eò quod judicii dies advenisset, *Quia venit hora judicii ejus*: Ita ut etiam in die judicii appariturum putetur Evangelium. Porro si interrogaverimus, quare Evangelium vocetur æternum, respondet S. Hieronymus, rationem & Mysterium esse, quia Evangelium in hoc mundo temporancum fuit, & temporaliter prædicatum, sed in cælo per omnem durabit æternitatem: *Sempiternum futurum in cælis, ad comparationem scilicet hujus nostri Evangelii, quod temporale est, & in transiuro mundo, ac sæculo prædicatum.*

Eodem sensu dixit David: *In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cælo*: Ubi ly *Verbum tuum Domine*, propriè & specialiter significat Evangelium, quod toties S. Paulus vocat Evangelium Christi. Et si liber Evangeliorum, eò quod Verbum sit Christi, justè meretur perennare in æternitate cæli; quanto magis præstantissimum Verborum suorum opus, & sacrum ac consecratum Divinissimi Sacramenti volumen, quod similiter de manu Angeli alterius Ezechiel accepit, & in forma libri comedit: S. Joannes qui post Evangelistas alios Evangelium suum conscripsit, in fine ejusdem protestatur,

Hierons.
Epist. ad
Augustin.

Psal. 118
v. 89.

Hebr. 1.
v. 2.

Apoc. 14.
v. 6.

statur, mirabilia à Dei Filio in mundo patrata tot esse numero, ut si scribenda essent, totum mundum voluminum conscriptorum non fore capacem. Si ergo in cœlo æternùm perennabit Evangelium, in quo pars tantum eorundem continetur mirabilium, potiore profectò ratione & in ejusdem supplementum Evangelii ibidem perennare fas est Sacramentum, quod omnium mirabilium est quasi compendium: *Memoriam fecit mirabilium suorum: escam dedit rimentibus se.* Denique Sacramentum pignus est gloriæ, quod in hac vita cœlum nobis extradidit: & finito mundo, quando jam cœlum in possessionem nos gloriæ immitteret, idem tunc cœlum pignus suum redimet & recipiet. In summa, quemadmodum Crux Christi, & Evangeliorum liber, cum finiente mundo finem non accipient, sed erunt æterna, eadem, & justiore adhuc ratione & providentia Sacramentum in Hostia consecrata perennabit.

Porrò ne exemptiones hæ tres Divinæ tantum cognitioni totaliter videantur esse reservatæ, secretumque nullatenus revelatum, in illa saltem S. Scripturæ parte, in qua figuræ futuri in Historia depinguntur præteriti; recordemur arcæ Testamenti, in qua Deus tria tem-

poris istius singularia conservavit: scilicet Virgam Moysis, Tabulas legis, & miraculosè urnam manna continentem adeò corruptioni obnoxium, ut non nisi uno duraret die. Et quonam Mysterio ista tantùm tria, & omnia in arca? Arca Sancto Sanctorum inclusa, in qua Deus præsentialiter super alas Cherubim residebat, illud representabat, quod David cœlum cœli appellat, quod est Empyreum, *Cœlum cœli Domino*: Mysteriumque proprium magis & proportio natum tota figura ista representari nequit, aut non posse videri, quàm quod æternum conservabit in cœlo Crucem figuratam per Virgam, Evangelium adumbratum per tabulas legis, & Sanctissimum Sacramentum in manna significatum. Hinc ipse Christus ad arcam Testamenti alludens, ipsi Sacramento Testamenti, & æterni nomen imposuit, *Novi, & æterni Testamenti.* Eundem in finem præparatum dicere possumus altare, quod S. Joannes ibidem vidit: *Vidi sub-*

Probato nunc modo uno certitudi-

Psal. 110.
v. 4-5.

Psal. 115.
v. 16.

Apoc. 6.
v. 9.

tudinaliter, & altero probabiliter, quo pacto Corpus Christi in Sacramento fruitur, & fruetur in sempiternum æternitatis attributo; Demonstrandum restat tantum, quomodo idem Corpus, amore nostri præsens in Sacramento, eandem se manducantibus communicet æternitatem. Hoc secundario mihi incumbit, & est difficillimum omnia nostra concomitans assumpta: Verum ex hoc omni difficultate vacat, quod ipse Christus tam clarè & expressè illud asseverando hanc nobis veritatem indubitatam reddat: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Non cogitavit Adam, quod nec ipse, neque filii eius tale essent oraculum habituri, quando viam arboris vitæ, ab uno Cherubim gladio ignito defensam vidit, ad impediendum protinus ne de fructu hoc comedendo, viveret in æternum: *Collocavit ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium, ad custodiendam viam ligni vitæ. Ne forsè sumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Interrogant nunc Expositores, utrum Cherubim iste adhuc custodiat id quod custodiebat: & si minus, quando reconderit & extinxerit flammeum gladium? Communiter respondent, aquis & inundatione Diluvii illum fuisse extinctum, ip-

sumque Paradisum eisdem una cum arboribus perditum: verum omnia hæc sunt incerta: si Diluviū non evulsit & perdidit oleam unde Columba tulit ramum viridem; quare evulsisset & prostravisset arbores Paradisi, & in specie illam vitæ, quam Deus voluit custodiri? Si Diluviū idem eodem in paradiso non suffocavit Enoch, quomodo de statione sua deturbaret Cherubim, qui ex aère non respirat, neque suffocatur aqua? Et si ille, juxta fatos Authores, non tantum ab hominibus fructus illos custodiebat, sed etiam à Diabolo ne illis nos tentaret, quo pacto extingueretur aqua ignis ille gladii, quem ipsi Diaboli magis quam ignem inferni formidabant? Loquatur igitur, vel divinare præsumant, quomodo cunque voluerint Interpretes; ego tantum dico, & velut certum affirmo, Cherubim suam deseruisse stationem, suumque recondidisse & extinxisse flammeum gladium in felicissima illa hora, qua supremus ruinarum Adæ reparator sanctissimum instituit Sacramentum: tunc enim prohibitionis custodiæque finis cessavit. Custodiæ prohibitionisque finis & scopus erat, ne viveret homo in æternum: *Ne sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Et sicut Christus Sacramentum instituendo omni-

Joanis
6. v. 53.

Gen. 3. v.
24. & 22.

bus filiis Adæ facultatem dedit, ut manducando viverent in æternū: tunc Cherubim gladio extincto, suam destruit stationem, & non solum libera facta est arboris vitæ via, sed ipsa arbor per totum transplantata mundum, ut sicut omnes ob comestionem condemnati fueramus ad mortem, non alio modo, sed etiam comedendo, vivamus æternū: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

§. VI.

IN implendis tribus istis Divinitatis vacuis valde excurri; & quoniam quatuor adhuc nobis restant; quantum materia patitur, ad brevitatem ea restringere necesse est. Quartum vacuum est immortalitas mortalis effecta; Quintum impassibilitas passibilis facta: de ambobus igitur illis, eandem ob rationem, & quia sibi sunt tam vicinæ & conjunctæ simul tractabimus. Dico igitur, quod si in Incarnatione immortalitas divina suo modo facta est mortalis, & impassibilitas passibilis; Corpus Christi in Sacramento taliter ista duo supplevit & implevit Divinitatis vacua, ut corpus naturaliter existens mortale, & passibile, evaserit immortale, & impassibile.

Inter tot Sanctissimi Sacramenti figuras, quæ leguntur in scriptu-

Pars V.

ra, & præcesserunt; primam nobis proponit Ecclesia Sacrificium Isaaci: *In figuris præsignatur, cum Ecclesia Isaac immolatur.* Sed consideratâ bene historiâ de Isaaco adeo notâ, illâ Sacramentum repræsentari non posse videtur, siquidem verè sacrificium non fuit. Deus Abrahamo filium suum immolare mandavit Isaacum, quo altarij iam imposito, gladioque evaginato, & inter ictum gutturque filii duorum tantum digitorum distantia suspensio, Deus Patris manuam continuit. Ergo tam ictus, quam Sacrificium in aërem simul vibrata. Quod etiam Deus comprobavit; siquidem eodem loco & instanti aries apparuit vepribus inherens cornibus, in quo Abraham ictum executus, & hic mortuus & sacrificatus fuit. Si igitur ariete mortuo, Isaac supervixit: quoniam pacto Isaac Sacrificium Christi præfiguravit? Hanc ipsam ob causam, & proprietate non imaginabili. Christus non una tantum, sed bina vice fuit immolatus. Semel in Cruce, & alterâ vice in Sacramento: & prius quidem in Sacramento, & postea in Cruce: Quemadmodum prius immolatus fuit Isaac, & postea agnus. Agnus passus est mortuus, quia Sacrificium Crucis præfiguravit, in qua naturale Corpus Christi velut

Aa mor-

mortale & passibile, passum est & mortuum: Isaac verò Sacrificii altaris figura fuit, idcirco Sacrificatus, nec mortuus est, nec passus, Corpus quippe Christi in Sacramento immortale & impassibile existit. Præclarè hoc Rupertus asseruit: *Christus immolatur, & tamen impassibilis permanet & vivus, quemadmodum illic Isaac immolatus, & tamen gladio non est tactus.* Si in Isaac ictus executioni fuisset datus, & ipse mortuus Crucis Sacrificium figurasset, in quo naturale Christi Corpus mortuum est & passum: sed quia superimpositus altari nec passus est nec mortuus; hinc Sacrificium altaris præfiguravit, in quo Corpus immortale & impassibile conservatur: *impassibilis permanet & vivus.*

Rupertus
ib. 6.
in Gen.
cap. 32.

Omnipotentia Verba, quibus Christus miraculosum adeo mysterium instituit & operatus est, fuerunt ista: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Enim verò quare Christus non dixit, quod pro vobis morietur, vel crucifigetur, sed *tradetur*? Verbum *tradetur* significat traditionem mediane proditione; & talis fuit illa Judæ, quâ idem Corpus tradidit Judæis, semel in quantum Corpus naturale, & iterum in quan-

tum Corpus in Sacramento. Multi gravesque Doctores, quos inter D. Thomas, autumant, quod, Christo omnibus dicente Apostolis, *Accipite & manducate*, Panem consecratum Judas in manus sumpserit, sed non comederit; porò ut sciamus quid illo egerit, addit Theophylactus, quod illum absconderit, & ad Principes Sacerdotum detulerit, cum ipsis de venditione negotians: *Panem accepit, & non comedit, sed occultavit, ut manifestaret Judæis, quod corpus suum vocaret.* Post primam proditionem & traditionem à Juda factam, ipse secundam est executus, quæ fuit captivitas in horto. Quo supposito, interrogo; quam ratione, quove mysterio Christus Corpus suum binâ vice Judæis tradi voluit, semel in statu naturali, & semel in Sacramento? omni procul dubio; ut utroque modo in inimicorum suorum versaretur manibus, donec ipsum, rabies ipsorum & odium, & manus experimento scirent, quid in Redemptoris Corpus possent vel non possent, qui hoc sine eorum se manibus tradidit.

Et quod duo isti effectus immortalitatis & impassibilitatis, nobis communicentur in Sacramento, unum ex potissimis instituti motivis probat, quantum ad immortali-

Theo-
philact.

tali-

ralitatem. Quemadmodum Deus homo factus mori voluit in arbore Crucis, ut ultionē sumeret de Diabolo, qui arbore alia homines primos deceperat: pari ratione infinita sua adinvenit sapientia & omnipotentia ut se manducarem in Sacramento, ad continuandā confummandamque vindictam eandem, duo in ipso verificans mendacia, quibus idem Diabolus fructus illius attribuerat & divulgaverat virtutem. Quod Diabolus promisit Evæ, fuit, quod comedendo de vetite arboris fructu, non solum non morituri, sed Dii futuri essent: *Nequaquam morte moriemini, seditis sicut Dii.* Eja, sic Diabole, ait Christus: id ipsum enim quod tu mentiendo finxisti, ego verificabo hujusmodi cibi genus adinventurus, de quo comedentes homines non Deificentur tantum, *sicut Dii*: sed etiam immortales reddantur, *nequaquam morte moriemini.* Ita illud suo tempore fecit Dominus & hanc suam intentionem declaravit tam expressè dicens: *Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Ita nullus dubio relinquatur locus, quin Corpus Christi manducatum, quatenus in Sacramento immortale & impassibile existit, ex duobus istis attributis supremis nobis communicet primum, quod est immortalitas.

Quantum verò ad secundum, quod est impassibilitas, cōsulendo experientiam illud difficiliter reddere videtur. Ex omnibus historiis Ecclesiasticis constat, quod imperantibus Nerone & Diocletiano, e ducti ex carceribus & ergastulis Christiani, vel ad venerandū dola, vel atrocissima subeundū tormenta, Davidicæ illius memores sententiæ, *Parasti in conspectu meo famam adversus eos qui tribulant me*: Primo sanctissimo se præmunierint Sacramento Hoc pacto præmuniti tam periculosa auspicabantur certamina, sic decertabant, sic vincebant: sed tam miris & diversis vincendi modis, ut ipsa victoria, vim virtutemque armorum in dubium vocasse videatur. Martyrum nonnulli spinis tanquam floribus inambularunt: alii ad quemlibet passum tot ex perforatis plantis emittebant sanguinis fontes, ut spinarum numerum æquarent: alii ligato ad collum saxo in mare projecti sub undis respirantes ad litora exibant vivi, alii inoriebantur aquis præfocati: Aliis laminis ardentibus appositis, seu in fornacem injectis lætionis nihil inferebat ignis; alii exusti in cineres abierunt: Hi in Amphitheatris Tygridibus & Leonibus objecti venerationem à feris accipiebant; alii in frusta dilaniati voracitate ferina

absumebantur: Hi in Equuleis, in Catastis, in craticulis extensi ridebant Tyrannos; alii nomen Dei invocabant, pro quo patiebantur, quem constanter ore confitentes Spiritum exhalabant. Si igitur omnes sanctissimo præmuniti & obarmati Sacramento decertabant, quo pacto quibusdam Corpus impassibile comunicabat impassibilitas Christi non permittere ut paterentur; aliis verò minime, illos pati sinendo?

Respondeo Divinissimum Sacramentum hos & illos, utrosque fecisse impassibiles, sed miraculo differente: aliquos impassibiles per impassibilitatem, alios impassibiles per patientiam. Auscultate quendam eorundem Tyrannorum, & quidem maximi, scilicet Neronis præceptorem: *Ferte fortiter adversa. hoc est quo Deum antecedatis*, inquit Seneca: Et quare? *Ille extrapatientiam est, vos suprapatientiam.* Quantum ad excedere Deum, Seneca velut gentilis loquitur: De impassibilitate patientiæ audiamus SS. Patres. S. Petrus Veronensis in Quæstionem vocavit, utrum impassibilis vocanda esset fortitudo, tam constanter patiens, ac si non pateretur. *Incertum est, utrum impassibilis vocetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, inveniat.* Verumtamen S. Joannes

Seneca.

Chrysostomus, super ista Verba S. Pauli, *omnia suffert* non sub dubio, sed propositione certa & evidente affirmat, ita patientem & sufferentem, ab homine passibili, ad impassibilitatem jam transiisse Angelorum: *Transit ad ipsam Angelorum impassibilitatem.* Proinde per impassibilitatem facit, ut non patiantur, vel per patientiam, quemlibet tam fortem & invincibilem, ac si non pateretur. Corpus Christi in Sacramento se manducantes impassibiles reddit. Porro pro propria & secunda prærogativæ conformatione servire poterit id, quod de eodem Sacramento pronuntiavit David: *Panem Angelorum manducavit homo.* Si Angeli non consecrant, neque comedunt, neque consecrare, neque Divinum hunc panem consecrare aut comedere possunt, quomodo convenire illi potest nomen panis Angelorum: nisi quod immortales & impassibiles reddat illum manducantes, quasi Angelos? §. VII.

1. Cor. 13.
v. 7.

Chrysost.

Psalms.
77. v. 25.

Extum maximumque Divinitatis Verbi vacuum in Incarnatione est infinitas, quâ, cum per naturam esset infinitum, factum est finitum. Verum enim verò etiam vacuū istud Corpus Christi in Sacramento supplevit, & admirabiliter implet. In omnibus & singulis Hostiæ particulis etiam minimæ quan-

quantitatis integrè totum Christi Corpus continetur. Agedum Philosophos hic interrogare libeat, quot sint quantitatis partes? celebriores duæ opiniones concordant, quod sunt infinitæ; solumque discrepant, in quo genere infinitatis: quidam enim sustinent, quod actualiter sint infinitæ, quod infinitum vocatur Cathegorematicum; alii admittunt tantummodo, quod sint infinitæ potentialiter, quod infinitum vocatur Syn-cathegorematicum. Quoniam verò secunda hæc opinio est communior, partesque quas in hoc infiniti genere admittit minus infinitæ nequeunt esse, quàm in altero, illi nec conformando, ita dico cum Aristotele: *Infinitum est, ejus semper aliquid extra licet accipere*: Id est, infinitum juxta quod definit Aristoteles, est illud, cujus partes quantumcunque divisæ, in alias adhuc partes semper dividi possunt. Cum igitur Christi Corpus totum sit in Hostia tota, & totum in qualibet, quantumcunque minima ejus sit parte, & cum potentialiter in eadem etiam Hostia tot partes quantitatis contineantur, quæ quantumcunque dividatur, semper magis ac magis in infinitum dividi potest: probè sequitur pro ut omnes concludunt Theologi, Corpus Christi in Sacramen-

to, non finitum, sed infinitum existere.

Enimverò quamvis veritatem hanc sensus non assequantur, imò in ea decipiantur, uno eodemque exemplo id peregit Christus, ut illam gustus probaret, illam manus palparent, utque oculi illam viderent. Pavit quandoque Dominus idem hominum millia quinque (excepta mulierum parvulorumque multitudine, siquidem integræ familiæ eum sequebantur) quinque tantum panibus, taliter auctis, ut omnibus satiatis, Apostoli duodecim cophinos residuis impleverint fragmentis. Quoniam verò modo tantum accrevit tantilla panis quantitas?

*Fragmentis fragmenta
Succedunt, & fallunt semper per-
fracta frangentes:*

Crevit illa panis quantitas, cum esset tam modica, inquit S. Hilarius, quia quantum magis dividebatur, tantò magis & magis multiplicabatur, acceptum in sacrosanctas manus panem Christus divisit, quantoque magis illum dividebat, tantò magis in manibus Christi augebatur: tradidit illum Christus Apostolis, quantumque magis Apostoli illum dividebant, tantò magis in Apostolorum manibus crescebat: tradebant illum Apostoli manibus parentum, qui illum di-

S. Hilarius.

videbant, tantòque magis in virorum manibus crescebat: Patres illum tradebant matribus, matres illum dividebant, tantòque magis in manibus augebatur mulierum: matres illum porrigebant filiis, dividebant cum liberis, tantòque magis in manibus crescebat parvulorum: hoc pacto diviserunt & comederunt omnes; & quia panis quantò magis dividebatur, tantò magis & magis multiplicabatur; Hinc cum esset tam parum, superfuit tam multum, & si numerus hominum fuisset major, multò plus superfuisset. In tantum, ut quando Apostoli inter se partiti sunt mundum, si quilibet secum suum tulisset cophinum, opus non fuisset agricolæ colere terram, nec seminare, nec metere, nec colligere; siquidem illa ipsa toties divisi panis residua fragmenta, magis magisque semetipsa dividenda toti sustentando mundo sufficerent.

Porrò ne quis dubitet, quin magis magisque dividendo panis creverit: miraculum hoc cum alio miraculo combinemus. Occasio ne alia, alioque in deserto pavit idem Christus septem panibus quatuor hominum millia, & collectis residuis fragmentis impleti sunt septem cophini. Exiguum quid requiritur scientiæ arith-

meticæ ad expendendam horum numerorum differentiam, in utroque casu. In primo casu plures erant pasti panibus paucioribus; Pastorum enim virorum erant quinque millia, exceptis mulieribus & parvulis, & panes fuerant quinque. In casu secundo, comedentes fuerant pauciores, & panes plures; Pastorum quippe fuerunt quatuor millia, & panes septem. Ergo juxta sanam Arithmeticam ratiocinando sequitur, plus in hoc secundo, quàm in primo superesse debuisse miraculo. Quanam igitur ratione pluribus comedentibus, & paucioribus panibus plus superfuit: & paucioribus comedentibus, & pluribus panibus superfuit minus? ratio patet manifestè, ut dixi; ex frequentiore enim divisione, majus nascebatur incrementum seu augmentum, In miraculo primo, sicut comedentes erant plures, & panes pauciores, frequentiore opus fuit divisione, ex qua panis accrevit: In secundo, quia comedentes erant pauciores, & panes plures, minor numero suffecit divisio, & hinc minus subsecutum fuit incrementum & augmentum. Quid verò Christus Dominus evidentia hac tam sensibili, oculis manibus, gustuque adèò perceptibili

S. Paulin

bili intenderit, seu insinuare voluerit, S. Paulinus egregiè respondet: *Populus Christus quinque panibus implevit, esurientes fidem carnaliter satians, spiritualiter irrigans.* Miraculum quinque panum fuit prologus, quo Magister divinus animos hominum ad fidem Sacramenti corporis sui disponere fategit; de quo eadem occasione tam largè & latè tractavit, ut omnia quæ docet Ecclesia, ipsumque Evangelium quod hodie cantat, aliqua tantum particula doctrinæ illius existat. Idcirco fecit Christus, ut panis ad eò modicus, sensibilibiter & palpabiliter semper magis atque magis inter dividendum manus cresceret, ne credere hæsitarent, quin in tam exigua quantitate simili Hostiæ, comprehendi tota magnitudo alicujus infiniti sine fine, quodque non finitè tantum, sed infinitè in ea corpus suum consisteret. De hac infinitate dixit S. Thomas: *Esse Christum in Hostia semel in actu, infinities in potentia* Christus enim totus in tota Hostia, & totus in qualibet ejus parte existens, illis actualiter divisus, actualiter etiam erit in omnibus, semperque magis ac magis sine fine; quia est infinitus.

S. Thom.
in 4. dist.
20. q. 1.
art. 3. ex-
plicatus
à Sum-
rez in 3.
part. dist.
43. sect.

Cum igitur hæc infinitas manifesta, sit illa, quæ Corpus Christi in Sacramento infinitatem Verbi in In-

carnatione absconditam supplevit: sciendum tantum restat (quod non videtur facile) quo pacto eandem etiam nobis communicet infinitatem? Dico Christum nobis in Sacramento Corporis sui infinitatem communicare, faciendo, ut quemadmodum cibus, quem manducandum nobis præstat, est infinitus, sic etiam fames sit infinita, vel nos fame infiniti, quæ illum comederimus: cibus sine cathegorematicè infinitus, & fames similiter synecathegorematicè infinita. Spirit. S. cap. vigesimo quarto Ecclesiastici expressè asserit: *Qui edunt me adhuc esurient, qui bibunt me adhuc sitient.* Christus in Hostia suam nobis præbet Corpus ad manducandum, & in Calice Sanguinem suum ad bibendum: idem verò Corpus talem in manducantibus famem, idemque sanguis talem in bibentibus excitat sitim, utramque synecathegorematicè infinitam, ut comedentes quantò frequentius comedunt, tantò magis atque magis comedere desiderant, *Qui edunt me adhuc esurient:* Et sanguinem bibentes, quantò frequentius bibunt, tantò amplius & amplius bibere appetant; *Et qui bibunt me, me adhuc sitient.*

Ecol. 24.
v. 29.

Divinum hoc Sacramentum cibus non esset cælestis, nisi hosce tã contrarios terrestribus operaretur esse.

S. Greg.
hom. 16.
in Evang

effectus. In cibis terrestribus (inquit S. Gregorius) fami succedit comestio, comestioni saturitas, & saturitati fastidium succedit: *In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat*; In cibis vero celestibus, licet fami succedat comestio, & comestioni saturitas, saturitati non fastidium, sed rursus fames succedit: *In istis appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit*. Ex quo sequitur, (concludit Sanctus) quod qui plus, & quanto quis plus inde gustavit, tanto major atque major fames & appetitus accenditur: *Tantoque amplius à comedente esuriuntur, quanto amplius ab esuriente comeduntur*. Notate repetitionem & connexionem utriusque *amplius: Amplius ab esuriente, amplius à comedente*: Nam comestio & fames successivè & reciprocè, altera alteram parit. Et ab hoc *Amplius & Amplius*, quod semper crescendo finem habere nequit, comedentium formatur infinitum: sicut enim illud *Amplius & Amplius famis*, exceperit illud *Amplius & Amplius saturitatis*; Et *Amplius & Amplius saturitatis*, *Amplius & Amplius famis*; vel satiatis hosce & famelicos non comedere, vel si comedant, amplius & amplius in infinitum comestionem illam continuare necesse est. Miraculum deserti habuit finem;

nam superfuit panis, & defuit fames: superfuit panis, *superaverunt fragmenta*: defuit fames, *saturati sunt*: Sed in miraculo Sacramenti, nec panis superesse potest, nec fames deesse. Fames deesse nequit, quia oritur de pane; & panis superesse nequit, quia fames de illo nota ipsum comedit; Et hinc neque miraculum, neque fames, neque panis, neque comedentes, unquam finem accipere possunt, nec fieri potest quin infinitatis modum participant, quem Corpus Christi in Sacramento obtinet. Præceperat Deus ut in Altari suo semper arderet ignis: *Ignis in Altari meo semper ardebit*. Et quare? *Quia ignis nunquam dicit sufficit*: Et sicut materia Altaris erat inconsumptibilis, & ignis ea sustentatus insatiabilis: nec insatiabile vorans, nec inconsumptibile esui expositum non infinitum esse valebar: *In Altari meo semper ardebit*. Porrò Mysterium istud in Altaris Sacramento fuit verificatum, tam quoad Corpus, quàm quoad sanguinem Christi. Cum enim illum comedentes insatiabiliter eum esuriant, & bibentes insatiabiliter eum sitiant: nec comedentibus fames, nec bibentibus sitis deesse potest: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*.

Levit. 6.
v. 12.
Prov. 30.
v. 16.

§. VIII.

Ultimum denique attributum, quo carnem inducendo Verbum sese exiit, fuit divinitatis invisibilitas, ex invisibili se faciens visibile: Quod Baruch Propheta prædixit: *Post hac in terra visus est, & cum hominibus conversatus est.* Idcirco Joannes Evangelista dicto, *Verbum caro factum est: Mox adjunxit, Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Verum si Verbum nostro se vestiens corpore, nostrisque visibilem se exhibendo oculis de invisibili factum est visibile; idem corpus ad recuperandam invisibilitatem in Incarnatione perditam, jam visibile & visum, nostris sese denuò abscondendo & velando oculis, iterum factum est invisibile in Sacramento. Hæc prima assumpti nostri pars probatione non indiget; invisibilitas enim tantum non videndo videri potest; uti nec nos eundem videmus Christum, quem nihilominus magis præsentem credimus ac adoramus, quam si præsentem oculis intueremur. Secundam verò assumpti partem, qua hucusque demonstravimus, quod non solum Christus easdem divinitatis exinanitæ proprietates sibi recuperet in Sacramento, sed etiam communicaret nobis: quo pacto, quæso, hoc

Pars V.

verificari & probari potest in invisibilitatis attributo? si in alio pertractaretur loco, foret difficile; verum in hoc, in quo statum, est evidens.

Sponsa sancta in Sacramento loquens de Christo, absconditum illum & invisibilem, post illum accidentium parietem asserit: *En ipse stat post parietem nostrum.* Ita locum hunc communiter intelligunt Interpretes. Agite illum nunc parietem, & hosce intuemini parietes post parietem illum stat sponsus: hos inter parietes stant sponsæ: ibi Sponsus invisibilis, hinc etiam invisibiles sponsæ. Quænam, amabo, major, rigorosiorque invisibilitas, quam illa, quæ non uno die, neque multis, sed semper, mundi negatur & absconditur oculis? Talis est invisibilitas Christi in Sacramento, similisque illa sponfarum ejus. Hac energia accomodatissime sponsa accidentia illa parietem nuncupavit: *Post parietem nostrum.* Poterat illa vocare velum, poterat illa vocare nubem. In templo Hierosolymitano, propitiatorium, quo præfigurabatur Christus, invisibile reddebat oppansum sanctuario velum: *Sanctuarium quod est intra velum:* In monte Olivæ similiter Christum ascendentem in cælum oculis Discipulorum subduxit nubes: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Si itaque illa Hostiæ ac-

NB. Alludi ad parietes Conventus Monialium de incarnatione, ubi prædicant

Levit. 16 v. 12.

Act. 8. v. 9.

B b ciden-

Baruch. 3. v. 38.

cientia oculis nostris subducunt, invisibilemque in Sacramento faciunt Sponsa, ut quid ea non vocat Sponsa, velum aut nubem, sed parietem, *post parietem*? Quia velum potest ad & reduci, & nubes mutari; paries autem impedimentum est stabile, immobile, & immutabile. Et hoc modo in perpetuum, illi inclusus parieti, & his inclusi parietibus spōsus & spōsa, humanis sēper obtutibus abscondūtur.

Propheta Isaias loquens cum Christo in Sacramento, ait: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*. Et de Mysterio Incarnationis loquens absconditam concepturam inquit: *Ecce abscondita concipiet*. Sic legitur in originali hebraico, in qua lingua abscondita & Virgo idem significant. Christus, Deus absconditus in Sacramento; & Virgines Christo consecratæ absconditæ in Incarnatione. Nec mirum cuiquam videri debet, quod sub hoc sacro nomine, jam tum exemplar fuerit Virgo Virginum postea secuturis; *Adducuntur Regi Virgines post eam*. Et cum simul in ultimo Divinitatis attributo, à Christo in Sacramento recuperato, & generosis hinc animabus communicato, quæ amore ipsius invisibiles sese fecerunt, aliud coronidis loco accommodare ne-

queam nisi illud S. Pauli, *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: Estis mortui, inquit Apostolus, *mortui estis*, neque nimum dicit; quia vitæ quatuor inclusæ parietibus, nec vitæ, nec visibili quodnam aliud proprium magis congruit nomen, quam mortuæ & sepultæ? Hoc modo Job sepulchri sui statum exaggeravit non tantum per sepultum, quantum per invisibile, *Nec aspiciet me visus hominis*. q. d. Jam nunquam me videbit oculi hominum. Sed quamvis ista vestra vita, eò quod invisibilis & abscondita, aliis videatur mortua & sepulta, vos pro vestra considerate consolatione, ubinam & cum quo sit abscondita: abscondita cum Christo, & abscondita in Deo: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Est abscondita cum Christo, nam etiam Christus absconditus est in Sacramento: & abscondita est in Deo; quia quanto magis oculis subducitur hominum, tanto magis in ipsam intendunt oculi Dei. Porrò cum hoc tanto possit esse solatio, majore adhuc sanctus Paulus concludit: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparbitis cum ipso in Gloria* q. d. Christus qui nunc vita est vestra, & ibi sicut vos est invisibilis & absconditus,

Coloss. 3.
v. 3.

Job. 7.

Isai. 45.
v. 15.

Isai. 7. v.
14.
Text.
Heb.

Psal. 44.
v. 15.

tus, veniente ultimo die, visibilis toti apparebit mundo & videbitur ! Tunc vos quoque apparebitis , & videbunt oculi hoc quod illis nunc negatis, quàm pretiosum, gratumque oculis sit divinis , qui soli vos vident , invisibile hujus clausuræ : quemadmodum enim nunc Christum in sua imitata estis invisibilitate, sic ille visibiliter in oculis totius mundi vos sua ipsius coronabit gloria : *Et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

§. IX.

Sermo hic finem acciperet , nisi tam universalis dies & celebritas , unum ad omnes verbum exigeret. Si Corpus Christi implet vacua divinitatis, quantò magis implebit vacua nostræ necessitatis: omnia creavit Deus vacua , sed mox implevit omnia. Vacuum creavit terram; *Terra autem inanis erat & vacua* ; Sed statim eam implevit abintus thesauris , ab extra plantis & animalibus. Vacuum creavit cælum ; sed mox illud abintus implevit Hierarchiis Angelicis , exterius Sole, Luna & Stellis. Vacuum creavit mare & aërem ; sed aërem tanta implevit varietate volucrum, & mare tam infinita multitudine piscium. Vacuum creavit Deus primos homines velut lutea vasa; sed mox eos originali implevit justitia, totque aliis

dotibus & gratiis. Tam naturale divinæ est bonitati, uti fuit, est, & erit semper eadem ad implenda creaturarum suarum vacua : & sic necessitatis paupertatisque nostræ implebit vacua , longè meliùs quàm oleum Elisæi , quotquot demum fuerint, *vasa vacua non pauca.* Olim in lege rigorosiore vetuit Deus ne quis vacuis manibus coram se appareret: *Non apparebis in conspectu meo vacuum.* Hodie verò in lege gratiæ omnes nos exhortatur Christus ipse, ut non solum vacuas exhibeamus ipsi manus, sed etiam, multòque ampliùs corda & desideria: ut ea nobis abundantiùs impleat, eò quòd ille melius sciat dare quàm nos petere. Fratres Josephi in Ægyptum profecti ad emendum panem, saccos attulerunt vacuos , quos retulerunt plenos reimpósito simul pretio; panis enim hic divinus illo representatus, panis erat gratis datus. Et mediante Incarnatione Christus noster jam frater factus , Josephi benignitatem non adæquaret, nisi recurrentes ad liberalitatis suæ eodè cõtentia pancellaria plenos divitesquid mitteret in omnibus, quæ nostra ipsi necessitas vacua exhiberet. Accedite, accedite, (inquit S. Th. Archiep. Valent.) accedite in quã nõ ad huc fortè, sed ad huc inensũ gratiarũ oceanũ omnib⁹ patèrẽ, omnes deside-

4. Reg. 3.
v. 43.
Exod. 32.
v. 15.

rantem, omnes invitantem, omnes deniq; expectantem: & quantumcunq; ampla & profunda sint necessitatis vestra vacua, singula sua adimplebunt usque ad summū, donec plus capere non possint: O-

S. Thom. ceanus est gratiarum immensus, vas Archiep suum quisque ad summum replet.

de Valentia.

Verū, tanta fidei nostræ est infirmitas, itaque cœlestia bona vilipendimus, ut nec gratis quidem illa velimus. Auscultate quid ad similes animas Poëta quidam Gentilis exclamet:

O Curvas animas hominum, & cœlestium inanes! q. d.

O animas hominum brutorum ad instar incarnatas & irracionales *Curvas*, quia semper versus terram inclinatae & incurvatae inceditis, & hinc bonis cœlestibus vacuae, & cœlestium inanes! quantumcunq; aliquæ anima totius terræ, & ad cœlum usque totius mundi dominio gauderet, semper vacua remaneret, quia solus Deus ipsum replere potest. Porro cū nos Deum habeamus tam propinquum & vicinum, quot, quæso, animæ hoc nomine indignæ, non nisi vi adactæ de anno in annum ad ipsum accedunt! Ipse panem vocavit quotidianum, ut quotidie illum manducaremus more primorum Christianorum; & ad illa devenimus tempora, quibus magnæ pietatis &

devotionis loco habetur singulis mensibus communicare; Eheu quàm benè nec istud facientibus quadrat, illud Jobi. *Sic & ego habui menses vacuos,!* Cū dies oporteret esse plenos, etiam menses sunt vacui! transit mensis, & mensis; transit Jubilæum, & Jubilæum; & non attenditur gratia (acsi nec fides, nec alia vita, nec infernus superesset, nec purgatorium) neque gratiarum convenientia, non permittunt nobis vitia, quibus nostræ plenæ sunt animæ, ut mediante cōtritione & confessione eandem vacuum huic mensæ exhibeamus.

Agedum, animabus nostris vacuis peccato (si Christiani sumus, & deinceps esse volumus) quilibet nostrū id omni cura agere debet, ut duo præstet: primò animam suā impleat gratia, ne sit vacua: secūdo gratiam operibus Christiano dignis impleat, ut in eadē perseveret. Quam ratione, quoque defectu cōtingit, quod confitētes & communicantes, & hoc medio gratiam Dei sibi conciliantes, multis diebus in gratia non perseverent, & eodem quandoque die illam perdunt? non aliūde, quā, licet animā repleamus gratia, gratiā non implemus operibus, sine quibus illa permanere non potest. Expendatur ut oportet & ponderetur, quod S. Paulus de se dicens, nobis persuadere fatagit,

Job. 7. v. 3.

fatagit Apostolus hic in cœlum raptus, & inde reversus, nobis consulti, ne gratiam vacuum habeamus, *ne in vacuum gratiã Dei recipiatis*: & de se affirmat, gratiam se nunquã habuisse vacuum, ideoque semper in ea permanisse; *gratia ejus in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet*. Cum gratia tam contraria sit naturæ, in hoc tantum gratiæ similis videtur natura, vel gratia naturæ. Natura nulla ratione vacuum admittit; unde natum adagium, *non datur vacuum in rerum natura*. Et hinc Philosophicè deducitur, quare in Elementis, & mixtis, vel spontaneè & seipsis prodeuntis, vel arte cogente tot productos videmus effectus, qui miraculosi videntur, & non nisi naturales existunt. Videmus ascendere aquã & terram; videmus descendere aërem & ignem; videmus dirumpi marmora, & dissilire æra, eo tantum sine omnia, ut impediunt Vacuum, quod si daretur in natura, mundus id esse videtur. Idem eveniret (& evenit) gratiæ, si in ea daretur vacuum; & hic pro viribus omnibus istis resistendum est, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Si gratia ipsius nunquam in nobis vacua fuerit, sicut in S. Paulo, *gratia ejus in me vacua non fuit*: etiam in nobis, sicut in illo semper permanebit: *Et gratia ejus semper in me manet*.

Denique si à me discere desideretis, quoniam pacto gratia semper plena, & non vacua sit futura? Respondeo implendo vacua, quæ in anima occupabant vitia, primò actibus, & postmodum contrariis virtutum habitibus. Locum superbiæ in animabus nostris occupet humilitas; intemperantiæ succedat puritas; invidiam expellat charitas, locum iræ subeat mansuetudo, Gulum ejiciat sobrietas; ambitionis locum sibi vendicet mundi contemptus, vindictam exturbet injuriarum facilis condonatio; odii locum, occupet amor proximi, licet maximus sit inimicus. Verbo tandem, quantum unumque corrupta & habituata natura repugnet: ut leve sublimè que descendat, infimumque ac ponderosum sursum ascendat: Hoc modo toti nos nostri conformabimus Exemplari Assumpti, Deum imitantes in Incarnatione, qui ad assumendas Corporis nostri conditiones descendit; & Christum in Sacramento, cujus Corpus ad participanda Divinitatis attributa ascendit; quibus nos utique gaudentes fruemur in mensa gloriæ, ejusdem Panis adjuti Gratiã, qui, ut nos ascenderemus, de cœlo descendit. *Hic est panis qui de cœlo descendit.*

Amen.

Bb 3

SER.

2. Cor. 6.
v. 1.1. Cor. 15.
v. 10.Ex ad.
dit. Ec.
eles.

S E R M O

De

S. Gundifalvo.

Si venerit in secunda Vigilia , & si in tertia Vigilia
venerit, & ita invenerit; Beati sunt servi illi.

Luc. 12.

S. I.



BI multum requiritur ad eligendum, non potest non multum adesse, de quo dubitandum. Hodie devotio nostra celebrat Sanctum , de cujus statu dubitarunt historici; de eujus professione dubitavit ipsemet ille: de cujus excellentiis, ad eligendas inde, maximas seu præcipuas, ego dubito vel maximè. De statu ipsius dubitarunt Historici, siquidem eorum nonnulli, Hierarchiæ ipsum annumerarunt clericali tanquam filium S. Petri : alii ipsum adscripserunt instituto Monastico, velut S. Benedicti Monachum: alii ipsum affociarunt Mendicantibus, tanquam alumnum S. Dominici : in

hac porrò controversia gloriosius est dubitare, quàm decidere. Simili modo dubitarunt & contenderunt nobiles Civitates Græciæ, quænam Homeri celebratissimi fuisset patria, Dubitavit Sanctus ipse, quænam in Religione magis placitum Deo servitium exhibere posset; non enim quocunque sufficit, sed placito Deo modo & ritu deservire oportet. Proinde cum petitioni huic multas horas, ferventique orationi multos impendisset dies; & quia Sacerdos jam erat, eundem in finem frequentiori Sacrificio Divinæ pietati negotium hoc serio commendasset; Divinum tandem oraculum illi respondit, ut in ordine & religione, illa quæ officia Divina à salutatione exordiretur angeli-

gelica, ejus sese manciparet servitio. Quo indicio Sacrum Prædicatorum institutum clarè fuit significatum, Sanctus dubium suum resolvit; & cum eodem meum me dissoluturum spero. Ut igitur ritè nostrum auspicemur discursum, priusquam innotescat qualis sit futurus, etiam à salutatione matris gratiæ initium fiat dicendo, *Ave Maria.*

§. II.

Si venerit in secunda Vigilia, & si in tertia Vigilia venerit, & ita invenerit: Beati sunt servi illi.

Luc. 12. v. 38.

DUbius, ut dixi, & inter excellentias nostri Sancti suspensus, quamquam tanquam admiratione digniores de prædicandas eligam, præter hoc dubium meum aliud adhuc intricatius in Evangelio reperio. Christus magister divinus & Dominus noster, servos quos in secunda, & tertia Vigilia veniens vigilantes invenerit beatos dicit. Stylo moreq; militibus usitato loquitur; Milites enim illo jam tempore noctem in quatuor vigilias dividebant; de quarum numero adhuc hodie perseverat, quod quartialia, seu in quatuor partes divisæ vocentur. Porrò quia, attestante Jobo, vita nostra militia est in mun-

do, & in eodem velut in tenebris, & nocti simili caligine degimus, hinc Christus ipse eandem hominis vitam in quatuor partes, sub vigiliarum nomine partitur. Prima pars seu ætas est pueritia, secunda juvenus, tertia ætas virilis, quarta senectus. Supposito igitur vitam humanam suo in curriculo in quatuor dividi partes, ut quid Christus primâ & ultimâ relicta, secundæ tantum & tertiæ meminit, *Si venerit in secunda Vigilia, & si in tertia Vigilia venerit?* Ratio naturalis, quoad vigilias, est, quia in secunda & tertia Vigilia somnus vehementius sensus opprimit, cui majore labore resistitur, unde etiam vigilantia difficiolor. Porrò quoad vitæ partes seu ætates, similis militat ratio. Quemadmodum enim in ætate juvenili & virili validiores sunt tentationes, sic laboriosior contra vitia existit pugna, difficiolorque virtutum exercitatio & observantia. In prima ætate, quæ est pueritia, mundus non tentat pueros; in ultima, scilicet senectute, jam non tentat senes: Et virtus sive pugna, quæ in pueris est innocentia, & in Senibus veri notitia, quantò tranquillior extra pugnam agit & conflictum, tantò minùs de victoria, solidaque & robusta virtute sibi vindicare potest.

S. Gregor
Nazian-
anz.

S. Gregorius Nazianzenus tex-
tum hunc cum lege concilians
quâ Deus amari se præcipit, aliam
non propriam minus & naturalem,
sed sublimiorem rei hujus reddit

LUC. 10.
v. 27.

rationem: *Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo, & ex tota a-
nima tua, & ex omnibus viribus tuis,
& ex omni mente tua.* Ita ut qua-
tuor hisce partibus, & omnibus
hisce quatuor amorem Dei constare oporteat, ut ex omnibus qua-
tuor partibus & lateribus legitimè
sit qualificatus. Amor ex toto cor-
de, Amor ex tota anima, Amor ex
tota mente, & Amor ex omnibus
viribus. Hac igitur ratione Chris-
tus de secunda tantum & tertia, &
nec de prima, nec de quarta quic-
quam loquitur. Quare verò secun-
dæ & tertiæ vigiliæ seu ætatis, qua-
les sunt Juvenes & viri, & non pri-
mæ & quartæ ætatis, scilicet pue-
ros & senes beatos compellat? Sic
est, & clarissimè patet. Quia Deus
non tantum toto corde, & anima
tota, sed tota etiam mente, & omni-
bus viribus amari desiderat: &
quamvis pueri & senes cor habeant
& animam; pueri nondum ratione
utuntur, & senes viribus destituuntur:
proinde Soli illi secundæ ter-
tiæque vigiliæ, juvenes scilicet &
viri omnibus quatuor partibus
Deum amare illique servire possunt;
vel omnes quatuor simul a-

more integro & perfectò: *Ex
toto corde, ex tota anima, ex
tota mente, & ex omnibus viri-
bus.*

Hoc modo intellectum Evan-
gelium (sic autem venit intelligendum)
ipsum jam discursum in duas
divisisse partes, & secundum illas,
de duabus sancti nostri ætatibus
primariis, agendum esse videtur:
de secunda, quæ in juvenibus flo-
ret; & de tertia, quæ in viris jam ad
maturitatem pervenit. Cum verò
in sancto nostro utraque suam
attigerit perfectionem, utraq; etiã
floribus & fructibus decenter fuit
ornata. Sed rætè si hoc ita videatur
aliis, mihi sane, cujus est electio,
longè aliud videtur. S. Gundisal-
vi excellentiæ non sunt tam pusil-
læ, ut angustiis ad eò terminis cir-
cumscribi valeant. Fluvio de Ma-
tre seu scaturigine egresso, ipsæ et-
iam oræ flumen efficiunt. Non
tantum dilatandum est Evange-
lium, sed ipse quoque vigiliarum
numerus multiplicandus. Dico
igitur, vel dicere intendo, S. Gun-
disalvum non secundæ tantum &
tertiæ, sed primæ quoque & quartæ
Vigiliæ fuisse Sanctum: immò
verò, non primæ solum, secundæ,
tertiæ & quartæ, sed etiam quintæ
Vigiliæ. Sanctum, & admirabilem
Sanctum in prima ætate pue-
ritiæ: Sanctum, & admirabilem
San-

sanctum in ætate secunda Juvenili: Sanctum, & admirabilem Sanctum; in tertia, ætate virili: Sanctū, & admirabilem sanctum in quarta, scilicet, in senectute: Sanctum denique; & admirabilem in ætate quinta, id est postquam mortuus, in qua jam quintuplicatos habet annos vitæ. Casu quo sermo evaderet prolixior, devotio vestra facile accommodabit patientiam.

§. III.

UT à prima Vigilia exordium sumat oratio; S. Gundisalvus Sanctus, & admirabilis Sanctus fuit in prima ætate pueritia, non enim fuit puer, pueris sed viro similis: Aliis pueris, ut evadant viri, multis expectandum est diebus: S. Gundisalvus ne uno quidem expectavit die, quia quâ natus est die eadem jam vir extitit, & quidem vir magnus in essentia, quamvis pusillus statura. Propheta Zacharias de nascituro mundi Salvatore locuturus, dicendorum admirationem excitat verbo, *Ecce*: Et non aliud dicit, quam nasciturum, virum nominandum: *Ecce vir oriens nomen ejus*. Porrò si prodigio simile & admiratione seu admirationibus dignum videtur, quod homo simul Deus puer & vir nasciturus esset, *vir Oriens*; quam admirabilis Sanctus censendus erit noster, qui na-

tus non fuit homo puer, sed puer vir? Unus tantum homo fuit in mundo vir natus; & hic fuit Adam, à Deo in ætate staturæque perfecta creatus. Sed unicuique iste vir natus, idcirco puer fieri non omisit. Vos id ipsum judicate, Non minus quàm totum istum mundum suo subjectum Dominio possidebat Adamus: Et vir tantorum Dominus & possessor, quicquid habuit pro uno dat pumo: Ecce hic, an non fuerit puer. Gundisalvus natus est puer, sed puer vir.

Quando verò magnus iste puer se publicè puerum virum demonstrare cepit: octavo post Nativitatem die, qui Baptismi sui fuit. Egressus est è Baptisterio, ubi alii infantes non nisi aquæ algorem sentiunt; & quando nutrix illum brachiis excepit ad fovendum & ubera præbenda; prodigiosus infans pro eo ut lachrymaretur & fugeret, coniectis in Christum Crucifixum oculis, vultu hilari, brachiolisque extensis grates ipsi, pro gratia accepta referre visus est. Hoc modo multo tempore non sine circumstantium admiratione & stupore remansit, nullo ipsum à fixa intuitione, & attentâ sacri objecti contemplatione avellere valente. Quis proinde negabit, hoc fuisse, non more infantili, sed viri adinstar baptismum accipere?

Baptismum accipiunt, vel adulti qui viri, vel Innocentes, qui sunt pueri: sed cum magna similitudine in Baptismo, & cum magna differentia in baptizatis. Dixi cum magna similitudine in Baptismo; nam hiis non minus atque illis Sacramentum illud gratiam omniumque virtutum habitus infundit: in baptizatis autem valde differenter: quia in Innocentibus, virtutum habitus sunt quasi mortificati, absque quod eorum actus exercere possint: in adultis vivunt expediti; quia statim producant aut producere possunt actus virtuosos, ad quos habitus ipsi inclinant. Manifeste hoc in S. Augustini patuit baptizate, qui triginta trium annorum ætatis baptismum suscepit, & sic ille, uti & S. Ambrosius, qui ipsum baptizavit, etiam ipse in provectione jam tum ætate, exemplo compositum Hymnum *Te Deum laudamus*, decantarunt, in quo tot excellentes actus, tamque arden-tes continentur virtutum affectus. Hic igitur interrogo, Ad utramne tam differentem baptizatorum classem Sanctus noster videtur referendus? certum est quod non ad illam Parvulorum & Innocentium; sed illam virorum & adultorum. Quia mox, ac si baptismus non solum habitus, sed virtutum omnium infudisset a-

ctus, non plorando exercit actum fortitudinis; respuendo ubera, actum temperantiæ; oculos dirigendo, & brachiola extendendo ad Crucifixi imaginem hilaris, actum exercuit prudentiæ, actum justitiæ, actum Religionis, actum fidei, actum charitatis: & eo ipso quod à devota illa & constante contemplatione cum nequiverint divertere, actum exercuit perseverantiæ.

Propheta Regius hominem sanctè incipientem, magnumque futurum Sanctum describens, ait: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* q. d. Similis est tenello & novello arbusto, ad præterfluentem aquam plantato, quod suo tempore fructum dabit. Currentes aquæ sunt illæ Baptismatis: porrò novellæ plantæ iis irrigatæ, sunt baptizati non adulti, sed parvuli & Innocentes: de quibus asserit Propheta, quod non statim afferant fructum, sed suo tempore illum sunt prolaturi. Quare quia in imperfecto illo naturæ statu, qualis est infantia, quemadmodum lingua impotens est ad loquendum, & brachia fasciis colligata & involuta, sic animæ potentiæ quasi somno ligatæ, inhabiles & impeditæ sunt ad virtutum actus exercendos. Adolescentibus verò, & viribus

*Psalm. 136
v. 3.*

convalescentibus, solis adinstar ex nubium medio emicantis, intellectus rationisque lumen sese exercere incipit; & hoc tempus est tanquam determinatum à natura, & expectatum à gratia, ut possint producere, producantque fructus: *Et fructum dabit in tempore suo.* Ita passim cunctis usu venit parvulis. Noster verò exemptus à reliquis limites spatiaque anticipans naturæ, tempus non suum, reddidit suum, temporique non debitos protulit fructus. Prudenter sanè notavit consideratque S. Augustinus, Parvulos ad Baptismum pedibus venire non suis; & credere corde non suo: nec non, quod credunt, confiteri linguâ non suâ: Parvulis Mater Ecclesia aliorum pedes accommodat ut veniant, aliorum cor, ut credant; aliorum linguam ut fateantur. Porrò omnia hæc præstiterunt oculi parvuli nostri in crucifixum defixi. Oculi isti sibi fecerunt linguam, qua confessi sunt si dem: oculi isti fecere sibi cor, quo illam credere; illi quoque oculi fecere sibi pedes, vel, ut rectius loquar alas illas, quibus transvolarent interstitia inter parvulum & virum, non relicto intermedio spatio. Hoc pacto sanctus noster, etiam publicè, & parvulum simul & virum eodem se tempore ostendit. Cum

enim tempus suum non esset, quatenus erat parvulus; quatenus vir, acibus viro dignus illud suum fecit: *Et fructum suum dabit in tempore suo.*

Non stitit prodigium primo illo die, postmodum quippe majoribus & novis continuatum est circumstantiis: idem enim ille infans, tunc non lacrymatus, modo irremediabiliter plorabat tunc aspernatus ubera, eò profecit constantiæ, ut nullatenus ea nunc admittere veller. In principio lacrymarum & abstinentiarum harum latebat arcanum, donec tandem primi amoris desideria fuisse innotuit. Quæ non industria sunt usi, ut à lacrymis abstinere, alimentumque admittere facerent? Deferebant Gundisalvum seu Gundisalvulum ad eandem Ecclesiam, & vix oculos in Crucifixi imaginem conjecerat, & ecce visio hæc mox illi sistebat lacrymas, alimentique fastidium omne aufererat, quo factò contentus & gaudens alimentum percipiebat. Nullum aliud dabatur remedium: Casus profectò rarus, præsertim consulto desuper S. Paulo, Ad intelligendum latens ibidem magnum prodigium, supponendū est hominem duabus constare partibus animali una, spiritali altera:

1. Cor. 15.
v. 46.

tera: pars animalis duabus constat vitis, vegetativa videlicet, & sensitiva; pars spiritualis, una tantum, rationali scilicet constat. Et quid S. Paulus? omnia de infanthulo nostro dictis contraria. Partem quippe animalem spirituali quamvis nobiliori priorem asserit, & spiritalem non nisi post animalem locum invenire: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod spirituale.* Utrumque Apostolus Adami hominis terrestrius exemplo confirmat, à quo vitam animalem accipimus, qui prior fuit Christo: & exemplo Christi hominis celestis, à quo vitam participamus spirituales, qui Adamo fuit posterior. Istud quidem docet S. Paulus: Nos verò ad illud, quod in nostro apparebat Sancto progrediamur. Flere vel non flere ad vitam pertinet sensitivam; fletus enim effectus est sensus: fugere vel non fugere ubera, ad vitam ipse vegetativam; nutritio quippe effectus est alimenti: simili modo flere intuendo Christum, nullumque oblectamentum, seu gustum admittere extra ipsum, vitæ rationalis, & vel maximè seu propriè eisdem vitæ est effectus. Si igitur, juxta quod S. Paulus asserit, prior in homine pars est animalis, & spiritualis posterior, quonam pacto

in nostro Parvulo, actiones partis spiritualis præveniebant illos partis animalis; prius quærerere & contueri Christum, & postmodum dimissis lacrimis ubera fugere? Quia S. Paulus secundum ordinariam naturæ infantia que legem loquebatur, qui prius parvuli, postea sunt viri: nonster verò Sanctus, tanquam ab eadem exemptus lege, & non tanquam infans quæ infans, sed tanquam infans & simul vir operabatur.

Hinc pro majore casus nostri stupore sequitur, quod non cessare à fletu, & idem non fugere ubera, nisi posito ob oculos Christo, in Sancto nostro, non animales & infantis, sed rationales & viri fuerint actus. Ad probandam consequentiam hanc maximam, cum fide & Theologia suppono tria: primum, Deum ultimum hominis esse finem: secundum, omnes humanas, & propriè viri actiones ad ultimum finem esse dirigendas: tertium actiones ad hunc finem non directas, quamvis à viro exercitas centenatio, non humanas, neq; viriles, sed pueriles esse & brutales. Porrò indistinctè dico pueriles seu brutales; æquè enim animalis est actio in puero fugere & flere, quàm fugere & balare in agno. Neque exemplum vel

vel nomen pueri centum annorum novum quid est in hoc casu : pueros enim centum annorum, Isaias Propheta vocat eos, qui puerorum more operantur : *Puer centum annorum*. Et licet parvulus noster posito sibi ob oculos Christo, qui ultimus est hominis finis, cessans à fletu ubera sugebat, idem à fletu cessare, & ubera fugere, quæ aliis in pueris actiones sunt animales & pueriles, in ipso rationales erant, & viri. O quam magnus puer, quamque magnus vir es, mi sancte! Idem de se S. Paulus adstruebat : *Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. S. Gundisalvus magis quam S. Paulus erat parvulus; nam S. Paulus in ætate jam loquebatur, in qua se parvulum vocat, *loquebar ut parvulus* : Et S. Gundisalvus nondum loquebatur, neque loqui cæperat, nisi duobus ab hinc annis : & quando Apostolus tertii cæli erat parvulus, & operabatur ut parvulus, & ad virilem ætatem multi adhuc deerant anni; non eadem in ætate, sed multò ante, adhuc mutus & totus puer & infans, parvulus noster simul jam vir erat. Ex eisdem ergo S. Pauli verbis, S. Gundisalvus illud auferat *quando autem*, sibi que prima & ultima verba appli-

cando dicat confidenter : *Cum essem parvulus, factus sum vir*.

S. IV.

Quantum ad Vigiliam secundam fuit Sanctus, & admirabilis Sanctus, S. Gundisalvus in ætate Juvenili; factus enim annis illis pastor animarum (officium tam periculosum propriæ, quam utile alienis) sic se impendit uni, ne obligationi deesset alteri, ut satisfaceret utrique. Deerant Prælato novo cani, in Sacerdotio splendor coronæ, & in Prælato dignitatis decor : sed nihil defuit eorum quæ cani significabant, & non infrequenter verificant. Sunt quasi nives, quibus Æthna mons semper obtegatur, sub quibus latent ignes & incendia : sunt velut illa, quæ Magister divinus vocat *sepulchra de alba*, de foris alba, intus corrupta; esse quoque possunt illi similes arbori, cui jam Sanctum nostrum in sensu sublimi comparavimus. De ea inquit Propheta : *Folium ejus non defluet*. Porro arbores non mutant folia æquè virent minorennes, ac annosæ. Quantum verò majore cum indecore in senibus admiranda est viriditas, tantò magis in juvenibus veneranda est maturitas. Veri cani, testimonio Spiritus sancti in prudenti consistunt iudicio; & senectus non in capil-

Isai. 65.
v. 1.

1. Cor. 23.
v. 11.

Matth.
23. v. 27.

Psal. 1. v.
3.

Sap. 4. v.
8. 9.

lorum colore, sed in vitæ puritate consistit: *Canis autem sunt sensus hominis, & atas senectutis vitæ immaculata.* Capilli optimi, pessimumque quod unquam fuit caput, illud Absalonis fuit: capilli appendebantur auro in pretio; caput verò omni pondere carebat. Sunt etiam capilli, qui videntur aurei, & sunt argentei deaurati; & illud pessimum inest canis, quod tingi queat. Non tales sunt capilli nigri, qui alium non admittunt colorem. Hinc cultos in Eclogis Salomonis, in pastoris sui capillis unice laudavit, quod corvini essent coloris: *Comæ ejus sicut elata palmarum, nigra quasi corvus.*

Cant. 5.
v. 11.

Cùm itaque pastorum omnium optimus maximusque sit pastor & juvenis, summo honori Sancto nostro vertendum est, in eadem ætate, juventute scilicet, pastorem fuisse electum. Juvenis erat Abel, & quis pastorum illo religiosior? Juvenis item erat Jacob, & quis pastorum illo vigilantior? Juvenis erat David, & quis pastorum ipso animosior & robustior? Leone (inquit Scriptura) agnum tapiente per caput, pedum ungulis illum è faucibus eruebat: & si illum à pedibus de glutisset, auribus ipsum è visceribus extrahebat. *Ætas senectutis auctibus nimis est*

frigida. grex hominum difficillimè regitur & custoditur. Quadraginta jam annis Moyles sine ullo sui discrimine oves paverat, & duobus nondum elapsis annis, jam hominum pastor factus non nisi vico protegente, vitam propriam conservare poterat ab eis, quos ipse pascebat. Ille deducebat eos ad bibendum è limpidissimis torrentibus Jordanis; & hi ad turbidas Nili, limosasque Ægypti aquas suspirabāt. Maximus hodie in pastoribus notabilis defectus, est ille generositatis. Quam nisi S. Gundisalyus ostendisset ante, non minùs culpà vacasset, qui baculum pastoriticum illi in manus tradidit, quàm ipse acceptando. Nisi animus tibi sit ad impedienda & arcenda vitia, vultumque verearis potentum, Judicis, quæso, ne ambias acceptesve officium: *Noli fieri judex, nisi valeas irrumperè iniquitates, ne forè extimescas facièmpotentis.* In mansuetorum ovium grege etiam inveniuntur habentes cornua, quibus utrimque pugnent, omnes nihilominus timent veneranturque pastorem. Hoc fiebat olim sub Pastoribus Chrysofomis, & Ambrosiis, quamvis potentissimi gregis essent Theodosii & arcadii. Ni pastores hodie sic attendere respectibus, majore utiq; ipsi haberentur in honore. Talis fuit Gundisalyus tametsi juvenis.

Eccl. 7.
v. 6.

Quo

Quo tempore suam rexit Ecclesiam, multa de ipso, omnia bono pastori propria narrant Historici. Quod se non operuerit lana ovium, neque lacte, nedum sanguine ipsarum se paverit, referunt: quod patrimonium Christi non multiplicandis famulis, canibus aut equis, neque amplificandæ familiæ, exornandisque parietibus insumpserit, dicunt. Quod reservatâ tantum sibi frugali, & congrua mensâ, reliqua omnia non velut propria, titulo charitatis, sed velut propria ipsorum titulo justitiæ, pauperibus distribuerit, scribunt. Non solum auribus cum prædicasse dicunt, sed multo magis oculis; si quidem exempla suæ vitæ animam suæ addebant doctrinæ. Hæc & alia multa historici referunt, sed omnia in genere. Quoniam verò de tempore, quo sanctus noster fuit Pastor, unum tantum in specie referunt casum; ex hoc colligere licebit alios, & ex operandi modo, qualis fuerit, colligemus. Abusus in subiectis S. Gundisalvo parochiis invaluerat, qui, pro dolor! hodie dum adhuc perseverat in aliis, quod excommunicationis metus evanisset. Erant Gentis illius, quæ invisibilla non credit; magisque sentiebant, & acerbius ferebât poenam quàm multabatur in erumena, quàm quæ eodemnabantur in anima, San-

ctus itaque die quadam pro concione, abusum hunc turpem à fide non minus quàm Religione Christiana alienum demonstraturus, mulierem canistrum panibus plenum ferentem transire videns, ad se venire, canistrumque cum panibus ad pedes suos deponere iussit; quo factò, voce terribili excommunicationis formâ super panes pronuntiata, qui erant candidi, de repente in carbones sunt conversi. Obstupuerunt omnes, & præ cæteris mulier inops, suos panes jam perditos reputans. Verùm enim verò visione tam stupendâ, & conversione tam repentina jam persuasum illis videns, quod intellectu capere nequibant; etiam, inquit Sanctus, ut vidratis effectum absolutionis in excommunicatis, verba absolutionis super carbones protulit, eodemque momento & modo eodem, in candidos æquè ut fuerant ante, panes sunt conversi.

Utroque demonstrato miraculo, præcepit sanctus Gundisalvus mulieri cum benedictione domini suum tollere panem. Hic singulariter considero, cum non semel, sed bis panis esset miraculosus, duplici ratione Sanctus illum Ecclesiæ applicare potuisset. Otemporalis Ego novi pastorem sive parochum, qui excommunicationis seu vi,

sen

seu beneficio habuit panem, quo multis diebus suam sustentaret familiam, multò sanè illa S. Gundisalvi numerosiore. Enim verò cur idem ille non fecit? saltem præcipere debuisse videtur, ut panes conversi in carbones in perpetuam rei memoriam, casusque horrorem asservarentur. Quare igitur panem suum tam numero quàm colore integrum ut ante fuerat, mulieri reddi iussit? Quia non ignorabat bonus, lucrique non avidus pastor, extra rationem esse, impendiis panis alieni mira operari. Quot in hoc mundo videmus miracula, quotque homines miraculorum arbitros, & omnes expensis, panis alieni, & neminem sui? Etiam Deus quotidie sustentabat panibus duobus, & S. Paulum primum Eremitam quotidie dimidio: & cum utriusque miraculi administri essent corvi, semper panis erat de mensa mandantis pasci famelicos, & non aliunde sublatus. Generis istius fuit maximum illud quinque panum miraculum, qui in tot millia multiplicati, ut paverint quinque millia hominum, totque superfuerint cophini fragmentorum. Ista verò fragmenta residua pro quo fuerunt? pro dominis quinque panum, qui fuerunt Apostoli. Simile miraculum jam vidimus, & videmus. Quod heri numerabatur

per unum, hodie numeratur per millia & milliones. Sed cuius expensis? eorundem qui materiam præbent, & capitale pro miraculo. Et loco ejus, quod in multiplicatione, & saltem in fragmentis partem habeant, ad suos usque quinque panes eos excommunicant, ita, ut eos perditos potius, quàm lucrari velint; quia in carbones tantummodo conversos illos relinquunt.

Grandis hujus jacturæ, afflictionisque magnæ remedium jam tradidit S. Gundisalvus, si esset qui ab illo discere cuperet. In quo remedium hoc constitit? in convertendo carbones denuo in panes: quemadmodum in carbones ante fuerant conversi. Non consistit perfectio miraculosi in potentia mira patrandi, sed in scientia dissolvendi & in nihilum redigendi. Rationem in nostro habemus casu; ubi enim miracula vergunt in damnum, ad resarciendum miraculi damnum, necesse est ut secundum dissolvat, quod primum fecit. Facta ab Angelo promissione magna Gedeoni etiam pastori, in promissi confirmationem duo hic ab illo miracula petivit sub hac conditione, ut quod primum, dissolveret secundum. Acceptum igitur ab ovibus suis vellus in medio posuit areæ, dicens: volo, ut decidens hæc nocte ros lanam tantum & non arcam

aream madidet : & sic factum est. Die altero, eodem in loco vellere posito, dixit: modò volo ut descendens hac nocte ros in aream, & nulloatenus in lanam cadat: & similiter eodem evenit modo. Verùm enim verò quare Gedeon non uno tantùm contentus fuit miraculo, sed duobus; & ut dissolveret secundum, id quod fecerat primum? quia certus esse cupiebat de promissione Angeli, & nosse qualia essent miracula Dei: noverat enim quod cum ros communis esset omni terræ, Deus non posset unam ejus partem defraudare miraculo primo, quin damnum illi refarciret miraculo secundo. Istud petiit Gedeon; istud fecit Gundisalyus: & nemo istud satagit imitari. Sufficitne omnia in commodum converti particularis & privati, & nihil in usum communitatis: omnia esse pro vellere Gedeonis, & pro area nihil? Ita hoc sine omni æquitate prædicant & exequuntur, qui jus sibi vendicant etiam in illud, quod è cœlo descendit: & quantæcunque desuper quarimonix in ipsum usque cœlum ascendant, nullus hæc miracula patrantium ea dissolvere curat. Si dedecori sibi ducant, minorisve autoritatis argumentum opinentur, posse dissolvere quod fecerunt, decipiuntur: multò quippe potentiores sese ostendent

Pars V.

in miraculo destruendo, quàm illud patrâdo. Ecce quâ clarû hoc, in nostro casu (panem convertere in carbonem, ignis amburendo efficere potest: carbonem verò convertere in panem solius omnipotentiæ est, supra omnem naturam legem operantis.

In hoc denique miraculo bonus noster Pastor expressit semetipsum, qualis esset ostendendo. Miraculum istud inversum habuit, & directum, talesque oportet esse, qui regunt homines. Pastorem bonum, non totum seu bonum nimis esse decet: *Cum electo electus eris, & cum Ps. 19. v. 2*
perverso perverteris. Non omnia indulgentiam sapere, neque omnia censuram redolere fas est. Excommunicationes habere debet pro rebellibus & contumacibus, & absolutiones pro contritis & penitentibus: & tam pro hominibus instar panis candidis, quàm pro nigris instar carbonum, nosse ipsû oportet, in opus producere, & in nihilum redigere; convertere, & invertere. Deus nabuchodonosorè in jumentum convertit ex homine; & postea cum denuò ex jumento convertit in hominem. Virga Moysis idem erat baculus pastoritius, quo suas regibat oves. Quas autem qualitates habebat iste baculus? aliquando ex virga in serpentem, & quandoque vice versa ex serpente convertebatur in virgã, Neque enim ex eo quod

D d lex

lex Christi, lex sit gratiæ, omnia in ipsa gratiam sapere debent. Legis ejusdem Author pastorem supremum S. Petrum instituens hac usus fuit cæremonia, quod cæli terræq; claves manibus ipsius traderet. Et cur, quove mysterio claves? quia clavis hac vel illa via versa claudit, seu aperit. Non omnia claudenda, ex severitate; neq; omnia referenda ex nimia benignitate. Pro rei casu ve exigentia pessulum aut removendum, aut intactum relinquendum. Veruntamen cum potestatis pastoralis insignia sint claves, jam alia occasione notavi, non dixisse Christum, quod clausus erit clausus, & quod referaveris erit apertum; sed quod ligaveris erit ligatum, & quod solveris erit solutum. Et quare? quia Christus vult tales esse suos pastores, qui ligare sciant & solvere, & non homines, qui nec ligent nec solvant. qui quoniam non ligant, vitis luxantur habentæ; & quoniam nō solvant, captivæ tenentur virtutes. Osi hodie S. resurgeret Gundisalvus, quàm immutata viderentur omnia! sed vereor ne nostra hoc non mereantur tempora, uti nec ejus tempora sunt promerita.

S. V.

Quantum ad Vigiliam tertiam, fuit Sanctus, & admirabilis Sanctus, S. Gundisalvus in ætate

virili: eam enim vix ingressus, ex patria egressus, peregrinus Jerusalem est profectus ad invensanda sacra peracta ibidem Redemptio- nis nostræ loca, vitam residuam ætatis illius, in terra sancta, uti fecit, transacturus. Non miror in notabili hac resolutione patriæ derelictionem, ubi amor naturalis fortes illas dulcesque mittere consuevit radices, quæ difficultate tanta eradicantur & evelluntur: sed quando te, mi Sancte, cum baculo pastoralis in baculum mutato peregrini, deserentem video & tuas & Christi oves, ad emetiendos venerandosq; passus & gressus, quos idem Dominus ad eas pascendas in hac vitæ mortali confecit, & ad redimendas moriendo absolvit, hoc ipsum nec admirari satis, nec capere sufficio.

Christum semel mutato habitu, peregrini formam assumpsisse novimus: sed quando, & quo fine eodem Resurrectionis die, quando jam triduo ante dixerat, quod percussio & occiso pastore, dispergendæ forent oves: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*: Quoniam duæ earum errantes, & quasi jam perditæ de Jerusalem pergebant in Emmaus, hujus rei causæ Dominus peregrini habitum assumpsit, ut eas reduceret, suoque denuo gregi associaret. Si igitur Christus taquã Pastor bonus pere-

gri-

Matth.
26. v. 38

grinum induit, ut erroneas oves de Emmaus in Jerusalem reducat, Quonam pacto Gundisalvus Christum imitaturus peregrinatum in Jerusalem abit, non duas tantum oves, sed totum sibi tanquam pastori commissum gregem in Emmaus reliquens? Emmaus idem significat, quod, *consilium timēs*; Istud verò consilium non solum timidum, sed temerarium quoque fuisse videtur. Evangelista notat, Emmaus ab Jerusalem sexaginta stadiis distitum fuisse: *Stadiorum sexaginta*: quæ nostro metiendi modo tria efficiunt milliaria: Porro si Christus non est passus, ut à grege sua duæ aberrarent oves duabus leucis, easque per media compita sedulo quæsitum abiit in media via: *Ipsè Iesus appropinquans ibat cum illis*: quomodo S. Gundisalvus à suis se ovibus subducit & recedit, distantia non minore quàm ceterum milliariis, quot Lusitania à Jerusalem distat? ulterius observat Evangelista, eodem die sollicitudinem hanc & diligentiam à Christo habitam & adhibitam: *In ipsa die*. Si pastor bonus eodem die ram modicam gregis sui partem a deo curat, quo pacto S. Gundisalvus gregem suum totum deserit, tamque peregrè ab eo victurus abit non minore temporis, quàm quatuordecim integrorum annorum intervallo?

Si quis tam memorabili Sancti

nostri resolutioni excusationis velum oppandere satagat, ægrè inveniet, quod satisfaciat. Si dixerimus quod mentis fuerit terram suam commutare cum terra sancta, hæc equidem ratio non sufficit, quamvis videatur pia, ad deserendum gregem cum sit pastor: quamvis enim terram suam commutare pro terra sancta, esset commutare terram pro celo: commutandum esset cælum pro terra, necdum ad invigilandum toti gregi, sed uni tantum illius ovi. Quis pastor, inquit Christus centum habens oves, si tantum vel una erraverit, seu perierit, non relinquit nonaginta novem in deserto, & vadit quærere perditam? ita fecit Christus. ovis perditæ erat homo: nonaginta novem, erant novem Angelorum chori: porro desertum ubi eos reliquerat, erat cælum: Et si pastor bonus & verus deserto cælo venit in terram, ad succurrendum perditæ oviculæ tantum unis: Quamvis in Gundisalvo terram suam mutare pro terra sancta, fuisset mutare terram pro celo, talem commutationem nullatenus facere debuisset, sed deserere & commutare cælum pro terra, non tantum ad integrum suum conservandum gregem, pro ut dixi: sed ad invigilandum & succurrendum uni tantum illius ovi. Porro si obtendere libuerit, quod

Luc. 24.
v. 13.

Ibid. v.
15.

Ibid. 13.

in terram sanctam instituta peregrinatio, animo & desiderio infideles Mahometanos seu Judæos terræ indigenas seu dominos convertendi fuerit assumpta; Hæc quoque excusatio est insufficientis, & ab exemplo Christi aliena. Apostolis interpellantibus ut clamantem Chananæam, quæ gentilis erat, exaudiret, respondit Christus, commissas sibi oves non esse Gentiles, sed Israëlitas: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Et huic inhærendo doctrinæ suis mandavit Discipulis, ut non nisi Judæis prædicarent: *In viam Gentium ne abieritis*. Proinde sicut oviculæ, quas sanctus Gundisalvus in patria, & sua in Ecclesia dereliquerat, erant ipsi à Deo commissæ; tametsi peregrinatio ipsius Jerosolymam versus, ad conversionem aliorum ex paganismò fuisset directæ: zelus cum officio ipsius & obligatione collatus, non tantùm non laudabilis, sed omninò illicitus videtur.

Respondeo primo, peregrinationem S. Gundisalvi in terram sanctam, non licitam solum fuisse & laudabilem, sed verè sanctam. Siquidem non spiritu proprio & devotione sua, sed speciali vocantis Dei impulsu fuit assumpta. Videamus casum in historia sacra resolutum & definitum. Pa-

storem agebat Moyses, commissas sibi à Jethro oves in desertis Madian pascens, quando eminens rubus ardere, & non comburi vidit. Moyses admirabile illud propius intueri decrevit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*: *Exod. 3. v. 3.* Aitque textus quod Deus videns ipsum motu proprio ad videndum pergere, ipsum vocando pergere iusserit: *Cernens quod pergeret ad videndum, vocavit eum*. Enim verò si Moyses motu proprio iam ibat, quare Deus illum vocabat? Quia catus hic similis erat illi nostri Sancti, in quo non sufficit inclinatio & resolutio propria, sed insuper specialis divina requiritur vocatio. Rubus ardens & incombustus, juxta communem Sanctorum sententiam, mysteriũ, & mysteria Redemptionis humanæ significabat: quod idem Dominus confirmat, qui ad liberandum populum suum descenderat: *Descendi ut liberem eum*. Terra in qua rubus erat, terram denotabat, quæ nunc sancta vocatur, qualem ipsam vox de rubo nuncupavit: *Locus enim in quo stas, terra sancta est*. Porro pastori, qualis Moyses erat, ad dimittendam, uti dimisit, ovium suarum custodiam ut pergat ad videnda propiusque contemplanda Redemptionis nostræ mysteria, terramque sanctam nudis

Math. 13. v. 24

Math. 10. v. 5.

Ibid. v. 4

Ibid. 8.

Ibid. 5.

nudis

nudis venerandam pedibus, non sola sufficit voluntas deliberatioque propria, sed specialis Dei requiritur instinctus & vocatio: *Cernens quod pergeret ad videndum, vocavit eum.* Sic fecit Moyses, qui tunc officium simul cum Grege totaliter dimisit: Et idem fecit noster Sanctus, similiter à Deo vocatus & inspiratus: proinde non licite tantum & laudabiliter, sed sanctè, perfectissimoque virtutis actu.

Quod si magnum nobis dubiū movit ex parte peregrini nostri illa oves deserendi resolutio; multò sane majus est illud ex parte Dei, quod in vocatione divina tam peculiari, rara, ipsique Deo inusitata admirari oportet, pro ut nunc videbitur. Mystica illa custos in Canticis à Divino suo petiit pastore, ut sibi ostenderet, suas oves ubi pasceret, & ubinam quiesceret in meridie, ne in cassum illum vagabunda quaereret alibi: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post Greges sodalium tuorum.* Et quid illi pastor supremus responderet? primo illi dixit, quod se ipsum non novisset, *si ignoras te:* Si enim, quid muneris esset novisset, simile quid non peteret: unde nec petito annuit, sed Gregis sui vestigia sequi, aliorumque more pasto-

rum cum pascere jussit: *Egredere, & abi post vestigia Gregum, & pascere hados tuos juxta tabernacula pastorum.* *Ibid. 7.* Equis non facile videtur brevi hac historia, quam similis fuerit animæ sanctæ petitio, sancti nostri desiderio; quamque differens obtenta à Christo responsio, ex cujus ore audivit eadem anima, quæ animarum omnium Ecclesiæ suæ pastorum, vel maxime amantium personam gerit? Animæ sanctæ petitio, & sancti nostri desiderium nihil respiciebant aliud, quàm invisere loca, ubi Christus celestis suæ Doctrinæ pabulo suas pavit oves; & ubi tandem in meridie, non sub arboris crucis umbra, sed in ipsa acclavatus mortuus fuit & quievit. Illud insinuat, *ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Porro si petenti Sancto nostro Pastori actuali peregrinationem hanc Christus idem concessit; ut inviseret, ac loca ea sacra incoheret; quoniam pacto animæ, custodiq; sanctæ, omnium cæterorum pastorum personam gerenti nullatenus Christus, idem desideranti indulget; sed absolute oves suas pascere mandat, & quilibet, non Christi in Jerusalem, sed Gregis sibi commissi in terra sua vestigia sequi curet: *abi post vestigia Gregum?*

Quod ex admirabili differentia hac sequitur, est, quàm singulari-

ter Christus eximios æstimârit affectus, quibus sua in Peregrinatione S. Gundisalvus vitæ mortisque ipsius Christi imitatus est passus : cum devotionem hanc & desiderium , obligationi suæ oviumque suarum anteposuerit curæ. Utrumque inusitata emicuit excellentia : multo tamen admirabilior in Christo, quæ nondum sufficienter est experientia, nec condignè exaggerari potest ; nisi ipsum audiendo Christum cum S. Petro, id est, Pastorem supremum cum Pastore secundo loquentem. Christus Redemptor noster interrogavit S. Petrum, utrum plus cateris se amaret Discipulis : *Simon Ioannes diligis me plus his ?* S. Petro debita respondente modestia : *Tu scis Domine, quia amo te.* Christus intulit, ergo Petre, si amas me, *pasce oves meas.* Hac prima recommendatione facta, Christus eandem iteravit interrogationem ; & Petro eodem respondente modo, replicat Christus, si diligis me, *pasce agnos meos.* Super amore duæ jam interrogationes præcesserant, similiter duæ Gregis recommendationes fuerant subsecutæ, quibus Christus adhuc tertiam adjunxit : *Dicit ei tertio :* Ita ut Petrus contristaretur, ac si Magister Divinus cui omnium secreta cordium patent, de amore suo dubitaret, vel

de sua cura & sollicitudine diffideret. Si igitur Christus trina vice amorem S. Petri examinat, non solum magnum, sed majorem cæterorum amorè efflagitat, symbolūque hujus terna vice ab eo non exigit aliud, quàm ut oves agnosque Gregis sui pascat : *Pasce oves meas, pasce agnos meos :* Quis novus, vel quis alius est iste seu Gundisalvi erga Christum, seu Christi erga Gundisalvum agendi est stylus ; cum vice ejus, quod commissi custodiam Gregis illi continuare præciperet, eandem deserere quasi jubeat inspirando, ut more peregrini Jerusalem pergat, non ad invisendum, sed incolenda loca, ubi Christus ipse conversatus mortem tandem appetierat ?

Eadem utiq; vita & mors Christi firmiter adeo & ardentè Pastoris nostri Peregrini infixit memoriæ, non secus ac amatæ istius Rachelis forma memoriæ infixæ hæsit Jacobi, postquam voluntarius exul bis septem annis pro illa servivit : cum non desideraret nisi oves, & suspiraret agnos quos pascebat, incipiens à Nazaretho, & finiens in oliveto, & hunc amabilem circumeundo circum, totiesque pausando, & subsistendo, quot fuerant seu erant absentis amoris sui passus. Verùm enim verò quis hujus singularis adeo novitatis, & insolitæ,

Joan. 21.
v. 15.

Ibid. 7.

solitæ, & sine exemplo æstimationis Christi Mysterium nobis explicabit: Primum quod quasi obvium in hoc puncto considerandum mihi occurrit, fuit, quod in puritatis virginæ, quâ Sanctus noster semper coluit & conservavit præmium; Deus ipsi cōcedere voluerit in terra, quod Virginibus solum concedit in cælo. Virginibus in cælo cōcessum est privilegium, teste S. Joanne in sua Apocalypsi, quod ipsæ solæ sequantur agnum, qui est Christus, quocunq; jerit: *Virgines enim sum: hi sequuntur agnum, quocunq; jerit.* Veruntamen Virgines in cælo non sequuntur gressus agni, sed ipsum contemplantur agnum: Et S. Gundisalvus, absq; eo quod videret, & videre posset agnum, gressus ipsius & vestigia legebat & venerabatur. Illæ sequuntur gressus & vestigia agni ubi degit agnus: S. Gundisalvus eadem non sequebatur vestigia & gressus, ubi erat, sed ubi fuerat agnus; & quia ibi tantum fuerat, inde nequibat avelli, O singularem & admirabilem excellentiam! Et concludendo dico, hanc ipsum fuisse quam Christus tantopere amatus, tanti fecit. Prima persona, cui Christus Resurrectionis suæ diluculo apparuit, fuit Maria Magdalena, testantibus Evangelistis Sed quare Magdalena non solum præ cæteris mulieribus de-

votis, sed ipsius etiam Apostolis hoc tam singulare meruit privilegium? Scripturam Sacram, & quod illa fecit revolvite, & mox ratio patebit. Mulieres aliæ, dicentibus sibi Angelis Christum resurrexisse, nec ibi amplius quærendum, abierunt: SS. Petrus & Joannes repertis in monumento, non nisi mortuali amictu & sudario, & non corpore, similiter abierunt: Magdalena verò, sicut & reliqui, sciens ibi sepultum fuisse Christum, sufficere sibi putabat id ipsum, ut inibi perseverans inde non recederet: ita ut reliqui à sepulchro recesserint, quia Christus non erat ibi: Amor verò Magdalenæ eam inde recedere non permisit, tametsi enim Christus in sepulchro jam non esset, ibidem fuerat. Et quemadmodum suffecit, Christum in illis positum & conditum fuisse petris, ut Magdalena ab illis recedere nequiret; hæc similiter ex parte ipsius fuit excellentia, & ex parte ipsius Christi ratio, cur tanti amorem ipsius fecerit, omnibusque anteculerit,

Hoc modo S. Gundisalvus non tantum Christi adhærebat sepulchro; sed omnibus locis aliis, ubi Christus seu vivus seu mortuus fuerat commoratus: Excellentè hoc modo rependens & respondens amori, quo idem
Chri-

Christus, quæ Verbum, solas suas delicias reputavit, cum hominibus conversari in terris. Notate bene. Fundamenta in hoc mundo jecerat sapientia Divina, ipsum scilicet Verbum, & inquit, quod delectationem quærens in terrestribus, non aliam invenerit, quam esse cum filiis hominum: *Delectabar* Psal. 8.
v. 30. 31. *per singulos dies, ludens in orbe terrarum; & delicia mea esse cum filiis hominum.* Sed si tunc nondum illis in locis agebant homines, quo pacto Verbum delicias suas habebat cum eis? Quia quamvis tunc nondum essent ibi, ibidem tamen postea futuri erant. Quasi Verbum dixisset. Hic terrestris erit Paradisus, cujus delicia erunt esse cum Adamo; Hic fabricabitur arca, cujus delicia erunt, esse cum Noë: Hic Civitas fundabitur Hebron, cujus delicia erunt, esse cum Abrahamo. Hic erit terra Hus, & delicia erunt, esse cum Jobo; Hic elevabitur mons Sinai, & delicia erunt cum Moyse versari: & sic de aliis hominibus & locis. Simili modo S. Gundisalyus, in Nazareth, inquebat, hinc incarnatum est Verbum: In Bethlehem, hinc Christus est natus: In Monte Thabor, hinc Christus est transfiguratus: In Calvario, hinc est mortuus: In Oliveto, hinc ascendit in cælum: & in omnibus istis locis, erant delicia ejus

esse cum Christo, non quod ibi adhuc esset, sed quod ibi fuisset. Ita ut Verbum supponendo futurum, & S. Gundisalyus supponendo præteritum, æquali ambo amore & excellentia, Verbum suas habuerit delicias cum hominibus, ubi nondum erant, sed quo venturi erant: Et S. Gundisalyus suas haberet delicias cum Christo, ubi non erat, sed quia ibi fuerat. Hoc proinde extraordinario, & singulari modo Peregrinus noster excellentius omnibus implevit, quod Deus per Isaiam promiserat, se gloriosa redituro loca quæ pedibus suis calcasset: *Et locum pedum meorum glorificabo.* Isai. 63. v. 18.

§. VI

Quantum ad Vigiliam quartam, Sanctus, & admirabilis Sanctus fuit Gundisalyus in senectute: In desertum enim secedens ad agendam vitam Eremiticam mundum seivit relinquere, antequam relinqueretur ab ipso. Noluit inveniri à morte in medio populi muris circumsepti, sed in deserto abiit & solitudinē in campo eam expectaturus. O generosam convenientissimamque resolutionem! Cum senectus vitæ mortisque sit Horizon, Horizon ubi terra cum cælo, & tempus cum

ater-

æternitate conjungitur: Quam, quæto, salubrior, canorumque maturitate dignior dari potest resolutio, quam dies illos paucos vitæ residuos & incertos, æternitatis contemplationi dedicare? non fuit admirabilis noster senex, quia istud fecit; sed verè admirabilis existit, quod fecerit id, quod omnibus senibus fuit, & est faciendum, & neminem facere videmus. Sapienter sanè notavit Seneca, omnia alia quamvis tot, tamque varia mortis genera spem admittere evadendi; mortem tantum quæ senium sequitur omni spe carere. Occidit infirmitas, perimit incendium, vitam eripit naufragium, occidit gladius, interficit sagitta sive emissa, sive retorta; sed ex omnibus hisce generibus mortis multi evaserunt: mortem tantum senii pedissequam nemo evasit: *Alii genera moris spe mixta sunt; nihil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem.* Porro cū spes hæc sit adeò desperata, opinio mea magis admirandæ sunt senectutes nostræ, quam illa S. Gundisalvi, agnita cum eis veritate. Quo diutius in mundo viximus, tantò magis & mundum, & vitam ipsam diligimus: quantoque plures numeramus annos, tantò pluribus radicibus terræ infixi sumus. Sed considerare lubeat, quam differenter senex noster Sanctus

cæteras transierat ætates, comparando eas nostris, quas viximus, & dissipavimus. Et hinc vel maxime illum fateamur singularem: & videremur admirabilem.

Denique S. Gundisalvus non habens quare fugeret à se, fugit à nobis in desertum, extracto angusto ad ripas fluminis Tamaga ad mensuram sui spiritus tuguriolo: ibi cū solo Deo transigebat dies, noctibus in altissima suspensus contemplatione summi boni, cujus brevi sperabat visione frui. Nec erat, nec audiebatur in loco illo beato strepitus, qui sancti Anachoretæ quietem interturbaret, nisi inundationum & tempestatum tempore, mortuales eorum gemitus & voces, qui furiis procellisque fluminis abrepti, vel reciprocantibus undis subito obruti & præfocati miserè peribant. Singulis annis naufragium patiebantur multi, multoque plures amissos parentes, filios, vel maritos deplorabant. Et quid cor amore divino inflammatum istud audiens vel videns faceret? Quanto ardentior in Sanctis agit amor Dei, tantò quoque fortius & solitius operatur in eis amor proximi. Orabat continuò, sed quia ordinariè ad humanos alleviandos labores parum conferunt manus otiosæ, quamvis ad Deum expansæ: pauperis solitariique Ere-

Seneca
epist. 30.

mitæ spiritus id aggressus est, quod nunquam vel potentissima Regum brachia attentare præsumpserunt, scilicet utramque fluminis Tamaga oram mediante conjungere ponte, pedibusque transeuntium feritatem & furiam substernere fluminis, quod tot & tantos abforbuerat.

Ingens profectò molimen ! sed tam ab aggregiētis subjecto remotum; quam omnibus consideratis circumstantiis, ad exequendum difficile & impossibile. Proinde imaginarium deridebant remediū, qui toties vera deploraverant pericula. Enim verò si in novo Architecto, non nisi annorum debilitas pondusque consideraretur: senectus ætas est, qua jam laboratum est, & non ad laborandum; & jam fecisse, & non ad faciendum idonea. Et quam conveniens videtur, in quibusdam, quod Anachoreta non nisi contemplationibus assuetus, tanti operis machinam exequi præsumat! Si S. Petrus stultus & ignorans audivit, quod, jcum piscator esset, tabernacula construere voluerit; quid quæso de nostro diceretur Eremita pontes extruere parante? Hæc vulgi improbatio superficie tenus longe majus in spiritu ali & ascetica Theologia habet fundamentum. Quando Martha de sorore sua Maria fuit con-

questa, quod se non adjuvaret, Magister divinus respondi t; *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris* Luc. 10. *erga plurima. Maria optimam partem elegit.* q d Hæc tua cura & sollicitudo, quamvis non careat intentione bona, ad nihil aliud facit, quàm ad te perturbandam & distrahendam in rebus multis à professione Mariæ alienis: porrò si ipsam ad pedes meos sedentem & audientem otiosam existimas, deciperis; meliorem enim mihi que gratiorem partem elegit. Et idem doctrina Christi S. Gundisalvo hoc casu & contra animi sui decretum dicere videbatur. Maria vitam significat contemplativam & mysticam quam profitentur Eremitæ; Martha vitam significat activam, quæ actionibus externis occupatur, quamvis in Dei proximis; servitium; & si vita hæc domesticos inter parietes, & circa mentem tantum necessaria occupata adeò perturbabat distrahebatque Martham: quantum senem nostrum Eremitam continuo perturbari oportuisset tanti moliminis pontem perficiendo? audire puto currum strepitum, lapidum, lignorum, & continuos instrumentorum, architectorum & operariorum ictus; hos aptantes, alios dolantes, alios fabricantes & erigentes machinas ad sustentan-

dos arcus, & construendos de super præparatos jam lapides : ipsum etiam operis præfectum, & directorem in tot partes, cura & oculis in omnium manibus distractum. Ecce an non huic suæ fatigationi melius quàm Marthæ illud quadrasset, *Solicita es & turbaris erga plurima.*

Verùm hoc ipsum vel maximè altissimum contemplationis probabat gradum, quem S. Eremitæ spiritus jam attigerat. Animam ipsã jam vitæ contemplativæ apicem assecutum nec actiones impediunt à contemplatione, nec contemplatio impedit actiones, sed tota intra se, & extra se tota, simul exterius operatur, & interius contemplatur. Quænam vita magis est activa & actiosa, quàm illa Angelorum semper & sine cessatione occupatorum & agentium? *Omnes sunt administratoris spiritus in ministerium missi.* Custodes Angeli diu noctuque super concredito sibi homine excubant; Regnorum & Monarchiarum custodes regimini semper invigilant, ut tam in bello, quàm in pace, & aliis quibuscunque eventibus qui incessanter accidunt, ea conservent: Angeli astrorum præsidēs, qui tam composito ordine, harmoniaque tam decantati gubernant, & quilibet commissam sibi Stellam

movet, quæ omnes mundo hoc sunt majores. Et de omnibus hisce dixit Christus: *Semper vident faciem Patris, qui in calis est.* q. d. *Matthi. 18. v. 10.* Semper contemplantur faciem Dei, ac si omni vacui occupatione & cura, quiete ac tranquillitate fruerentur Empyrei. Et hujusmodi erat verè angelica, Anachoretæ contemplatio, tanta gaudens quiete & tranquillitate in mediis tumultibus ac negotiis, ac si eremo ac cellula sua non fuisset egressus. De quo idem dici poterat, quod de ipso Deo, à cujus contemplatione nunquam recedebat:

Immotusq; manens das cuncta moveri.

Superatâ hæc apprehensione primâ, cognitâq; concordia & harmonia, quâ in spiritu perfecti conjunguntur vita activa, & contemplativa, quam non intelligebant, considerantes Eremitam nostrum in professionis suæ exercitio turbatum & distractum: sequitur secunda, in qua omnis humana prudentia, & providentia multum inveniebat consideratione dignum. Si Turris Babylo-nicæ fabricatores, cum homines esset in mundo concordēs, eidemq; consilio & operi intenti non alium, quàm confusionem temeritatique suæ sortiti sunt exitum: non magnam sanè senis nostri canis intulisse censendi sunt injuriam, qui opus improbabant, quod solus ipse

& unius (quamvis ætate foret vivacior & robustior) tale in eo opus machinaretur. Sed quod nemo credebat , nemo sperabat , aggressa , profecuta est , ad finemque eleduxit in S. Gundisalvo charitas & dilectio proximi , de qua S. Paulus : *Omnia credit , omnia sperat , omnia sustinet.* Turris Babytonicæ ædificatorum unus erat Noë , de quo notatu dignissimum , quod Deus ipsi mandaverit soli , credideritque arcæ fabricam : *Facti tibi arcam de lignis levigatis.* Dixit illi supremus machinæ illius Architectus , præscribensque illi formam & mensuram tani minutatim , nec in genere , nec specie alicujus seu artificis seu adjutoris , qui ad fabricam arcæ construendam aliquatenus concurrere deberet mentionem facit , nisi Noë solius : *Mansiunculas in arca facies , & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus : & sic facies eam.* Si igitur tantæ molis , tamque nova erat fabrica , & Deus jam viderat , quod omnes in mundo homines , quos inter ipse Noë , turrin illam construere & consummare nequiverint in terra ; quonam , quæso , pacto fabricam illam fundandam in aqua , uni committit & credit homini ? quia finis scopusque Turris erat vanitas : Intentum verò Arcæ erat Charitas. Turris ædificandæ intentio

erat , ut homines nomen suum celebrent in terra , antequam dividerentur : *Celebremus nomen nostrum , antequam dividamur.* Arcæ intètio erat salvare homines ne ab universali diluvii inundatione perirent , *ut possint vivere ;* Et quando ad consequendum intentum vanitatis homines non sufficiunt omnes ; ad consequenda quantumcunque ardua & difficilia intenta charitatis , unus tantum sufficit homo. Agite nomen illud Noë in Gundisalvi , nomen illud arcæ , in pontis , & nomen illud diluvii in nomen commutate fluvii ; & mox videbitis quæ benè Sancti nostri charitas in spe fundata fuerit opus illud ad finem perducendi ; quemadmodum enim opus Noë dirigebatur ad salvandos homines ab inundatione diluvii ; sic opus S. Gundisalvi dirigebatur ad salvandos homines ab inundationibus fluvii.

Sed hic nobis adhuc satisfaciendum & respondendum restat insigni doctrinæ Christi asserto : *Quis ex vobis volens turrin adificare , non prius sedens computat sumptus , qui necessarii sunt : ne posteaquam posuerit fundamentum , & non potuerit perficere , omnes qui vident , incipiant illudere ei ?* Istud Christus Dominus docet , & hic computus nostro Eremitæ sancto est faciendus , antequam

Gen. 11.
v. 4.

1. Cor. 13.
v. 7.

Gen. 6. v.
14.

Ibid. 14.
& 15.

Luc. 14.
v. 28. &
29.

quædam

quam, nedum operi manum applicaret, sed de eo cogitaret: primo videndum, utrum coemendis materialibus necessaria suppeterent, quibus mercedem artificibus solveret, operarios sustentaret, & hoc non tantum ad opus inchoandum, sed etiam consummandum. Nunc quaero, utrum S. Gundisalvus hunc fecerit computum? Dico quod sic: & quidem tam inusitatâ, succinctâ, & compendiosâ arithmeticâ, ut totum duabus tantum additionibus fuerit complexus; Prima erat, ego possum nihil: secunda, Deus omnia potest. Idem S. Paulus fecerat, dicens: *Omnia possum in eo qui me confortat.* q. d. Ego viribus meis nihil possum, sed quas Deus administrat, iis omnia possum. Hujusmodi Sancti nostri erat spiritus, & hoc modo argumentabatur & concludebat: ego nihil possum, ego sine Deo nec lapidem movere potero: sed quia Deus potest omnia, ego cum Deo, & Deus mecum, poterimus perficere pontem. Et ita factum est. Non dedit Deus sancto Gundisalvo virgam Moysis; sed quò plus illi daret, cytharam ipsi dedit Orphei, ex fabulosa eam faciens veram. Narrant fabulæ Orpheum cythara sua extruxisse moenia Thebarum Thebæ, tam enim suavem & dulcem instrumentum illud ab eo tactum edebat sonum,

ut lapides, arbores, montes, fluvios & feras, imo ipsam hominum libertatem post se traheret captivam, hoc pacto fabulosè in Thebæ succrescebant moenia; & sic verè in Amaranthe pons consurgebat.

Dati sunt S. Gundisalvo sylvestres, quidam tauri, quos ipse unius tantum verbi voce & sono sic cicuravit, ut jugo succollarent, & currum traherent, sic duces sequentes, quasi multis jam annis fuissent docti. Ad litus accedens fluminis vocabat pisces, qui ad pedes concurrentes Sancti subsiliebant, usque dum ille diceret, sufficit, & reliqui accepta ab ipso benedictione recedebant, ut alia vice adessent denuò vocati. accelerando operi aqua erat necessaria, percussit igitur senex petram, & mox fons effluxit: sed quia aqua sedandæ quidem sufficiebat sibi, non tamen ad exhilarandos, & corroborandos operarios, simili modo aliam percussit petram, ex qua fons vini scaturivit. Multorum brachiis, multisque laborabatur instrumentis in casum ad movendum aliquod saxum, sed unius tantum Sancti manuum impulsu, quasi spontaneè incedendo potius quam violentia adactum locum subivit, ubi necessarium erat. Veruntamen quia homines dantur durissimis saxis duriores, bruti-

que magis irrationales; quemadmodum in illis, sancto suaviter ipfis persuadente quod volebat, evidentius apparebat occulta Divinitas, quæ linguam ejus dirigebat; sic nihilominus quidam ad eum durus fuit, illiberalis, & callidus, ut petente paupere Eremita aliquod pro opere subsidium, quem Sanctum non credebat, cum ipse opulentus esset, absentiam à domo sua obtédendo sese excusavit, adjiciens uxorem suam illi succursuram, deferendam illi simul tradens aliquam epistolam. Qua accepta mulier subridens ad Sanctum dixit: Pater Eremita; hæc credentialis nullius est valoris, siquidem maritus meus juxta chartæ hujus pondus elemosynam vobis erogari mandat. Tam siccè quamvis expeditus, nihilo secius replicavit Sanctus, quod ponderatâ chartâ juxta mandatum Domini Domus, se ponderis illius elemosynâ fore contentum. Verè castus, in quo dextera Domini singulariter operata fuit. Imposita fuit charta uni stateræ lanci, & quando suffectura putabantur pauca tritici grana ad faciendum æquilibrium, allati sunt sacci & sacci, totum adesse oportuisset cellarium, absque quod pondus adæquaret chartæ, quæ non nisi unius folii erat. Querebatur Divinam omnipotentiam ad se affligendum

infinitam suam exeruisse potentiam, contra folium quod vento rapitur: *Contra folium quod vento* Job. 13. *rapitur ostendis potentiam tuam:* v. 25.
Et ad Canonizandum S. Gundisalvum suam ostendit potentiam virtus Divina, tantum ponderis addendo medio folio, ut nullum illud pondus adæquare, nec dum rapere vel movere posset. Hoc pacto Deus simul cum nostro operatus Sancto, in inchoando, prolequendo & perficiendo opere suo; & ita illud perfectum & absolutum tanto totque aliorum bono reliquit, antequam ultima sibi ætas abrumperet vitam.

§. VII.

Quatuor vigiliis & humanæ vitæ ætatibus feliciter ad eum absolutis & conclusis, qualem putamus esse quintam, quam de Sancto nostro promisi, non de vivo & mortali, sed de immortalis & post mortem? Prærogativa hæc magis convenire videtur sancto Gundisalvo ex Amarantho per cognomen, quam per nomen. Amaranthus Plinio Authore, est flos, qui quod nunquam marcescat, ab Antiquis nomen meruit immortalis. Hoc ipsum significat nomen, quod ipsi dederunt Græci, hinc ipsi immortalitatem accinuit Poeta Latinus: *Immortalesq; Amaranthi.* Porro si quia-

quintam hanc in Evangelio quaerimus Vigiliam, inuenimus, quod loquendo de secunda & tertia expressè, eodem in numero supponat primam & quartam, loco quintæ aliam indeterminatam, & Patrem familias valdè vigilantem in ea introducit: *Quoniam si sciret Pater familias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique.* Hæc igitur, non ex ætatibus habentibus finem, sed vitæ immortalis, quæ fine caret, fuit, & est quinta Vigilia nostri Sancti; in qua admirabiliter ipsi nomen Patris familias quadrat: ipse enim veraciter non illius tantum latæ & numerosæ Provinciæ, sed omnium vicinarum & confinium universalis est Pater, ad quem omnes in cunctis necessitatibus è vicino & remotis locis confugiunt. Qui vidit tantum narrare & credere potest. Qui liberis caret, à S. Gundisalvo eos petunt; & qui prolibus abundant S. Gundisalvum consulunt, utrum in bellum eos mittere, seu literis, seu stivæ applicare debeant. Si matrimoniiis elocandæ sunt filiæ, S. Gundisalvus copulatorem seu paranympum agit: & si parentes illis providere vel nequeunt vel negligunt, hujus rei memoriam, quo præ modestia, eorum ipsis facere non audent, secro Sancto recommendant,

qui velut magis potens vigilantem que pater earum nequaquam obliuiscitur. Pastores suos illi recommendant greges, agricolæ sementes: ab illo Solem, ab ipso petunt pluviam: & Sanctus pro autoritate qua imperat elementis tempore suo & extra tempus, petitionum suarum expeditione illos lætificat. Ipse succurrit in paupertate, ipse sanat in infirmitate, ille dissidentes sibi mutuò reconciliat; aberrantes à recto tramite reducit ad viam; & quandoque etiam amore castigat, ne à tanti patris filiis degenerent.

Hic ex rationibus innumeris confirmatis exemplis, videbatur mihi in principio sanctus Gundisalvus, sub Patris familias nomine, quintæ Vigiliæ, quàm ejus vitæ addimus, obligationibus satisfecisse. Sed consideratis illis quæ jam mortuus & immortalis quotidie in invocantium bonum operatur, nullum est dubium, quin istud non sufficiat, & ut inueniamus quippiam, quod mensuram adæquet, mirabiliumque suorum impleat conceptum, sicut initio dixi, quod in nativitate sua fuerit pater tanquam vir, sic pro conclusionem edico, quod post mortem fuerit homo sicut Deus. Elapsis aliquot à S. Gundisalvi obitu annis, extraordinaria tempesta

te

t: exortâ flumen Tamaga in tantum intumefcebat, tamque rapido & furiofo decurrebat impetu, ut non folùm obvia quæque involveret in litoribus, fed fecum abriperet in montibus. Inter alia maximæ molis truncus erecto à S. Gundifalvo ponti rapidè adnatabat, quem quotquot videbant, extremam ponti minari & illatum ruinam non fine ratione attoniti putabant. S. Gundifalve (inclamabant omnes) S. Gundifalve succurre tuo ponti. Et ecce in medijs hifce clamoribus, Monachus quidam albo indutus habitu, & nigro defuper pallio, baculum manu tenens ex Ecclefia egressus, per aëra ad flumen volans in unum trunci ramum baculo immiffio, fic truncum ad arcum majorem direxit, ut fluminis impetu impulsus transferret, & pons intactus & illafus, sine periculo & damno, ac æquè integer ut fuerat constructus remanferit. Æqualibus igitur & conſoni's vocibus & applaufibus gratias reddiderunt S. Gundifalvo, qui habitu & loco, ex quo egressus fuerat, quifnam eſſet ostenderat. Egoque repeto, prout dixi, in hoc actu rectè intellefto, Sanctum noſtrum demonſtraſſe, quod in operibus ſuis non ſe geſſerit tanquam homo homo, fed tanquam Homo-Deus.

Inter cauſas ſecundas, quales ſunt homines, & cauſam primam quæ eſt Deus, in operando hoc communiter diſtat; ut à cauſis ſecundis, uti loquuntur Philoſophi, opera tantùm dependeant *in fieri*, fed à cauſa prima, *in fieri, & in conſervari*: à cauſis ſecundis dependent res quantum ad productionem & creationem; fed à cauſa prima non ſolùm quoad creationem dependent, fed etiam, quantum ad conſervationem. Quantum ad creationem Deus & Pater generat Filium; quantum ad conſervationem, Deus ſolus ipſum conſervat, ſine dependentia aut concurſu Patris. Hinc notabilis intelligitur loquendi modus quo Scriptura ſacra dicit, quod Deus die ſeptimo requieverit ab omnibus operibus ſuis quæ fecerat: *requieverit die ſeptimo, ab omni opere ſuo quod pararat*: Moxque addit, quod Deus eadem omnia opera creaverit & fecerit, ut ea faceret: *Ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, ut faceret*. Enim verò, ſi Deus ea jam fecerat, quomodo illa fecit & creavit, ut faceret? Quia primò ea per creationem fecit, & poſtmodum, ne jam creata eſſe deſinerent, ſemper & continuo facturus eſſet conſervando. Id eſt, quod Chriſtus reſpondit declaravitque admirabiliter convincens & conſuridens eos qui, quod Sabbatho operaretur convitia-

Gen. 2. v.
2.

Ibid. v. 3.

Joan. 5.
v. 17.

tiabuntur: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Num. fortè Deus eodem Sabbatho quo ab operibus suis requievit, operari cessavit? nulla ratione. Si enim operari destitisset conservando, illa esse desiissent. Proinde sicut Pater meus operatus est die Sabbathi non serviliter sed authoritativè, sic & ego facio. Istud ad conservanda opera sua facit Deus; idemque S. Gundisalvus fecit, ad opus suum conservandum personaliter egressus. Conservavit illud tunc, & à tot centenis jam conservat annis, conservabitque semper; quia in operibus suis non operatur ut Homo Homo, à quo tantum depèdent in fieri; sed sicut Homo Deus, à quo dependent, *in fieri, & conservari.*

Agedum ad alia Dei-Hominis, & S. Gundisalvi opera progrediamur. S. Joannis Baptistæ Discipuli ad Christum fuère missi interrogatum, utrum ipse verus esset Deus & Homo per Prophetas promissus, & expectatus à mundo:

Matth.
II. v. 3.

Tues qui venturus es, an alium expectamus? Et quid Christus? eisdem præsentibus Discipulis, cæcis dedit visum, mutis loquelam, contractis manus, claudis gressum, sanitatem munditiamque leprosis, mortuos denique vitam. Et hoc iplos expeditivo responso, dicens:

Ibid. 4.

Euntes renunciate Joanni, quæ an-

Rars V.

distis & vidistis. Idem ego de distis meis forsàn dubitanti respondeo; vel admiranti quod de S. Gundisalvo dicatur, quod non operatus fuerit velut homo homo, sed velut Homo Deus. Ite, ite, & Amaranthum adite, in sacro S. Gundisalvi Mausolæo immortales & perpetuas vitæ suæ posthumæ memorias invisite, & videbitis quod à me auditis. Videbitis vel picta, & oculis arbitrabimini tanquam trophæa claudorum galles, brachia contractorum, cæcorum oculos, surdorum aures, mutorum linguas, mortualia cum mortuorum aut moribundorum indumenta: & quoniam mala intrinseca & invisibilia acrius affligunt & perimunt, videbitis similiter tristitium, afflictorum, persecutorum, desperatorum corda, quæ sola S. Gundisalvi nominis invocatione, consolationem, relevamen, respirationem & remedium repererunt.

Sic mortuus tanquam immortalis operatur, magnus Dei Hominis imitator. Et quoniam Christus ipse dixit, post suam in cœlum ascensionem fideliores servos suos non solum facturos opera suis similia, sed his majora, *Opera quæ ego*

Joan. 14.
v. 12.

facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia ad Patrem vado: Attente consideratis miraculorum

FF horum

horum circumstantiis, deprehendemus quod illa S. Gundifalvi, cum illis ejusdem Dei-Hominis comparata, hodie in operandi modo magnitudine ea excedant. Magna erat concursus eorum qui fide miraculorū, quæ operabatur, excitati quærebant & sequebantur Christum. *sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur*, inquit S. Joannes. Porro si ipsum interrogaverimus Evangelistam ad quantum numerum multitudo sequentium pervenerit; respondet subn. mince non solum magna, sed maxima multitudinis, accessisse ad numerum quinque millium: *Cum sublevasset Iesus oculos, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum*: & mox numerum declarans ait: *Discubuerunt ergo viri quasi quinque millia*. O Domine, quanto cum excessu in fidelissimo servo tuo Grandis illius promissionis veritas comprobatur! quando agens in terra elevasti oculos ad contemplandam te propter miraculorum tuorum famam sequentium multitudinem, numerosissima quam vidisti fuit illa quinque millium hominum: verum hodie à cælo, ubi nunc ag's, eisdem divinos oculos tuos demittens intuereris Ananathum, videbis sanè, quod ob fa-

nam experientiamque miraculorum S. Gundifalvi, in hoc suo die, ad visitandas sacras ipsius reliquias, seque patrocinio ipsius commendandos concurrentium multitudo, non ad quinque, neque ad decem, neque ad viginti, sed ad triginta & quadraginta millium numerum accedat. Innumerabilem videbis terræ hujus incolarum, tam indigenarum, quam Peregrinorum multitudinem, quæ nec plateæ, nec viæ capere possunt, quæ operit montes, valles implet, & cum omnes intrare & propius accedere non possint, tumultuosè Ecclesiam circumvallant, eminus saltem venerantes & adorantes parietes sanctos, tam beneficium & sanctum depositum includentes. Et hic alter excessus est majoritatis, quam etiam in sui ipsius comparatione ipsi promissisti.

Pro obtinenda sanitate, inquirunt Evangelistæ, quod confluentium ad Christum singuli Sanctissimum ipsius corpus contingere curabant, ex quo virtus illos sanans exibat: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Hic similiter idem facere fatagunt; ast quia turbæ certatim sese impediens compressio id non permittit, eminus Sanctum

Joan. 6.
v. 2.

Ibid. 5.

Ibid. 10.

etum venerantur, eminens se illi commendant, & eminens seu statim miraculosos obtinent & sentiunt virtutis ipsius effectus, secumque hilares ad suas reportant domos veluti primitias, vel certa beneficiorum pignora, quæ nullus sibi in necessitate dubitat aditura. Sed quid multum, quod felix illa provincia, nec non vicinæ & adjacentes aliæ, tot tamque continuis miraculis certisque fruantur gratis: si remotissimæ regiones Africæ, Asiæ, & hujus Americæ, ubi vix est locus qui non habeat dedicata S. Gundisalvi templa & altaria, ad invocationem tantum nominis per mirabilem gratiarum ipsius effectum de præsentia illius gaudent? De Deo inquit Isaias Propheta:

Isai. 58.
v. 2.

Invocabis, & Dominus ex audiet: Clamabis, & dicit: Ecce adsum Ecce adsum inquit Deus: & Ecce adsum, inquit S. Gundisalvus. Homo denique in operando sicut Deus: *Invocabis, & dicit: Ecce adsum.*

Joan. 16.
v. 24.

Et si quandoque S. Gundisalvus invocatus petita vobis non concesserit, unde non audire videatur: vos decipi scitote, nec alio ad hoc probandum, quàm ipsius Dei indigeo exemplo. Deus inquit: *Petite & accipietis.* Experientia nihilominus constat,

quod frequenter petita non obtinemus. Non ita se res habet, opponit S. Augustinus. Non accipimus id quod petimus & volumus, accipimus id quod petere & velle debebamus; *Negat Dominus quod volumus, ut tribuat, quod malemus.* Idemque aliquando facit

S. Aug.
Epist.
43. ad
Paulin.

S. Gundisalvus, nec Sanctus esset, nec amicus, nisi ita faceret. Tam miraculosus est miracula patrans quæ expediunt, quàm eademmittens & negans quando non expediunt. Ecce id ipsum in Sancto ipso. Jam dictum est quomodo in usum suæ Fabricæ duos ex petris elicuerit fontes, aquæ unum, vini alterum; sed ille aquæ hodie dum adhuc currit, perseverat, & miracula continuat: illo vini jam exsiccat. Et quare exsiccat? Quia populus ille in hoc fonte majora pati poterat naufragia, quàm ipso in flumine patiebatur antea. Primus ille vini adinventor uvarumque calcator fuit Noë; cumque Noë magnus ille esset Navarchus, qui maxima mundi sæviente tempestate, primam novit regere navem, & in ea salvare mundum; ad invento gustato liquore, sic exaruit, & immutatus est, ut non pudorem tantum sed & judicium perdiderit. Ecce, quid populo Amaranthico eventurum fuisse putamus perseveran-

verante vini fonte? propterea Sanctus ipse durante adhuc opere, ubi notant historici, ter in die fonte eundem aperiebat & clauderebat: prima vice, tempore jentaculî; secunda tempore prandii; & tertia tempore cenæ, Et quid tribus hîc temporibus accidit? mox ut opifices & operarii singuli ad mensuram suam accepissent portionem, petrà reclusâ fons manare cessabat. Tam providè & circumspèctè vigilabat S. Gundisalvus, ut miracula sua non in damnum sed in commodum verterentur petentium. Et hæc est ratio, ob quam pro miraculis & beneficiis nostri Sancti gratos vos esse oportet sive petita neget, sive concedat, utrumque de manibus ipsius veniens in bonum vestrum cedit.

Hucusque locutus sum cum Authoribus de vita & miraculis S. Gudisalvi. Coronidem imponam casu, cujus ego ipse testis fui. Ulyssipone degebat devotus quidam, ejusdemque Sancti confrater, qui quot annis celebritati ipsius viginti quinque cruciageros impendebat; quodam verò anno, cum electi essent officiales divites, dives quoque esset confraternitas, gratius se Deo obsequium præstiturum cogitavit, si inter pauperes pecuniam illam distribueret. Quod ita facere deiecit, cum nullo prorsus com-

municato de super consilio; nisi quando derepente intolerabilis ipsum dolor internus invasit; advocati extemplo medici, sine mora Sacramenta Ecclesiæ recipere suaserunt, infallibiliter enim foret moriturus. Quid tam subitaneo consilio faceret, vel momento ante sanus integer viribus? peccata ad memoriam revocaturus, immutati propositi memor, & penitens de eo, quod melius reputaverat, à Sancto veniam petiit, factò voto contestans, se nunquam consuetæ suæ devotioni defuturum, si ab accidente illo vivus & incolumis evaderet. Vix verba hæc absolverat, quando secundo concepto proposito, momento eodem dolor omnis repentiè & totaliter cessavit; & moribundus à portis mortis ad integram reversus sanitatem, pedes perrexit ad gratias reddendas Sancto, quem duorum momentorum spatio tam asperum, tamque beneficum fuerat expertus. Enim verò, quis in hoc casu novum non admiretur observatum stylum contra tam generalem elemosynæ legem, & contra prærogativam, & privilegium pauperum toties publicatum, & ipsiusmet ore Dei decantatum? quando concurrunt pro elemosyna Christus, & pauperes, dare eam (inquit Christus) pauperibus, illis enim dando,

Matth.
23. v. 40.

dando mihi datis: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si igitur in hoc casu S. Gundisalvus concurrat cum pauperibus, quomodo Christus mortem intentat illi, qui eleemosynam non S. Gundisalvo, sed pauperibus elargiri decrevit? nunquid fas est Christum pauperes æquiparare sibi ipsi, & pauperibus S. Gundisalvum præferri? Ergone Christo magis placeat S. Gundisalvi festum majori apparatu, & expensis celebrari majoribus, quàm ut pauperibus succurratur? Nunquid rationi consentaneum, ut eum pauperes substitui sint Christi, ipse Christus illos nolit substitutus esse Gundisalvi? cùm itaque res ita se habeat, Christus ipse prædicatorem agat, & panegyrim illius absolvat, ego enim obmutescens fateor quod illud deprædicare non sufficiam. Porro hic est favoris gratiæque excessus, & locus ad quem S. Gundisalvus in quinta Vigilia ascendit; in qua vivit & regnat immortalis in gloriæ throno.

§. VIII.

Discursum meum absolvi, seu potius non absolutum reliqui. Si verò sermones de S. Gundisalvo omnes ad moralem audientium doctrinam fuerint directi, & in proprio ipsius die Sanctum hunc

indecens est non imitari, quàm doctrinam ex præsentī sermone auditoribus meis accommodatam eruere potero? Nunquid adhortari meum est, ut instar S. Gundisalvi boni sint pastores? Ecclesiastici id est muneris. An ex Brasilia Jerusalem versus peregrinationem persuadebo? fat, peregrini sunt, qui tam remotè à patria exulant. An, ut miracula faciant, extimulare conabor? sanctos nos esse sufficit, absque quod ad Canonizationem aspiremus. Quamnam igitur doctrinam ex vita operibusque S. Gundisalvi eruemus? Prima mihi occurrit utilis valde & necessaria, ut scilicet construendo pontes illum imitemur. Magna profectò admiratione dignum, & vix credibile est mundo, quod à eentum & nonaginta jam annis hanc incolumis terram cum Imperio & tanquam Domini; cùmque in ea tot dentur fluvii transitu difficilis, nulla unquam de construendo ponte adhibita fuerit industria. Quis fluvius aut sinus est in Europa, etiam nullius nominis, & quis locus tres tantum continens vicinis, pontibus non est magnificus? mediantibus illis in Hispania tantum perseverat memoria quod Romani illi quandoque fuerint dominati, quia Aneus Marcus pontem fecit sublicium, de ponte, & quodeum

fecerit Roma dignitatem Pontificiam formavit, cujus nomen, Româ nondum Christianâ, summo fuit Pontificatui annexum. In tantum istud fabricarum genus suos extollit auctores Sed certum est quod nec ob paupertatem, nec tenacitatem suam defectum hunc patiatur hæc Respublica. Ego ipsum naturali adscribo climati inertiam, pro opinione vulgi, quod dispensatores ærarii illud applicari malunt papatui, quam pontificatui.

Sed quia incuria hæc, quæ merito hoc & solertia perstringitur, paucorum est: pro doctrina & exemplo generali serviat omnibus, ut saltem in eo finire satagamus, unde S. Gundisalvus inceptit. S. Gundisalvus ut jam vidimus, adhuc puer fuit vir: nos ætate viri, vita moribusque pueri sumus. Melius hoc Seneca dixit, quàm idiomate nostro exprimi possit: *Adhuc non solum pueritia in nobis, sed quod est gravius, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum sed infantium.* q. d. Auctoritate senes, vitiis laboramus puerorum; & quod pejus est, non tantum in nobis apparet pueritia, quæ defectus est ætatis, sed puerilitas, quæ iudicii est defectus: *Non solum pueritia in*

nobis, sed puerilitas remanet. Primum quod S. Gundisalvus fecit; fuit oculos in Christum conijcere crucifixum, & brachium ad illum extendere amplectendum: & hoc ipsum juvenes & senes vitæ epilogo reservant. Tunc Crucifixum aspiciunt, tunc ejus amplectantur & exosculantur Vulnera. Sed quia hoc est violentum, & plus non possunt, ut ex toto id corde fiat, magna requiritur divina gratia. Qui benè curat incipere & finire, à fine incipere, & per principium finire habet necesse. A conditi mundi principio, utilissimam hanc Maximam Deus docuit hominem primis S. Scripturæ verbis: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Gen. 1. 6. Ubi notat sanctus Chrysostomus, Deum creationis opus exorsum à cælo, & finiisse in terra; idcirco non ait Textus; creavit terram & cælum, sed *cælum & terram.* Sed primò creare cælum, & postea terram videtur idem esse, quod fabricam incipere à fornicibus & consummare in fundamentis. Quantò magis eum terra & cælum creata sint pro homine, quem admodum finis hominis est cælum, si incipiendum videtur à terra, & absolvendum in cælo? sed propter hoc ipsum ita fieri non oportebat. Quia homo principium suum sortitur à terra, & finem

Sen. lib.
1. epist. 4.

Sen. lib. 1. epist. 4. est gravius, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum sed infantium. q. d. Auctoritate senes, vitiis laboramus puerorum; & quod pejus est, non tantum in nobis apparet pueritia, quæ defectus est ætatis, sed puerilitas, quæ iudicii est defectus: *Non solum pueritia in*

secunda

suum habet in cœlo ; hinc Deus primo ipsi proponit cœlum, & postea terram; benè etenim & incipere & finire volenti, incipiendum est à fine, & per principium finiendum. Hoc modo incepit & finivit S. Gundisalvus. Cumque vivendo & moriendo non nisi Christum imitari satageret: admiratione sanè dignum fuit, quod sicut natus mox in exemplar assumpsit Christum mortuum in Cruce, sic eundem moriens imitatus sit in præsepio natum, Denique S. Gundisalvus obiens animam suam in manus Reginæ Angelorum commendavit, cui devotissimus fuit; & quæ felicissimæ morti ejus præfens assistit; & mox ut expiravit, in aëre vox insonuit dicens, ite omnes ad Sancti sepulturam. Certatim con-

curreunt omnes, lectusque in quo defuncti sacrum invenerit corpus, paleis humi stratis impositus fuit. Ita finivit mortuus Christum in præsepio natum imitatus, quem sic mox natus in Cruce mortuum fuerat imitatus. O felicem nativitatem, & felicem mortem: ô felix exordium, & felicissimum finem! ultimum hoc exemplum S. Gundisalvus reliquit mundo, & quo mundum deseruit, quem etiam omnes nos derelinquere oportet. Proinde quia ipsum non imitamur nati, ab hoc saltem die ipsum imitari incipiamus morituri, semper nobis ob oculos ponentes finem vitæ, ut ejus intervenientibus meritis & precibus vitam obtineamus sine fine duraturam. Amen.



S E R M O

P R O

Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

Occasione qua status Maragnanus in duplex regimen est divisus, illudque personis particularibus terræ illius indigenis fuit collatum.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei: Casaris. Matth. 22.

§. I.



ON est Regio quæ tam elato essent animo, ut in reliquis omnibus cunctos despicerent; in eo ipso illis petierunt esse æquales: *Constitue nobis Regem, si- l. Reg. 8. cut & universa habent nationes. v. 5.* Primi itaque rectores, quos Deus ipsis cum autoritate Imperioque regali præfecit, fuerunt Saul & David: Saul patris sui asinas quærens; & David patris sui oves pascens. Deus qualitates non discrevit; siquidem ex Abrahamo omnes originem trahebant: nec discrevit officia; siquidem omnes ævo illo ex agricultura, & pascuis vivebant: personas tantum earumque talenta considerabat; quia tam Saul, quem

quàm David suis subſagis & tunicis tanti erant ſpiritus homines, ſicut mox eorum opera prodiderunt. Quibusnam verò applauſibus, poſt tot importunas inſtantias in republica illa, excepta fuit duorum horum Regum electio? Regio erat patria, electi erant æquales (ut dixi) neque ſuffecit alterum eſſe Saulem, & alterum Davidem, ut grati forent & accepti. Lætati ſunt conſanguinei; murmurârunt extranei; & reliqui (quasi omnes) male fuerunt contenti. Non dico quid dixerint; illa enim nec dicenda erant, nec audienda: tantùm dico nos eodem in caſu comprehenſos diviſum habemus hunc ſtatum Maragnanum in duo regimina æqualia, duobus ſubrectoribus, ambobus terræ ejuſdem indigenis; quamvis non ſit illa promiſſionis; proinde tam ex parte capitum, quàm membrorum, tam ex parte gubernatorum, quàm ex parte ſubditorum, non exigua timeri poſſunt, prout jam, timentur inconvenientia. Recurſus longè diſtat, remedium non niſi tardè advenire poteſt; interim vos rogo, ut optimum acceptetis conſilium. Prædicatorum, quos Scriptura ſacra Angelos pacis appellat, officium eſt, concordiam unanimiſſimè procurare; quæ quoniam deſideranda nobis eſt velut bonis Chriſtianis,

Pars V.

velut bonis Reipublicæ miniſtris, & velut bonis ſubditis: ut muneri meo ſatisfaciam, aliud mihi remedium efficaciùs non occurrit, quàm ut utriſq; obligationes ſuas exponam. Evangelium tanquam ducem ſequar; pro gratia Beatiffimam Virginem interpellaturus: quàm ea quæſumus attentione rogemus, quàm materiæ utilitas requirit.

Ave Maria.

§. II.

CHRISTUS Dominus noſter velut Magiſter legis interrogatus, utrum tributum Cæſari oporteret ſolvere, monetam ſibi pro tributo dari ſolitam oſtendi præcepit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Quia verò monetæ imago quædam impreſſa erat circumſcriptis per circuitum literis; ulterius interrogavit Chriſtus, quemnam imago illa referret, & cuiuſve nomen literæ exprimerent: *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* Reſponderunt imaginem & nomen ipſius Cæſaris eſſe, *Dicunt ei Cæſaris.* Iſtud adducta thematis loco verba continent; reliquû Evangelii alii reſervabitur, occaſioni, uti & monita: Ego hodie nihil requiro quàm imaginem Cæſaris, nam cum imaginibus Cæſarum mihi hodie eſt loquendum.

Cujus eſt imago hæc? Omnes Rectores,

G g

Actores,

dores, Principum suorum sunt imagines: hos enim personam potestatisque exercitio representant nomen hoc, sive imaginis titulus à primo mundi gubernaculo mox cœpit: primo homini à Deo collatus, non ipsi de officio actualiter providendo, sed antequam ipsum, & officium exercendum creasset: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, qui præsit*: q. d. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit, regat mundum, Super hæc verba gravis inter Theologos agitur quaestio, in quonam ista Dei imago in homine consistat? Hæretici Audeani in forma & statura corporis eam constituerunt: estque Hæresis politica quorundam principum, qui eo usque exterioribus hisce occupantur & extolluntur apparentiis, ut ex hisce imagines sibi eligant. Tam parum refert pro Reipublicæ regimine statura & formositas corporum (inquit Seneca) quantum pro regimine Navis, Navarchum esse pulchrum. Definiunt igitur concorditer omnes sancti, Doctoresque Catholici, rationem imaginis Dei in homine in anima tribus exornata potentiis consistere; quibus ipsum Deum trinum & unum representat. Veruntamen S. Basilus, & S. Joannes Chrystos-

mus addunt, Deum specialiter Adamo titulum suæ contulisse imaginis, quia regimen ipsi demandavit orbis: & quid imaginis similitudinem adjunxerit, *ad imaginem & similitudinem*, ut in ipso regimine recordaretur Adamus, qualiter al-laborandum sibi esset, ut supremo se Domino quam proximè assimileret, quem referebat: *Imaginem dixit ob principatus rationem: similitudinem, ut pro viribus similes facimus Deo.*

O quot, quamque excellentia Deus in primo illo actu principibus reliquit documenta, quomodo & ipsi faciant, & suas imagines eligant! Omnia alia creata Deus fieri iussit: Hominem velut sui imaginem se representaturum, cuique mundi imperium erat collaturus, deliberatione, consilioque non hominum, qui necdum erant, neque Angelorum jam creatorum, sed trium divinarum personarum prævio creavit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & ad quid? Et præsit piscibus maris, volatilibus cæli, & bestiis, universaque terra.* Porro si ad eligendum eum qui bestias regat & bruta, tantus requiritur apparatus tantaque prævia deliberationum & consiliorum communicatio in ipsa Dei sapientia; quid necessarium putamus ad eligendum

Gen. I.
v. 26.

S. Chry-
sost.

dum.

dum hominem, qui regat homines? Imaginis suæ characterem forsân Deus animæ impressit hominis, quia hominibus inanimatis regimen tradere nefas est? Sic est, sed non idè tantùm. Non sufficit, ut qui regere debet, sit homo cum anima; sed necesse est ut sit anima cum homine. Si animam habeat, & quidem bonam sit animam fortitus, non faciet malum: sed nisi simul industria, activitate generosa & resolutione, talentoq; præditas sit hominis non faciet bonum. Deus illum memoria, intellectu, & voluntate donavit: Memoria, ut recordetur officii & obligationis suæ; intellectum, ut quid præcipiendum sit, sciat; & voluntatem, ut quod optimum velit! nec vult unius tantum potentia homines (qui ex eo operantur impotentias) & deficiente memoria, & intellectu, malam solummodo habent voluntatem. Cum omnibus istis qualitatibus Deus formavit perfectique imaginem, quæ in gubernando mundo divinam representare debebat Majestatem; quemadmodum Majestates humanas representant, qui earum vice, & earundemque autoritate, exiguas hæc vel illas ejusdem particulas gubernant. Imago Cæsaris non tantum insculpta erat numismati & moneta, sed etiam,

& quidem multo magis reipublicæ Gubernatori. Numismata mortuam, Vice-Regens imaginem vivam referebat: in Numismate seu moneta pretium valore, in imagine dabat prælium; Gubernatori vero collatio datur potestatem. Et si de utraque imaginum harum interrogaretur: *Cujus est imago hæc?* de utraque sensu diverso respondendum esset, sed æquali veritate, esse imaginem Cæsaris: *Dicunt ei, Cæsaris.*

Supposita hac significatione exorta cum mundo, & cum ipsa natura, quod imagines sint principum, vice eorum regentes, eosdem representantes: si alibi prædicarem, sermonem in tria puncta dividerem. Primum, quomodo Cæsares suas debeant formare imagines: secundum, quomodo imagines representare debeant Cæsares: Tertium, quoniam modo Cæsarium subditi, eorundem imaginibus debeant obedire, illas venerari & revereri. Ast quia punctum primum non concernit hanc terram, neque auditorium: de secundo tantum & tertio tractare, mihi mens est, quæ tam propria sunt loco, quam temporis necessaria.

§. III.

EXordio igitur facto ab imaginum obligatione, quem-

admodum magna est dignitas supremum representare Principem in oculis mundi (sive minus sive majus sit theatrum) sic etiam æquali non caret difficultate & discrimine, sublimis hujus representationis scopum non attingere, & ab eo aberrare. Expedita quidem est quoad potestatem, in gubernandi vero modo valdè difficilis, & paucorum est. Istud antiquorum proverbium significare voluit: dicentium, non ex omni ligno Mercurii imaginem fieri: *Non ex quolibet ligno fit Mercurius.* Et quare Mercurii potius quàm Jovis imago inter Deos primatum tenens, & omnibus superior? quia Jupiter Deus erat potestatis, Mercurius sapientiæ & prudentiæ: potestatis verò Majestatem referre quilibet facile potest: prudentiæ verò & sapientiæ actus, pro eorundem exigentia exercere, paucorum prævalet capæitas. Facilius est Jovem apparere quàm Mercurium. Sanctis Paulo & Barnaba Lycaoniam ingressis. Gentiles demirati super his quæ videbant in utroque, Deos similes hominibus è cælo in civitatem suam descendisse clamabant, & Barnabam Jovem, & Paulum Mercurii vocabant: *Vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium.* Verùm enim verò si Paulus ob excellenciam adeò prærogati-

Act. 14.

vas Barnabam antecedeat, quare Barnabæ, & non Paulo nomen Jovis, & Paulo, & non Barnabæ Mercurii nomen imposuèret? quia Barnabas statura & majestate anteceliebat personæ, Paulus facundia & sapientiæ doctrinæ. *Quoniam ipse erat dux verbi.* Porro representatio sapientiæ longè majus judicium, excellentioremque requirit hominem, quàm illa majestatis.

A Divinitatibus fabulosis, ad veram ascendamus Deitatem & hæc solidam & veram nobis dabit differentiam hujus rationem. Verbum æternum velut Dei Patris Filius, perfectissima Dei imago existit. Quoniam verò Gentiles in Esse divino duas superlativas seu supremas considerabant eminentias, unam summæ bonitatis, alteram supremæ Majestatis, unde Deum optimum maximum vocabant: Salomon in libro Sapientiæ summam declaraturus perfectionem, quomodo utraque in Verbo representetur, inquit, Verbum esse speculum sine macula Majestatis Dei, & imaginem bonitatis ejus: *Speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius.* Id tantùm hic considero, quod eadem representatio in quantum est Majestatis, vocatur speculum, *Speculum Majestatis:* Et in quantum

Sap. 7. 26.

est

est bonitatis, imago vocatur, *imago bonitatis illius*. Differentiæ hujus ratio, relicta promunc Theologica, inquirendo moralem, quænam est, aut esse potest? eadem omninò est quàm experimur in imaginum facilitate, quas videmus in speculo; & in difficultate earum, quæ monstrantur & repræsentantur in semetipsis. Imagines repræsentatæ in seipsis vel pictæ sunt, vel sculptæ; pictæ, multis perficiuntur lineamentis, multis coloribus, multisque umbris, aliis locis claræ, aliis obscuræ: sculptæ, repetitis perficiuntur ictibus, multis excavationibus, multa expolitione, multis locis plenæ, multisque vacuæ. Utræque artificio magno, industria & diligentia singulari, & labore magno conficiuntur. E contrariò imagines repræsentatæ in speculo, depinguntur sine tinctura, complanantur & excavantur sine ferro, unicoque perfectæ apparent momento, sine alio labore vel artificio quàm reflexione seu reverberatione naturali. Propterea igitur Majestatis imagines repræsentantur in speculo; quia majestas & potestas, nec non ostentatio ejusdem & executio omni labore caret. Imagines verò bonitatis, quæ sunt illæ regiminis boni, uti est juxta prudentiæ dictamen hic & nunc operari, &

omnibus benefacere, imaginibus aliis seu pictis, seu sculptis repræsentantur, quia difficultatem & laborem magnum involvunt, non communem requirentes artem, sapientiam non vulgarem, proportionem denique & regulam exactissimam. Imagines sculptæ fiunt demendo, pictæ addendo: in demendo nullam attendere oportet convenientiam & commodam: & in addendo, & augendo observanda est singularis æqualitas: porò pro utroque ut ritè fiat, prudentia excellens, justitia exacta, integritas irreprehensibilis, constantia imperterrita, aliæque virtutes magnæ, quæ faciliùs deficient singularæ, quàm inventiantur collectæ.

In duabus imaginibus Jovis & Mercurii, quæ binis attributæ sunt Apostolis, exemplum nobis præbetur in omnibus. Imago Jovis pingebatur cum fulmine seu fulgetro in manu; illa Mercurii cum baculo inter duos serpentes. Proindè hinc faciliè apparebat, quàm expedita foret, repræsentatio una, & quanta difficultatis altera. Fulminando ejaculari fulgetra, tonitruis tremefacere mundum, invadere turres, sternere domos, interficere homines, à vertice ad radices usque findere cypressos, omnesque alii violenti & damnosi fulminum effectus expeditif-

simi sunt potestati se abuteati. Ast inter discordes, & venenosos serpentes baculum interponere, & nec se invicem mordeant & dilanient impedire: domare feritates, componere rebelliones, & reducere ad vivendum cōformiter rationi, qui ex consuetudine & ratione illius usum non habent, opus est difficultatibus unde quaque refertum, & magis in terra, in qua stamus quam in ulla alia. Necdum quinquaginta elapsi sunt anni, quod in hac terra ignoratum fuit nomen Regis, nec auditū nomen legis: & quanti moliminis erit opus, efficere ut obediant, & observēt in ea leges Regis? ab illo tempore usque in præsens, qui illā acquisiverunt, non domesticorum pastu pecorum, sed venatione hominum vitam sustentant. Et quantum major adhuc erit difficultas continere in officio, pace & iustitia illos, qui in iusto tantum bello vitam transigunt? Hæc igitur prima & universalis regiminis huius est difficultas; & hæc obligatio & officium eorum, qui Cæsaris imaginem in eo repræsentant.

§. IV.

Secunda difficultas magis adhuc impediens & impossibilem quodammodo reddens competentem imaginum repræsentationem est, quod imagines & Cæsares valde remote distent. Respon-

dentibus illis Christo imaginē esse Cæsaris, Cæsar agebat Romæ, & imago erat Jerololymis. Quid igitur erit, ubi Rex & Cæsar agit in Europa, & imago in America? Rex in mundo uno, & repræsentantes in altero? Deus ipse ab istis distantis tam remotis timuit, non quod ubique non sit omnia videns, sed quia videt, quamvis nō videatur. Quod ita notificatum voluit mundo per Jeremiam Prophetam: *Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe?* q. d. Putasne me tantum esse Deum prope, & non de longe? Decipitis vos; quamvis enim in cælo meam habeam aulam tam præsens tamen adsum terram, quam cælo: *Cælum & terram ego impleo.* Nihilo secius tam stupidi fuerunt homines, ut malè interpretato Davidis versu, *Cælum cæli Domino, terrā autem dedit filiis hominum*; putarent, quandoquidem Deus in cælo suam constituisset aulam, quod abdicatum à se terræ Dominiū transfulisset in homines. Non equidem credo regionum acquiritarum Gubernatores id sibi imaginari, nihilominus certum est quosdam dominari tam despoticè, ac si illud autumarent: ita harum regionum sibi dominium usurpant, quasi nec ipsi, nec illæ alieno Dominio subessent. Talem, tantamque illis præbet audaciam, quod princeps

agat

Jerem.
23. v. 23.

Ibid. 24.

Psal. 113.

agat tam remote, recursus tam distans, tam longe petendum remedium, & veritas ipsa ab iisdem tam longis obscuretur & opprimatur interstitiis. Regina Saba beatos dicebat illos, qui Salomoni coram servirent & assisterent. Sed hac beatitudine se privant, tam bonorum justorumque Regum, quales sunt nostri, tempore, qui pro ipsorum Deique servitio non solum inclementiis sese exponunt climatum, quod longe minus est, sed furis elongationum, nec non vident & desunt prope sub oculis, interitus & jacturas temporales & æternas, quarum causa ipsimet existunt.

Parabola Evangelica inquit, Regem quempiam in regionem abiisse longinquam novum sibi acquirere regnum, commendatis interim bonis suis, tribus servis, ut negotiarentur in eis. Horum trium servorum unus negotiari neglexit, non tamen est furatus; porro duo alii tam bonam reddidere suæ negotiationis rationem, ut creditam sibi à Rege summam duplicarint, magnasque propterea ab eo promeriti sint, & receperint gratias & favores. Felix omnino tempus, quod est tribus servis, quibus Rex credidit, non coram & in præsentia servientibus, sed longissime à se distitis, duo credita sibi dupli-

carunt talenta, & auxere bona; & minus industrius, quamvis illa non auxerit, ne vel obolum tamen inde furando subtraxit. Nunquid hodie vel sesqui par similitudinem invenietur servorum? Nec in tribus, nec in triginta, nec in trecentis paribus. Enim verò quænam rei hujus est ratio? Ipse textus eam narrando assignat, in claram illius, quod referimus, probationem. Textus ait, Regem in remotissimam à suo regno profectum fuisse regionem, ad acquirendum sibi aliud regnum; sed hac conditione ut reverteretur: *Abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.* Quando

Luc. 19.
v. 12.

è suis abeunt seu proficiscuntur regnis ad regiones conquirendas, & è conquisitis ad regnum revertuntur: etsi loca acquisita longissime distent, ista longinqua sua postmodum habent propinqua; hinc in absentia servi tanta sollicitudine & respectu ministrant, ut præsentibus denuò bonam de se reddant rationem. Casu quo verò Reges ab loca acquisita non proficiscuntur, vel illa tam sunt remota, ut eo pergere non possint; quemadmodum longinqua semper sunt longinqua, quantum Rex à suis distat servis, tantum hi à suis recedunt obligationibus. Rex è regno suo ad acquisi-

ra profectus, & è conquisitis ad
 Regnum revertens, & Regni, &
 conquisitionum simul Rex est:
 Rege verò in suo semper residente
 Regno & ad conquisita mittente
 servos, hi ipsi conquisitionum sunt
 Reges: & non Rex ipse. Rex illos
 suas facit imagines; & illi se faciunt
 Reges. Et quis illis istos dat spiritus,
 & addit alas, nisi qui eos consti-
 tuit in tam remotis locis? A
 Roma usque in Jerusalem valebat
 aliquid Cæsaris respectus: *si hunc*
joan. 19. *dimittis, non es amicus Cæsaris.* Sed
n. 12. de Ulyssipone in Indiam usque &
 Brasiliam toto intermediente O-
 ceano quid? fides, obligatio, obe-
 dientia omnia remittunt, sursum
 deorsum invertuntur omnia, ex-
 undant & exorbitant omnia. Vi-
 dentes se tam longè à mittente &
 regnante remotos, ibidem pos-
 sunt quod volunt, non contenti
 velle quod possunt. Imaginum se-
 cum afferunt potestates, Cæsa-
 rumque assumunt omnipotentias;
 & non Augusti, vel Trajani pro-
 servatione Monarchiæ & incre-
 mento; sed Tiberii, Caligulæ,
 Neronis ejusdem everforum: ut
 ruinas nostræ non miremur, nec
 aliam causam inquiremus. Quare
 Adam cum Paradiso universi per-
 didit Monarchiam: quia non con-
 tentus imagine Dei, ipsi assimilari
 appetiit Deo, qui ipsum sui imagi-

nem fecerat. Tentatio, qua Dia-
 bolus ipsum ad Apostasiam impu-
 lerat, in eo consistebat, quod dice-
 ret ipsum futurum sicut Deum.
 Sed enim si Adam jam erat sicut
 Deus, hoc ipse quod imago ejus
 esset; quid quæso, amplius promi-
 sit ipsi diabolus in illo, *Sicut, eritis*
sicut Dii? Æquivocum illius, *Sicut*
 fuit verè diabolicum. Adam quæ
 imago Dei, jam erat sicut Deus,
 illum representando, sed non erat
 sicut Deus superioritate, quæ ipsi
 Diabolus promisit. Et quia Adam
 contentus non fuit esse sicut Deus
 representatione, quod per ima-
 ginem habebat, sed esse appetiit
 sicut Deus superioritate, quod o-
 bedientia & præceptum ipsi pro-
 hibebat; hinc præceptum præva-
 ricatus Deo obedientiam negavit.
 Istud quod Adam perpetravit in
 Asia, idem est, quod eadem in A-
 sia, & in nostra America faciunt,
 qui non contenti imagines esse
 Regum, omnem imaginum mo-
 dum, mensuram & proportionem
 excedunt, uti subjuncta doce-
 bunt.

§. V.

ANtequam in mundo ars vige-
 ret pictoria (quæ post incen-
 dium Trojæ cœpit) assertore Pli-
 nio, homines suis se umbris deli-
 neabant, Homo stans erectus, corpore

pore suo solis interposito splendore umbram faciebat, quæ ex dimensione desumpta imago ipsius erat. Quonam verò pacto cognosci poterat imago, sine delineationibus, quibus distingueretur? Idem Plinius scribit, ut cognosceretur, ad pedem picturæ ipsi scribebant nomen, quoniam esset, *omnes umbra hominis circumducta: idè & quos pingerent adscribere institutum*. Picturæ illæ fiebant tali artis ruditate, ut imagines in eis non cognoscerentur per figuram, nisi adjuncta scriptura illud demonstraret. Et dolendum est, quod prohibente Alexandro, non nisi Apelles imaginem suam pingere posset. Hic nobis dissimiles adeo supremis suis Archetypis appareant figuræ, ut magis videantur affabrè factæ, quàm imagines veræ, quas fidem nostram oportet hoc credere, esse quod repræsentent. Verum enim verò aliam adhuc majorem improprietatem habent imagines scissæ per dimensionem umbræ: nam secundum locum, in quo esset Sol, sine omni proportionem multò fuissent majores ipsis quos repræsentabant. Porro istud est quod videmus, sicut dixi, in Asia, in America, & in Indiis orientalibus, ubi Sol oritur; & in Occidentalibus, ubi occumbit. Congruentiore similitudine res

Plin.
Part V.

explicari nequit. Sole in suo morante Zenith, umbra est perexigua, & tota pedibus supposita; in Oriente verò, vel occasu constituto, eadem se umbra tam in immensum extendit, ut Horizontes illam vix capere possint. Idem per omnia ultramarinorù Gubernatores prætentunt & obtinent ubi Sol in suo consistit Zenith, umbræ istæ non pedibus tantum principis sed etiam ministrorum ejus se supponunt; quando verò ad Indias illas perveniunt ubi Sol oritur, vel ad has ubi occidit, in tantum umbræ istæ accrescunt, ut ipsam Regum mensuram multum excedant, quorum imagines existunt.

Res est sanè notabilis, quam forte non advertistis, quantum mensuram excefferit Nabuchodonosoris magnitudo imaginis, quam ipse fieri jussit, postquam illam statuæ suæ in somnis vidit. Scriptura inquit in altitudine habuit sexaginta cubitos: *Nabuchodonosor Dan. 3. Rex fecit statuam auream cubitorum v. l. sexaginta*. Hic interrogare libet, quantum imago hæc staturam ipsius Regis sua magnitudine excefferit, quàm repræsentabat? juxta regulam Vitruvii, nec non symetriam & proportionem corporis humani, minor manus digitus, quem vulgariter minimum vocamus, decimam octavam ejusdem corporis partem

Hh
tem

tem continet. Et quid hinc sequitur? Res verè utrum admiratione an risu dignior nescio. Sequitur minimum imaginis suæ digitum Nabuchodonosorem totum complecti potuisse. Quo casu insolentiæ notam non meruisset in Roboamo, quod dixerit, minimum suum digitum Salomonis Patris sui dorso esse grossiorem. Sed qualis erit illa vasallorum & subditorum, qui existentes tantum suorum imaginis Regum, tantò majores evadunt illis, hic ubi Sol occidit, vel ibi ubi Sol oritur; quantò magis immenso excessu umbra se extendit, sine alia mensura, sine alia proportionem, aliòve limite, quam illo qui in mari vel in terra claudit Horizontes? Imago Nabuchodonosoris erat ex auro, eorum est ex umbra: sed quia artes quas exercere veniunt aut vadunt, artes sunt solidæ & veræ Alchymia, isti umbram illam convertere norunt in aurum, seque melius facere adorari quam ipse Nabuchodonosor. Imago Nabuchodonosoris pro suis adoratoribus non habebat præmia, & pro nolentibus adorare fornaces & supplicia. Hic & ibi se res aliter habet. Adorantes, & non adorantes, omnes ardent, diversis enim modis concremantur & consumuntur omnes.

Gravissimus adhuc restat dolor,

& scandalum maximum. Et quodnam illud? Imagines istæ reduces ex locis unde venerunt, tales secum afferunt Bullas Canonizationis, ut altaribus dignæ videantur. O si quis illis suorum proponeret insignia miraculorum? Ecce quales Xaverii Indiæ, & quales Anchtæ Brasiliæ! Et quod est pejus, si quis illos non est imitatus, nec habuit imitantes, sine applausu excipitur; & sine veneratione sepelitur. Sed applausu dignorum miracula silentio præterire nefas esto. In hisce celeberrimis Europæ Sanctuariis, ubi miraculosæ venerantur imagines, pendere videntur mortuorum amictus, grallæ, catenæ, anchoræ, pedes, brachia, oculi, linguæ, corda protestantium illis anathematibus, beneficia illa miraculosè accepta illis deberi. Relictis igitur remotioribus terris, quæ etiam hoc casu testimonium perhibere possunt; vos auditores mei quid de terra vestra dicitis? quænam miracula in jam mortuis vidistis (non enim loquor, nec vos loqui volo de vivis) porrò quænam seu qualia? meritis oporteret appendere insignia, vel miraculis eorundem anathemata, quibus veritas sine adulatione, & memoria adhuc cum horrore eorum sepulchra exornaret? Etiam ibi videntur mortuorum indumenta, non pau-

corum

eorum quos resuscitarint, sed multorum & infinitorum & innumerabilem, quibus vitæ ademerunt. Nec catenæ similiter defururæ essent, non eorum quos à captivitate liberarunt; sed integrarum nationum & populorum, quos liberos in captivitatem redegerunt & apparerent anchoræ, non navium salvatarum, sed quas ipsi naufragiis & exitiis objecerunt, eò quod ipsi terra marique maxima fuerint tempestas. Claudorum similiter viderentur grallæ, non quos sanâscent, sed quos cum divites opibus abundarent, ad paupertatem redigentes sine remedio stipem ostiatim colligere compulerunt. Brachia similiter apparerent & pedes eorum, quos eò tantum quod potentes essent, debilitavit, dejecit & oppressit iniqua eorum potestas, nulla alia inducta ratione, quam violentia. Denique & oculi viderentur eorum, quos excæcarunt lachrymis: & corda quæ præfocaverunt mæroribus, doloribus & desperationibus: & linguæ quas obtutescere fecerunt, in tantum ut nec ah quidem liceret edere ad terram clamando, vel gemitum in cælum emittendo. Hæc & alia Canonizarum illarum imaginum sunt miracula, quæ hinc abeuntes nudæ & impolitæ, redierunt vestimentis auro argentoque

intertextis exornatæ, falsis superinductæ coloribus, quibus decepte famam, quâ mediante receptæ sunt velut reliquiæ in Catacumbis, & frequentatæ peregrinationibus.

§. VI.

Hucusque Gubernatoribus nostris novis & patriæ indigenis ob oculos posui quod nullatenus imitandum est in extraneis. Neque difficile ipsis futurum credo tam perniciofa abominari exempla, non solum velut probatis & exercitatis in omnibus, verum etiam velut offensis & malè notatis. Sciant tamen velim, in eis tamquam patriæ incolis & indigenis aliam tertiam concurrere difficultatem, quæ in extraneis non habet locum. Quare? quia licet utrimque sint imagines, illi sunt imagines in terra radicata. Imagines non tantum sunt statuariorum & pictorum, sed etiâ Hortulanorum. Ex curiosissimis quæ cernuntur in hortis, ubi majore industria & labore coluntur quâ in hac terra nostra, variæ sunt figuræ ex myrtho aliisque plantis, tali artificio, proportionem, & membrorum quasi vivacitate elaboratæ, ut viridi sublato colore, in reliquis omnibus à naturali quod repræsentant, differre nihil videantur. Sed eadem hæc repræsentatio conservatur difficillimè. Imagines alix vel metallo infusæ, vel saxo in-

sculptæ, vel ligno incisæ, vel in quadris depictæ, vel tapetibus intextæ, sine ulteriore cura & diligentia, semel sibi datam ab artifice conservant & referunt figuram. Illæ verò de plantis, quia radices habent in terra unde recipiunt humorem, succrescentibus naturaliter ramis facile exorbitant, deformantur & in monstra degenerant. Idem protinus usu venit, aut venire potest, quibus patriæ propriæ regimen incumbit, nec aliam ob causam seu fundamentum, quam quod radices in terra habeant. Ibi habent cognatos, ibi amicos, & inimicos, ibi & lucra & commoda bonorum familiæ & Personæ: porrò quilibet humorum & respectuum horum & multo potius omnes in unum collecti, in tantum Gubernantis immutare & deformare possent imaginem, & representationem, ut nec appareret in eo agendorum facies, & in cunctis contra obligationem suam operaretur. Humore radicum per oculos sese effundente, ea nec clarè intueri, imo nec sine passione respicere poterit; quæ sola rebus ipsis colores mutat, unamque pro altera videre facit. Humore eodem aures occupante, informationes non admittet qua cautela examinanda veniant; vel adeo obsurdescet, ut nec eas audiat quamvis

clamores sint. Eodem radicum humore per os eorumpente, prohibenda jubebit, & mandanda veritabit, proinde quicquid ordinaverit non nisi confusio erit; & sententiæ ipsius non nisi gravamina. Denique humore isto per brachia manusque, quæ sunt extrema periculosiora, & ubi gravissimi exercentur excessus, prorumpente, extendet brachia, quousque ejus non extenditur jurisdictio; & mittet manum, & implebit manus illis quæ nefas est tangere.

Profectò talia subeuntes onera vel assumentes officia, nedum me, sed ipsas cõsulere oporteret plantas, quæ radicem habent in terras; & si gubernacula & regimina majorem continerent autoritatem & gravamen, eadem acceptare detrectarent. Primus in mundo scriptus Apologus (quod est commentum cum significatione veræ,) fuit ille, quem S. Scriptura Capitulo nono Judicum refert. Arbores (inquit) Regem sibi constituere voluerunt, qui eas regeret, & primò imperium detulerunt olivæ, quæ recusavit dicens, nolle se relinquare oleum suum quo ungerentur homines, & delectarentur Dii. Audita & acceptata excusatione, adierunt ficulneam, quæ similiter refutavit imperium dicens, dulces se proferre fructus, quo-

quorum dulcedinē deferere nollet. Tertio loco accessere vitem, quæ respondit, uvas suas comestas sapore suo oblectare gustum, & expressum ex illis vinum lætificare mundum, proinde opulentum a deo patrimonium ad imperium subeundū non fore derelinquendum. Ita ut universale regimen de ostio ad ostium transierit, nullo invento qui illud acceptare vellet. Sed quod ego in exculationibus istis noto, est quod in eandem conuenerint rationem, suos videlicet nolle deferere fructus. Enim verò, nunquid quispiam tale quid arboribus dixit aut proposuit? Nunquid aliquis olea, suas olivas, ficui suas ficus, viti denique suas deferere uvas præcepit? Nemo. Dixerunt tantum & proposuerunt ut regimen acceptarent. Si igitur tantum istud illis obtulerunt, nec quisquam de fructibus deferendis est locutus; quo pacto omnes sese excusarunt obtendendo quod eos derelinquere nollent? quia intellexerunt etiam sine ratione, quod regimen susceptorum aliorum, non sui, sed ipsorum tantum curam gerere oportet: & nisi totaliter, lucrum, commoditatem, & utilitatem, & cuiuscunque demum generis commodum privatam seponat, bonum commune competenter procurare

& promovere nequit.

Agendum non ab alio, quam ab arboribus discamus, utrum bonum istud regimen, eo quo istæ intellexerunt modo, obtineri & exerceri queat, radicum in terra? Et quæ obtulerunt, & quæ acceptare renuerunt, utraq; conspirant, quod non. Quid dixerunt offerentes? Dixerunt aliis singulis, *veni, & impera nobis*. Veni? Ergo, si eundem & veniendum erat, avelli ex loco ubi stabant, radicesque suas deferere opus erat. Porro singulæ imperium resutantes quid responderunt? Responderunt, quod ire non possent, se etenim movendo radices suas deferere oporteret, si ne quibus fructum proferre non valerent: *Nunquid possum deferere pinguedinem, & venire, ut inter ligna promovear?* Proinde regere, & regere, ut oportet, cum radicibus in terra consistere nequit. Gubernare malè, & in boni communis exitium difficultate caret. Eadem illud historia innuit, in qua progredimur, Videntes arbores, quod tres illæ oblatum respuissent imperium, inquit textus, quod Rhamnum adierint, eandem iterantes oblationem. Et quid Rhamnus? responsum dedit consideratione dignissimum. Eadem fuit arborum propositio, *veni, & impera super nos*, Et ipse non solum velut

7ud. 9.
v. 12.

Ibid. 9.

Ibid. 14.

Ibid. 14.

Rhamnus, sed velut spinosus respondit: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea quiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani*, q. d. Si verè mihi tribuistis imperium vestri, omnes ad pedes meos prostrati sub umbram meam confugite, & si vel una detrectaverit, talis è Rhamno prodi bit ignis, qui etiam altissimas Libani Cedros concremabit & comburet. Nescio num differentiam notetis. Arbores regnum deferentes dixerunt, *veni*: & ille respondet, *venite*: meum non est proprias deferere radices, sed vos oportet deferere vestras. Conclusionis vice deserviat, quod legitimè gubernaturus suas deserit radices: & inordinatè, seu perperam Regens, illis subditorum evulsis tantum sarrigit conservare suas.

§. VII.

HÆc privata & particularis est difficultas, ingenisque discrimen in quo versantur, suo supremo se non conformantes archetypo imagines radices habentes in terra. In hac representatione nova omninò fas est ut se conservent, & ad ritè gubernandum, ut à propriis sese radicibus segregent. Omnes respicite à majore ad mi-

norem usque virgas, quibus publica regitur. Nunquid etiam Virgæ istæ suas habuere radices? nihil certius Verum ut regimini applicarentur fortitè jurisdictione seu auctoritatem, omnes prius ab eisdem abscissæ fuere radicibus, & hinc omnes sunt siccæ. Quid igitur remedii, ut Virgæ recentes, quæ nos regunt & gubernant, habètes, ut habent, radices in terra, Cæsaris, quem repræscentant imaginem retincent? optimum quidem & anticipatum remedium fuisset, arborum exemplo se excusasse, sed excusationi jam non est locus. Timor quod imitari possint Rhamnum, qui promissè umbram, comminatus ignem anxium me reddere nequit, omnes quippe novimus moderationem & modestiam eorum qui regimen acceptarunt. Sed quia ipsa regimina solent hominum potius immutare constitutionem, quàm conservare; remediorum omnium securissimum foret, radices tollere & abscindere. Porro si quis tam generosæ foret resolutionis, ut in opus id redigeret; Ego vice Dei ipsi appromittere præsumerem, non idcirco defuturas. Virga Aaron radices non habuit in terra: nihilominus reviruit, floruit, fructumque attulit medio die, quem radices proferre nequeunt infra totius anni spatium,

tium. Verum miraculis Deo relictis, ad naturæ nos limites revocando, tantum vobis consulo, ut omnivirium applicatione contentatis id præstare, quod diligentia & industria facit. Enim verò quid Hortulanus facit ut elaboratæ à se figuræ suam repræsentet imaginem, quantascunq; in terra habeant radices? semper defixis intuetur oculis figuram quam repræsentans; & contra omnem humoris impetum, quem naturaliter radices plantæ subministrant nunc erigendo & dirigendo, nunc flectendo, nunc ligando, nunc abscindendo, adeo proportionatam & integram & sine mutatione in eis conservat imaginem, quasi marmoris insculpta, seu æri fuisset infusa.

Totum illud facere incumbit, illi, qui in se exprimere seu transfigurare, non aliam, nec minorem, neque sacram minus debet imaginem, quam illam ejusdem Regiæ personæ, quam repræsentat. Erigenda ipsi semper & dirigenda intentio, rectam illam semper habendo, ut serviat tantum Deo & Regi. Insectenda est voluntas, ut semper sit inelincta ad judicium sequendum, & veræ rationis distamina. Constringenda est ipsi concupiscentia seu

cupiditas, quæ potestati conjuncta validè & violenter rebellat, ne frantum excutiat. Denique si quis affectuum horum, ad aliquid representationi huic supremæ indecorum prorumpere nititur, mox abscindere & abrumpere oportet, ne deformem illâ & incompositâ reddat; & si fortè sentiat intus, ne appareat foris. Proponenda semper ante oculos figura, est Rex idem cujus imaginem geritis; & non tanquam absens, sed velut præsens; neque ut invisibilis, sed visus. Quoniam verò pacto hoc fiet, ipsò tam longè distante? perquam facillè, si ab ipsius regimine oculos nunquam averteritis, in qua ipsum Regem tam naturaliter, & ad vivum videbitis in sua propria specie expressum, ac si coram & præsentem intueremini. Dicitis forsân, quod in ordinatibus vestris sigillum & verba Regis legatis, figuram autem ipsius nulatenus videatis. Aperite melius oculos, & mox videbitis; sed consideratione ad altiora dirigere oportet. S. Paulus inquit Verbum æternum ipsius substantiæ Patris esse figuram: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Et quid est, quidve significat verbum? Est & significat Verbum. Ergo Verbum Dei propriæ suæ substantiæ est figura, *figura substantiæ ejus?*

Heb. i.
v. 3.

pro-

protinus ita est. Quia totam suam substantiam, & totum esse suum Deus Verbo suo impressit, & velut propriâ, naturali & perfectissimâ sui ipsius figurâ expressit. Proinde veluti Deus Verbo suo imprimat & exprimit suam figuram: pari ratione Reges, qui Dii sunt terræ, suis se imprimunt & exprimunt verbis. Ita ut legens verba, subscriptionem, & ordinationes Regis in suis constitutionibus propriam videat Regis figuram, vel Regem in sua ipsius videat figura. Nunquam penicillus Apellis tam feliciter & exactè effigiavit Alexandrum, nec ad vivum oculis exhibuit hominum, sicut Reges in scriptis suis & ordinationibus reproductunt & exprimunt se ipsos;

Eccl. 10. Sapiens in Verbis producet seipsum, v. 29.

Tempore quo Gothi dominati sunt Italiae, Regum quispiam cui fors detulit, ut Cassiodori pena scribere posset, suas expediendo declarationes & ordinationes absentes ministrorum quosdam hoc modo allôquitur: *Tenete speculum cordis, speculum voluntatis, ut quibus non sum facie notus, fiam morum qualitate recognitus.* q. d. Cum ad manus vestras meæ pervenerint literæ, eas tanquam cordis mei, voluntatis meæ, & mei ipsius

speculum excipite: è quibus qui me nescitis facie, cognoscetis animo. Notate modò quid addat iudicio verè regio, & prudentia & acumine plusquam regali: *In hac me potius parte conspiciate qua lateet præsentia mea: utilius est mente nosse, quam corpore.* q. d. Delectet vos potius, in meis me videre literis quas ad vos exaro, quàm in propria persona: hoc scientes, quod melius me videatis, quàm in aula mihi præsentis. Videbitis enim illud quod ipsi non vident, & à me intelligetis, quod illis non revelo: proinde hâc viâ nullum ab absentia mea damnum sentietis, neque præsentia meâ carebitis: præsentis enim meam tantummodo contemplantur faciem, ut reliqui; in absentia mediantibus mandatis meis & constitutionibus meam intuebitur animam. Sed ne, quæso, indiscussum & sine consideratione relinquamus, quod Rex ordinationes suas scriptas sui ipsius specula vocavit: *Tenete speculum cordis, speculum voluntatis.* Figura perfectissima, quam natura adinvenit & ars imitari nequit, est illa quam speculum repræsentat; quod enim picturæ referunt colores, vel statuarum facies, similitudo tantum est, & personæ repræsentatio: in speculo autem non similitudo

vel

species, sed ipsa persona per specierum reflexionem repræsentatur. Speculum nihil est aliud quàm ob-
 ex specierum, quibus medianibus videmus, illas reverberando, ut ad vim visivam revertantur. Porro quemadmodum speculum visus impedimentum, mediante reflexione clariorem reddit visionem; sic in absentia, quæ etiam impedit vim visivam, mediante scripturâ, eadem visio etiam exælior evasit. Sine scriptura, absentia est impedimentum, cum scriptura speculum. Istud igitur speculum Regum, in quo ad vivum magis eorum repræsentatur persona, quàm in ipsa figura, semper sibi ante oculos positum habere fas est iis, qui ex officio imagines Regum esse tenentur: certi quod quousque observaverint suarum constitutionum ordinationes, imagines Cæsarum erunt: Et è contrario, si illis se conformare neglexerint, similitudinem, figuram, & essentiam imaginum suarum perdent.

Disputant Theologi, utrum Adam per inobedientiam ipsam imaginis Dei essentiam, quam habebat perdidit? Et generaliter respondent, quod non; non enim perdidit memoriâ, intellectum, & voluntatem, in quibus unius & Trini Dei imago consistit, ad quam ipse Deus illum creaverat. Sed hæc

responsio distinctione indiget. Idem homo duplici modo imago erat Dei: Uno, sicut imago naturalis; altero, velut imago politica. In quantum creatura rationalis libertate gaudens arbitrii in tribus potentis, erat imago Deum naturaliter repræsentans, quam perdere non poterat; quia in ea propria ipsius essentia consistebat: verumtamen in quantum Dominus mundi, omnibus imperans animalibus, vices agebat Dei, eju'dem erat imago politica; & hanc Adam perdere potuit, & actu perdidit. Sed quando, & quomodo? Deus illum paradisi constituerat custodem, cum mandato ne aut ipse, aut uxor ejus, de fructu vetito comederet: Et quousque Adam hanc observavit constitutionem (quod nescitur pro certo quam diu duraverit) integram & illibatam hanc secundam Dei imaginem, tanquam honoratus, & pro Domino reputatus; conservavit obedientibus sibi in aère, mari; & terra cunctis in tribus istis Elementis viventibus; neglectâ verò, immo violatâ constitutionis & ordinationis eju'dem observantiâ, non custodiendo paradisum, liberumque serpenti in illum permittendo ingressum, nec à vetita abstinentis arbore, quia ut Eva comederet consensit, & ipse quoque comedit; imaginem mox

perdidit, in qua Deum politicè representabat; & animalia jam perditam nec videntia nec recognitione imaginem, naturali instinctu exinde denegatâ obedientiâ ipsi rebellabant.

Vidistis (inquit eleganter in hunc locum S. Chrysostomus) vidistis quâ vos subjectione canis vester agnoscit, quâ promptitudine vocatus accurrit, quo vos amore sequitur, quâ naturali lætitiâ foras egressus vos excipit, & congratulatur exiliens: è contrario verò, si alio vos modo induistis, si faciem larvâ aliquâ cooperuistis, idem ille canis latrando vos aggreditur & invadit, & in propria domo non secus ac extraneum & inimicum aderitur. Idem Adamo usû venit cum omnibus animalibus, per inobedientiam mutatâ jam figurâ, & imagine Dei amissâ, quæ translata in ipsum universalis: Domini visibilis character erat. Tantum distat servari vel non servari ordinationes & constitutiones supremi principis ab illis, quos in locum suum substituit, ut velut imagines ipsum representent. Ego non conqueror de imaginibus fucatis; optimè enim novi colores, quibus honestè & modestè se tingere & effingere nôrunt, quantum præsentationibus suis expedit: sed uni-

versalis mihi querela est de omnibus, quod imagines hæ sic factæ & obumbratæ, abjectâ mox larvâ & fucis obstendant quod sunt, & semper fuerunt: proinde nullum aliud certum & securum est remedium, quo integrè Cæsaris imaginem representare possint, qui ex gratia ipsius & autoritate nomen hoc gerunt, quàm inviolatâ & exactâ ordinationum & constitutionum ipsius observantiâ, & sese contemplari, componere, & effigiare in ipsius ordinationibus, tanquam in speculis.

§. VIII.

Hucusque dicta sufficiunt (sû non super effluant) ut neotherici electi intellexerint modum, quo imaginum Cæsaris obligationi & officio respondere possint & debeant, ubi sine exemplo de præfenti se vident constitutos: Quod primû propositionis nostræ punctum erat, secundum ejusdem Cæsaris subditos & Clientes concernit, & est, quomodo eisdem imaginibus obedire, honoremq; & venerationem exhibere oporteat: in quo omnes in primo discursu notatæ difficultates sunt expeditæ, & hinc valde succinctum erit.

Primò in subditis non occurrit difficultas rectitudinis, ut indiffe-

differentes & resolute agant quod agendum est ; siquidem hæc regentis tantummodo, seu mandantis & gubernantis , & non obedire tantum obligati officio incumbit : cum hoc peculiare sit obedientiæ privilegium , ut cum errare possit mandans , & errare quidem frequentius ; simpliciter tantum obediens , immò errores eisdem sequens , nunquam errans rectè semper operetur. Pari ratione subditi terribili isti non sunt expositi tentationi , cui exponitur ipsæ Cæsaris imagines , eò quòd longè ab illis distent : si enim representatæ ab illis imagines longè distant , eis sese conformare obligati , quamvis sint deformes , semper illas ceram intuentur. Deniq; imagines esse radicas in terra , tantum abest , ut incòveniens existat , ut vel maximè toti Reipublicæ conveniat. In eadem nati & educati terra , quia uniuersumq; differunt qualitates , climata , & influentia cœlestes , quarum dominio subfunt , inclinationesque & mores seu bonos seu malos inhabitantiũ norunt , & omnium longam experientiam habent ; quæ admodum facile promovere possunt bonum , sic pariter , efficacia magisq; probata adhibere norunt media , quibus malo occurrì possit. Porro omnibus hisce proprietatibus & notiis , non

utilibus solum , sed plane necessariis carent recenter & peregrè venientes , nihil illos , tanquam inexpertos adjuvante ullâ scientiâ , ratiocinatione , iudicio quantumcũque acuto & bene instructo , Adam & Evæ scientiam habebat infusam , scientesq; , quòd ignorare non poterant , serpentes loquelæ incapaces , unius illorum persuasione , jam à Deo mundi rectores in Paradiso constituti , mundum & paradisum omnia paucarum horarum spatio perdiderunt.

Vice versâ Deus occurrere voluit extremi periculo exterminis in quo populus Israëliticus versabatur in Ægypto. Quem verò huic tanto molimini , illum à tam validis & potentibus defendendi & liberandi hostibus ministrũ elegit : electus fuit Moyses , qui licet vestitus pellibus , baculum pastoritiũ gestans manibus oves custodiebat in deserto , quadraginta jam annis natus , constitutionisque terræ Ægypti gnarus erat. In Ægypto fuerat natus , inter Ægyptios educatus , in scholis Ægypti omnem illorum scientiam haulerat : proinde non aliis instruentis , quàm eodẽ baculo pastoritio omnes superavit difficultates , & feliciter intentũ suũ est cõsecutus , ea operatus miracula , quæ nunquã viderat , nec postmodum vidit mundus. Nunc

illum volumus succurrere capti-
vitatibus Ægypti, & inibi miracu-
la patrare qui nunquam Ægyptū
vidit. Propheta Habacuc à Deo
in Babylonem pergere iussus, ad
succurrendum Danijeli in lauleo-
num, prudentissimè sese excusa-
vit, dicens se Babylonem nunquam
vidisse & lacum nescire: *Babylonem
nunquam vidi, & lacum nescio.*

Dan. 14.
v. 34.

Abit in Babylonem, & reversus in
Judæam, dimidiæ diei spatio tan-
tum confecit itineris per aërem,
quantum vel velocissimus viator
non confecisset, dimidii spatio an-
ni. Quod factum est, quia idem
Angelus qui fuerat nuncii Bajulus
ex parte Dei illum sustulit, & por-
ravit ostendens illi quod nunquam
viderat, & docens quod ignorabat.
Supposito igitur, quod mille leucis
venientes ad terram nostram non
minus sibi novam ac ignotam,
quam Babylonia erat Prophetæ,
neque comitati neque translati
sunt ab Angelis, qui experientiæ
defectum suppleant, vix primis
positis rudimentis revertuntur unde
venerunt. Multò sanè melius
provisum est locis, quæ illi occupa-
turi venerant, ab his, qui tam gna-
ri constitutionis, iudicio tanto, &
prudentiâ, ejusdem terræ amore
ducti illam coluerunt velut pro-
prium, & non sterilem reddide-
runt velut alienam. Et si quando-

que ex cura sua & labore fructum
aliquem colligant, istud sane mi-
nus erit eò, unde natum est; quod
idem est, ac de novo seminare; &
non mandare terræ, quod tollat
mare.

Omnes nunc adductæ rationes,
congruentiæ & utilitates, præsen-
ti in regimine promptam evincunt
subjectionem, & alacrem subdito-
rum obedientiam, respicientium
hasce novas Cæsaris imagines tan-
tò majore propensione & prompti-
tudine, quantò magis de patria,
& domo participant. Verùm ea
est conditionis humanæ protervia,
vitiumque patriæ tam proprium;
ut cum sint populares, domesti-
cæ, eædemque secum imagines,
loco ejus ut majorem concilient
venerationem, obedientiam & re-
spectum, in despectum, inobedi-
entiam abeant & rebellionem. Hoc
ipsum Sauli & Davidi utrique à
Deo electo, patriæque regimini
dignissimo evenit. Quibusdam o-
bedientibus rebellârunt aliqui, in
quibus ad septennium usque re-
bellio perseveravit, usque dum er-
roris suis experientia docti ratio-
ni paruere. Porro si vitii radices
inquirere luberet, non aliam ipsius
causam & ortum, quam perso-
narum æqualitatem deprehende-
remus; quolibet sibi electionem &
præferentiam deberi præsumente.

Aaronis

Aaronis ad summum sacerdotium erectio, eatenus displicuit multis, ut Dathan, Core & Abyron eam in populo suscitârunt seditionem, ut ad hanc sedandam Deo mandante, ad condignè puniendos rebelles aperta terra hiatu suo absorptos transmisit ad infernum cum omnibus substantiis & familiis; & igne de cœlo descendente plus quam quatuordecim millia hominum, rebellionis complicum fuerint consumpta. Enim verò quare rebellibus adhæserunt: quia multi eorum, conditione æquales, cognatione Aaronem contingebant, ideoque prælatum sibi ægrè ferebant. Sed Deus similitum ambitionum cæcitatem graviter adeò fert & severè castigat; ut lege lata populo eidem sanxiverit, ut si quandoque Regem sibi constituere vellent, cujus gubernarentur imperio, non aliundè sibi, nec extraneum ullatenus, sed ex fratribus suis hunc eligerent: *Non poteris alterius Genitis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Denique Christus Dominus noster bonum pastorem vocat illum, qui cognoscit oves suas, & cognoscitur ab illis: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Quomodo eas reget & gubernabit extraneus (& quidem infuper mercenarius) qui nec co-

gnoscit eas, neque cognoscitur ab illis?

[S. IX.

VERùm contra hæc omnia insurgit illa Politica usu magis & consuetudine quàm exemplis approbata, quæ persuasit mundo, ut solùm imaginum splendore capiatur, vel perstringi se sinat, non advertentibus hominibus, quod representatio, in qua imagines consistunt, in quacunque demum materia, semper eadem sit. Qui verè credit in Christum, non minus in plumbeo, quàm aureo Crucifixo illum adorat. Nihilo secius adultores, & adulationibus pasti illis tantùm regimina deberi volunt, & eisdem idonea judicant magnifica & illustria nomina: ac si opera & facinora præclara & honorifica non ratione majore speranda sint ab eis, qui ad honorem famamque acquirendam aspirant, quàm ab eis qui jam se eam habere putant, & publicè jactant. Ipse conditionis illustrioris splendor metum illis aufert, & exemptione extollit, quæ magna attendendi audaciam præbet; & ex magna audacia majores pullulant ruinæ. Elementorum omnium splendidissimum, & loci situ sublimissimum, & qualitate nobilissimum, est ignis, à quo radii accenduntur cœles-

Deut. I.
v. 15.

stes, & incendia excitantur in terra. Naturalis ipsius aëvitatatis finis & scopus est, excitare fumos, & facere cineres: nec accommodatum ædificandis & conservandis civitatibus instrumentum est quod concremare & consumere trias consuevit. Reliqua Elementa nobis inserviunt gratis, & ignis solus nostris expensis, ut enim serviat, habere debet quod comburat, & nisi comburat, non servit. Hujuscemodi est illa splendissimi lux elementi, & hujuscemodi sæpius regimen illustrissimorum. David Illustris non erat, & Salomon filius ejus Illustrissimus fuit, & regnum quod constravit & amplificavit non Illustris, evertit Illustrissimus.

In Apologo quem ex S. Scriptura retulimus, in quo arbores regem sibi quæsierunt, valde notandum est, quod non nisi olivæ, ficulneæ & viti, prætermisissis & exclusis aliis omnibus, regnum obtulerint. Ficulneæ, vitis & olivæ nomina considerate, quæ omnia sunt honorifica, & mediocriter nobilia. Enim verò, quare idem non obtulerunt Cedris, Palmis & Cypressis? Nunquid non istæ altitudine, celebritate, & decore arbores antecedunt universas? ut quid igitur viridis hæc & florida plantarum respublica imperium ipsis deferre noluit? ra-

tio fuit, quia altissimæ & illustrissimæ erant. Altum & illustre decori & magnificentiæ, sed non utilitati & necessitati deservit. Arbores Deus non pro ventorum vexillis, sed pro hominum alimento creavit. Quid refert seu prodest earum altitudo, si fructus est modicus? quem unquam Cedri, Palmæ & Cypressi sustentaverunt: è contrario ficulneam degustat mundus, olivæ liquore illuminatur, vite latificatur, & præ cæteris plantis sustentatur. De cæteris tribus arboribus nihil aliud S. Scriptura commemorat, quàm quod exaltationem sui quærant in altissimis montibus: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano; & quasi Cypressus in monte Sion: quasi Palma exaltata sum in Cades.* Condecorentur itaque arboribus istis sui montes; vales nostræ non indigent, qui earum exaltationem promoveat, sed qui remedium nostrum curet. Cedri, Palmæ & Cypressi arborum sunt Gigantes, & non minus quàm diluvium Gigantes induxerunt super terram. O quàm durum istius superbi triumviratus foret imperium; in inflexibili scilicet robore Cedri; in rugosæ Palmæ asperitate, & funestæ Cypressi tristitia! aliarum verò mediocris staturæ arborum regimen foret æquale, moderatum, suave: hinc omnes suam dul-

Eccl. 24.
v. 17.

dulcedinem obtenderunt. Istud proinde eisdem de causis de nostro regimine expectare fas est.

Cum igitur novum regimen tam specialiter respondeat imaginibus, quas præsentibus habemus, felicissimi nostri Cæsaris, quem Deus incolumem conservet; nova similiter & exactior quàm unquàm sit subjectio, respectus & reverentia, quâ subditi omnes Majestatis ejusdem illos venerantur & obediunt, non tantum quasi Regis persona coram præfens adesset, sed certo modo multo adhuc amplius. Observavi tam in cælo, quam in terra, Monarchas supremos plus facere obsequia suis imaginibus, quàm suis propriis personis præstita. Memini me legisse in Augustino libro commentationum super Psalmos, quod commoratus Romæ tempore nondum omnino extinctæ Idololatriæ, valde fuerit admiratus, quod homines templum solis adirent, cujus hodiequæ adhuc non exigua apparent vestigia, quodque ibidem nocte dieque dorso ipsi obversis imaginem solis adorarent. Si enim solem habebat præsentem, quare non ipsum, sed imaginem ejus adorabant? quia intelligebat Religio superstitioque Romana, propria Politicæ suæ excellentiâ gubernata, longè magnificentius esse Planetarum Monar-

chæ tam remotè in sua adorari imagine, quàm in seipso, quàmvis viso. Saltem certissimum videtur, ita & idè supremam judicasse Nabuchodonosoris Majestatem, quâdo non solum Dominum, sed universæ terræ Deum se esse sui ipsi superbia persuadebat. Tam stupendæ, ut novimus, magnitudinis statuum fieri mandavit: & fornacibus accensis contra eos qui adorare renuerent, audito tubæ sono omnes ante eam genua flectere iussit. Sed enim, si Nabuchodonosor aderat præfens, cur non se, sed statuam adorari mandavit? quia majoris gloriæ, (& ut vocabatur) omnipotentis erat ostentatio, venerari & adorari, in representante se imagine, quàm in sua propria persona.

Una tantum circumstantia Nabuchodonosor diffidentiam prodidit, scilicet imaginem suam ex auro faciendò. Rex illam ex lapide conficiat, & multo reverentius, per illam adorabitur, & tibi gloriosius erit. In statua aurea, materia & non forma adorari videri potest: valor metalli, & non representatio imaginis. Ubi materia imaginum minus est pretiosa, ibi purior & excellentior est fides & reverentia. Et hæc excellentia est in casu nostro, dum non adoratur, respicitur, obedientiamque fortitur supremum Cæsaris nostri.

noſtri prototypon in imaginibus aureis uſque huc mitti ſolitis, ſed marmoreis, naturalibus, domeſticis, noſtræque terræ propriis. Porrò ſubſecuto ſperato effectu, & ego de mutatione dexteræ excelſi mihi promitto; regimen præſens tam acceptum fore Deo, & Regi, ut Maieſtas ſua illud confirmet & perennare faciat impen-

diis minoribus, maioribusque noſtris commodis, tamque manifeſtis profectibus, & Divini Regiique ſervitii incremento; ut ſumma pace, tranquillitate, concordia in hoc noſtro verificetur ſtatu, quod hodie Chriſtus reſpondit in Evange-
lio: *Reddite qua ſunt Caſaris Caſari, & qua ſunt Dei Deo, Amen.*



S E R M O

D E

Beatiffima Virgine Maria de Gratia.

Patrona majoris Eccleſiæ Civitatis de Parà, cujus feſtum celebratur in die Aſſumptionis ejuſdem Beatiffimæ Virginis.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

§. I.



Agnus dies, magna feſtivities, magnū Evangelium: nec minor difficultas trium harum obligationum propriè

& verè concordare concurſum. Magnus eſt dies: eſt enim ſpecioſus ille dies, quo Virgo Maria, ſoluto mortis debito, tanquam vera Adæ filia, mox reſuſcitata velut vera Deipara in cælum aſcendit, ejuſdem

dem gloria in aeternum fruitura. Magnum est festum: nam festum est Beatae Virginis de Gratia, cum titulo Patronae majoris hujus Civitatis Ecclesiae, praecipuae tam late patentis Provinciae, omniumque capituli. Magnum est Evangelium; nam in eo sub mysteriosis Marthae & Mariae nominibus duae representantur vitae, activa & contemplativa; in quarum complexu tota perfectio Evangelica comprehenditur & continetur. Magna denique difficultas, tres hic concurrentes obligationes concordare; cum enim gloria sit finis, mediumque illam consequendi sit Gratia, antepone gratiam Gloriae, & medium fini, non solum videtur dissonum, sed manifestè inverti ordinem. Et quia Evangelium optimam electionem, optimamque partem applicat Beatissimae Virginis Gloriae; pro eo quod eadem Gloria celebranda esset in die Assumptionis ejusdem, illam eum titulo Gratiae commutare, etiam valde videtur improprium, ne dicam, injustum.

Quo motivo olim fundatores, templo hoc sub titulo Beatissimae Virginis Mariae de Gratia constructo, ejusdem tituli celebritatem eum die Gloriosissimae Assumptionis ejusdem Virginis umerint ignoratur, nec alicubi memoratur.

Pars V.

Sed in hoc ipso quod improprium injuriosumque videtur, ego tres ingentes proprietates, & adaequatas rationes invenio. Prima, quia Gratia jus tribuit, unde debetur Gloria: Secunda, quia Gloria cuique distribuitur juxta Gloriae mensuram: Tertia, quia consummata gratia possideri incipit gloria. Quia verò dies in quo jus est absolutum, mensura adaequata, nec non immensa Deiparae Gratia perfectè consummata, idem ipse fuit ejusdem Gloriosae Assumptionis; nec differentibus horis & momentis, sed eadem prorsus diei illius hora & momento, quo Gratiae immensitatem plenè consummavit, Beatissima Virgo Gloriae immensitate frui coepit; non pietatis tantum, devotionisque fuit peculiaris, sed etiam iustitiae, in hac celebrari die, sicut fit, cum titulo Beatissimae Virginis de Gratia: in tantum, ut in nullo alio die sive Beatissimae Virginis festo, convenientius illi tribui possit titulus Gratiae, quam hodie, & hoc festo. Et quare? quia in omnibus reliquis diebus, Gratia ejus incrementum semper accipiebat, in hac summum perfectionis & consummationis attingit gradum: in die Conceptionis Beatissima Virgo Maria concepta fuit in gratia, sed haec gratia à Conceptione, usque ad Nativitatem crevit; à Na-

Kk

tivi.

tivitate usque ad præsentationem in templo ; & à præsentatione in templo, usque ad Incarnationem. In die Incarnationis Beatissima Maria Gratia fuit plena, sed hæc Gratia crevit usque ad visitationem ; à visitatione usque ad partum, à partu usque ad Purificationem, à Purificatione usque ad mortem, resurrectionem, & ascensionem filii sui : & tot successivè annis quibus in hoc mundo vixit, semper magis magisque usque ad ultimum vitæ instans accrevit. Proinde nullo die alio, præterquàm vitæ ipsius ultimo, qui fuit ipse Beatissimæ Virginis Mariæ dies, Gratia ejus propriè & principaliter celebrari poterat, vel debebat : nam in illa solum die eadem Gratia in omni sua perfectione & magnificentia absoluta fuit & consummata. Et istud hæc nostra celebrat Ecclesia.

Sed quia Gratia Beatissimæ Virginis Mariæ fuit consummata in die qua vitam finivit temporalem, & Gloria ejusdem etiam fuit consummata in die, qua vitam inchoavit æternam ; ad aggrediendam quæstionem profundissimam, in hisce terminis, & in hac die inevitabilem inter Gratiam & Gloriam utramque consummatam : & ad resolvendum, ad quam, juxta thema nostrum, partis optimæ

pertineat electio, *Maria optimam partem elegit* : Ab eadem petamus Gratia & Gloria Domina, ut ita sua nobis assistat gratia, ut eandem in sua mereamur contemplari Gloria. *Ave Maria.*

§. II.

Maria optimam partem elegit.

Maria tota attentione in sui communisque nostri Magistrum divini verbis audiendis suspensa : Martha similiter omni curâ & sollicitudine in adornanda condignè mensa, in qua tantum hospitem erat tractatura occupata : Maria arbitrate ex urbanitatis præscripto, sui potius esse officii, Domino assistere ; & Martha se à Sorore in ministerio derelictam conquerente : Christus ad querelam respondit unius ; & silendo alteri succurrit sorori, velut oraculum divinum pronuncians, quod Maria optimam partem legisset : *Maria optimam partem elegit.* Historiam hanc allegoricè sumptam, cum propriam non habeat Evangelium, Ecclesia Catholica, præsentem gloriose Beatissimæ Virginis Mariæ Assumptionis applicat solemnitati, non
Ma-

Mariam (Magdalenam) comparans Marthæ; sed Mariam (Matrem Dei) toti cœlesti Angelorum simul & hominum præferens curiæ, cœlestem Gloriam in duas dividit partes; unam, quæ omnes complectitur Beatos: & alteram, quæ ad solam pertinet Mariam. Et hanc decantat & prædicat quod non sit melior quocunque modo; sed optima in gradu superlativo, *optimam partem elegit.*

Hoc modò peraptè Evangelium concordat cum Gloria Beatissimæ Virginis Mariæ: sed secunda loco huic reservata difficultas, non consistit in eo, ut cum Gloria ejus; sed cum gratia ejus Evangelium concordet. Enim verò quid esset, si ego Evangelium ipsaq; verba magis propriè titulo Gratia, quàm titulo Gloria ejusdem Virginis Mariæ congruere assererem? sic pronuncio, & sic illud probo: quicquid enim Maria ad pedes acquirebat Christi, & melioris electio qua Sorori suæ fuit prælata, historice, literaliter & propriè erat de Gratia & non de Gloria. Fodem confirmatur textu, qui ait quod Maria auscultabat Dominum: *Audiebat Verbū illius.* Non dicit quod videbat, sed quod audiebat & auscultabat: auditus autè, qui est sensus fidei, ad hanc pertinet vitā, ubi

anima melioratur per gratiam; & non ad alterā, ubi beatificatur per Gloriam. Quantum igitur ad concordiam Evangelii cum titulo: longè melius illud conciliatum habemus cum titulo Gratia, quàm cum titulo Gloriæ; nam titulo Gloriæ accommodatur tantum parabolicè; titulo Gratia congruit historialiter, propriè & naturaliter.

Restat tantummodo partis unius bonæ, & alterius melioris cōparatio & quænam optimam Gloria sit subsecuta: *Maria optimam partem elegit*, comparatione literaliter accepta, Maria Magdalena in melioritate gratia Marthæ fuit prælata: comparatione allegoricè su prælata, Mater Dei Maria omnibus Beatis in melioritate Gloriæ fuit prælata. Veruntamen in comparatione nostra, & particularis hujus Ecclesiæ, in quam illam celebramus sub titulo Gratia, eodem die quod illam Ecclesia universalis celebrat sub titulo Gloriæ; si ipsa Domina comparari nequit nisi secum ipsa, neque alia dari potest comparatio, nisi inter Gratiam & Gloriam; Utinam horum duorum tribuenda videtur præferentia, & de quanam dicendum, *Maria optimam partem elegit*; Num Mariæ quatenus Gratia, seu quatenus Domina Gloriæ? Istud

sublimissimum erit discursus nostri punctum. Et quamvis uterque titulus in Matre Dei sit immensus; pro majore tamen ejusdem Dominæ Gloria, Gratia suæ titulo dabimus primas. Utinam eadem Gratia Domina suâ nobis assisteret, ut penetraremus hanc veritatem, vel nos ab ea penetrati ritè pateremur.

§. III.

PRO demonstratione ejus & intelligentia (quæ majora etiam ingenia fatigat) supponendum est, tam Gratiam, quam Gloriam esse bona supernaturalia. Porrò si me interrogaveritis (sicut vel omnes, vel quasi omnes interrogare me debetis) quid sit bonum supernaturale? Scire vos oportet, esse bonum, quod nobilitate, pretio, & dignitate universa alia bona naturæ tam visibilia quam invisibilia transcendit. Quem excessum ut exemplo quodam declaremus: eritne quasi adamas communi alicui plateæ lapidi comparatus? eritne similis illo Solis cum umbra collati? eritne instar hominis cum formica comparati? eritne ad instar seraphini cum bulla collati? Nulla ratione. Lapis enim & adamas, homo & formica, Seraphim & bulla omnia

naturalia sunt, & creata à Deo quantum naturæ autore: & quia sunt naturalia, nihil horum comparari potest alicui supernaturali; etiam in tantum, ut si Deus crearet, uti potest, mille mundos alios isto perfectiores, & numerosioribus, nobilioribus, excellentioribusque creaturis ornatos, supernaturale eos semper excederet: superioris enim est gradus, quam omnia quæ naturæ sphaera comprehendit. Porrò tales sunt Gratia & Gloria, quæ solum inter se comparari possunt, pro ut nos in hac nostra quæstione illas comparamus.

Dico igitur, seu repeto, quod si electio facienda esset inter Gloriam & Gratiam, juxta nostrum thema, *Maria optimam partem elegit*, eligenda potius esset Gratia, quam Gloria: Idque non unam sed multas ob rationes. Prima, quia Gratia secum involvit Gloriam; & quamvis dari possit Gratia sine Gloria; non tamen è converso Gloria dari potest sine Gratia. Gratia fundamentum est Gloriæ, & Gloria est consequentia Gratiæ: Gratia debetur nemini, & Gloria debetur omni in Gratia constituto. S. Petrus Apostolus inquit, quod mediante Gratiâ, quæ tanquam formâ divinæ consortes efficiuntur naturæ, Deus nobis maxi-

2. Petri
I. v. 4.

ma & pretiosissima pollicitus fuerit : quod verba illa significant : *Per quam maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hac efficiamini divina consortes nature* : Ita ut in dono Deus nobis simul dedit donum & promissa. Sed si promissa sunt de futuro, & dona de presenti, quo pacto promissa dedit in dono ? Quia promissa futura sunt Gloria & beatitudo, quâ fruemur in cælo ; donum præsens est Gratia, quâ jam fruimur in terra : & quia Gratia Gloriam beatitudinemque involvit, consequenter donando nobis donum, simul & promissa nobis dedit : *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit.*

In hunc modum celebrem hunc locum S. Petri explicant & declarant eruditores, & expositores literales; ego verò meliorem omnibus expositorem habeo Regium Prophetam; *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, Gratiam & Gloriam dabit Dominus.* q. d. Quia Deus amat misericordiam & veritatem, hinc Gratiam dabit, insuper & Gloriam. Consideremus bene illud, quia: quia Deus misericors est & verax, misericordiam diligit & veritatem, est hæc ratio, seu sunt hæc rationes, quare Deus daturus sit Gratiam, insuper & Gloriam :

Ita plane. Daturus est Gratiam quia misericors : & Gloriam, quia verax. Quemadmodum Gratia, qua Deus condonatis peccatis nos sibi reconciliat, nemini debetur, sed est gratuitum & liberale misericordiarum suarum donum : sed Gloria, quam Deus omni in Gratia suo constituto promissit, tota spectat ad ejus veritatem; nam quatenus verax, suis nequit non stare promissis. Eleganter id ipsum S. Augustinus describit : *Ille qui tribuit misericordiam, servat veritatem, indulgentiam donavit, coronam red-* S. Aug.
det: Donator est indulgentia, debitor corona. q. d. Idem Deus qui in gratia suam nobis præstitit misericordiam, in Gloria suam nobis exhibebit veritatem. In Gratia misericordiam, quia non debitam nobis impendit indulgentiam : & in gloria suam veritatem, quia nobis dabit coronam, cujus se debitorem fecit, *donator indulgentia, debitor corona.* Modus verò quo se debitorem fecit est, non quod aliquid acceperit à nobis, quod solvere teneatur, sed quia id promissit nobis, quod non potest non adimplere : *debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promissisti.* Et quia in archiviis Gratia deposita sunt credita gloria, videre, num gratia eli-

genda sit potius quàm Gloria; cum Gratia & Gloria simul pertineant ad Gratiã.

Propter infallibilem hanc Gratiã cum Gloria connexionem, S. Paulus spem dixit beatam, quia in hac vita Gloriam speramus: *Ad Tit. 2. v. 13. expectantes beatam spem, & adventum Gloriam magni Dei.* Sed ne hac spe decipiamur, sicut & reliquæ spes adeo solent decipere; animadvertere necesse est, magnam inter fundamenta ejus esse differentiam. Spes medium inter fidem & charitatem locum obtinet. Spes in sola fundata fide, non est verè beata, in dubio enim positam habet beatitudinem: fundata autem in charitate, quæ est gratia, certam & indubiam habet beatitudinem; non enim Deus speratam illi negare potest beatitudinem & Gloriam: *Expectantes beatam spem, & adventum Gloriam magni Dei.*

§. IV.

Ratio secunda, quare eligenda sit magis Gratia, quàm Gloria, ab utriusque deducta est definitio- ne & essentia. Gratia in amando Deum, & ab eodem amari cõsistit: Gloria in videndo ipsum Deum: & quamvis videre Deum maxima sit felicitas; quis negabit præferendam infinite inæqualis, sed re-

ciproci amoris correspondentiam, scilicet hominis erga Deum, & vice versa? Dei erga hominem? Hanc supremæ correspondentiæ veritatem, ipse Deus esse fecit de fide, quando dixit, *ego diligentes me diligo.* Imago ipsa Dei visione, cum amore ejusdem ex parte nostra collata, nullus erit justus, qui non potius amare eligat. Et si minus, eos judices adducamus, qui clarius vident, ardentiusq; Deum amant, scilicet Seraphinos. A latere throni Dei in cælo Isaias Propheta duos vidit Seraphinos; qui alis duabus faciem velabant, & duabus alis pectore aperto volabant: *Duabus alis volabant, duabus alis velabant faciem ejus, & duabus volabant.* Omnes Angeli vident, & Deum amant; & quanto magis Deum contemplantur & amant, tanto eminentiorem quilibet in sua Hierarchia obtinet locum. Si igitur Seraphini isti eo ordine, quo supremum in suprema Hierarchia obtinent locum tales sunt, quia clarius vident & ardentius amant Deum; quare se visibiles exhibuerunt Prophetæ oculis operis & velatis ad non videndum, & pectore tantum relecto ad amandum? Ad amandum dico, & magis magisque amandum; alarum enim motus (cum non starent ad volandum, sed fixi in loco consistentes) plus

pro-

Sanchez.
Cornel.
hic.

proderat ad amoris incendium tolerandum, prout nonnulli ajunt interpretes; vel ad magis inflammandum & accendendum, prout dicunt alii. Verum enim verò, si tantum, tamque ardentem amant; quomodo alii aliis extinguere, aliisque accendere, ipsique amori objecti amati visionem negare videntur?

Duplici responso huic bene fundato dubio est occurrendum. Primum est, quod operiebant & velabant oculos ad non videndum, quando retegebant pectus ad amandum, ipso Deo visus & amoris existente objecto: quia plus gloriantur Seraphini, majorisque æstimant in suprema status sui felicitate singularitatem amoris, quam præminentiam visionis. Idcirco, prout notat Dionysius Areopagita, denominationem intellectus, qui sunt oculi quibus videtur Deus, reliquerunt Cherubinis uno gradu inferioribus, sibi usurpantes antonomasiam incendii, quo sese in ipsius Dei amore accendunt, Seraphinos se, id est, ardentes, appellant. Secunda multoque sublimior ratio, quod claudant oculos, quando aperiunt pectus, est, quia excellentius judicant perfectissimo amore dignum, non vi-

dendo potius amare, quam videndo. Id ipsum S. Petrus in primis Christianissimi professionibus exaggerat dicens, quod non videndo Deum amarent: *Quem cum non videritis diligitis.* Et hæc profectò differentia est Seraphica quæ Beati Gratia in terra, & Beati Gloria Deum amant in cælo. Illi Gloria Deum amant videndo: & hi Gratia similiter illum amant, sed non videndo.

Porro si hæc gaudent prærogativa, in quantum solummodo amant Deum, quod Gratia pars est; quid erit in quantum amant Deum & amantur ab eo in quo tota consistit reciproca hanc Deum inter & hominem in gratia, constitutum amoris correspondentia, anima declaravit in Canticis dicens, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* q. d. Deus est dilectus meus, & ego sum dilecta ipsius. Et cum Deus per infinitam suam magnificentiam & supereminentiam sit ille qui est, & homo per suam vilitatem & abjectionem etiam infinitam, sit ille, qui est (vel qui non est) quis hunc confidentialem, & æqualem loquendi modum non admiretur & obstupescat, ille mihi, & ego illi: id est, ille dilectus meus, & ego dilecta ejus? S. Bernardus in hæc duo commentas verba quodlibet eorum insolens,

1. S. Pet. 1
v. 8.

Cant. 2.
v. 16.

&

D. Bern.
serm. 68.

& utrumque insolentissimum appellare non erubuit : *Insolens Verbum, & ego illi : nec minus insolens, dilectus meus mihi : nisi quod utroque insolentius utrumque simul.* Sed anima illud effata agebat in Gratia, & ad tantam sublimitatem eadem Gratia elevat animam, non tantum quatenus amat, sed quatenus amat, & redamatur à Deo ; ut quod insolentiam redolere videri poterat ex parte hominis, ex parte Dei iusta sit condescensio : tali familiaritate Deo agente cum homine, & vice versa, ac si æqualis fuissent conditionis : *Quasi ex aquo morem gerere, & rependere vicem,* idem notat S. Bernardus. Agedum conferte nunc si placet, amare Deum in cælo per visionem, cum hoc amari à Deo in terra per Gratiam. Beati in cælo dicent, quod videndo Deum necessario ament : Nos dicemus in terra, quod quia vivimus in Gratia Dei, necessario amemur à Deo. Huic meo asserto justius adhuc insolentis debetur censura, nisi esset de fide, sicuti est. Si visio Dei necessario hominem impellit ad amandum Deum, etiam Gratia necessario Deum movet ad amandum hominem. Visio necessario movet Beatos ad diligendum Deum, non enim possunt ab amando Deo visocessare : Et Gratia necessario incitat Deum

ad diligendum hominem : Deus enim non potest non diligere hominem, in Gratia constitutum,

§. V.

Tertia ratio seu præcellentia, quare, abstrahendo Gratiam à Gloria (in quo sensu jam loquimur) eligenda potius sit Gratia quàm Gloria, est, quia Gratia facit Filium Dei, Gloria hæredem. Si homines cognoscerent, quid istud nomen Filii Dei includeret, & quomodo Gratia non solum illud nomen nobis tribuat, sed ipsum esse significatum conferat ; quàm aliter in se æstimarent, in aliisque nativitatem hanc plus quàm regiam revererentur ! Si nasci de Carolo in Hispania, vel de Ludovico in Gallia, vel de Leopoldo in Germania non sine ratione maximæ fortunæ loco habetur ; qualis erit illorum de quibus veraciter dicitur, *non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt ?* Aliorum nativitas ex sanguine, illa filiorum non ex sanguine æstimatur ; sed ratio, cur homines sublissimam hanc nativitatem pro dignitate non æstimant, est, quia Deum non cognoscunt. Si ignorant Patrem, quomodo filios æstimabunt ? Profundissima hoc consideratione S. Joannes Evangelista expendit : *Videte*

Joan. 1.
v. 13.

qua-

v. Joan. 3.
v. l.

lem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus: propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Ecce, inquit, quousque progressa sit Patris æterni charitas, ut donum nobis tam excellens, & supra humanum conferret, & tam propinquum ad divinitatem suam jus tribueret; ut non solum Filii Dei nominemur, sed verè tales simus! Porro si mundus nos quà tales pro dignitate non æstimat, inde est, quia non novit eum: *propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* Quasi Evangelistarum aquila diceret; Ego sum despectus, quia mundus novit Zebedæum, cujus sum filius per naturam; nec me pro debito æstimat, quia non novit Deum, cujus filius sum per gratiam.

Notate quid dicit, & quid non dicit S. Joannes. Dicere debuisse videtur, quod mundus nos non æstimet, quia filios Dei nos esse ignorat: sed hoc non dicit; Verum ait, quod mundus nos non æstimet condignè, quia non novit Deum cujus filii sumus: Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum, Ergone quia mundus non novit nos filios esse Dei, sequitur quod non noverit Deum? Ita sanè Èratio est, quia præsumit conceptumque format de Deo, non quasi de Deo, sed quasi de Ho-

Pars V.

mine. Homo tantum adoptat hæredemque instituit servum, deficienti filio proprio: Sic Abraham, supposito se non habiturum filium, dixit Deo hæredem suum futurum Eliezer servum suum. *Ego vadam absque liberis: & Eliezer vernaculus meus hæres meus erit.* Et postquam Deus Abrahamo dedit filium Isaacum, uxor ejus Sara dixit, ut ejiceret Ismaelem ancillæ filium, quia filii sui eum cohæredem nollet: *Ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Istud agunt homines, idemque præsumit & supponit de Deo, qui illum non novit: *Quia non novit eum:* Quia Deus Filium habet proprium & naturalem sibi in omnibus æqualem, & nos homines servi sumus, ignorans putat mundus, Deum filii sui cohæredes non facere servos; sed tam verum est contrarium, & cum servi essent per naturam, eos prius filios faceret per gratiam. Quod S. Paulus expressis attestatur verbis: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

In hoc ultimo verbo, conglorificemur, & in verbo Cohæredes Apostolus declarat, quod sicut gratia

Ll

nos

Gen. 15.
v. 2. & 3.

Gen. 20.
v. 10.

Rom. 8.
v. 16.

nos facit filios, sic Gloria nos facit Hæredes; ut videamus nunc utrū gloriandum potius sit nobis, nos esse hæredes quàm filios; & utrum magis æstimanda sit hæreditas, an nativitas. Hic ubi Parentes sunt homines, contingere potest, & contingit sæpius, nativitatem esse tam vilem & despectam, hæreditatem verò tam opulentam & copiosam, ut contempta nativitate æstimetur hæreditas: sed ubi pater est Deus tam immensus nobilitate quàm essentia, quamvis Gloria nos faciat hæredes, clarum est, quod semper magis in infinitum æstimanda sit Gratia, quæ nos facit filios. Hinc patuit error & prudentia duorum illorum filiorum Patris, qui Deum repræsentabat, quorum unus fatuus, alter prudens erat. Fatuus prodigus vivente adhuc patre suam sibi dari petiit hæreditatem, pluris æstimans esse hæredem, quàm filium: prudens autem frater Senior semper in domo patris mansit, ne cloquens nec cogitans ejusdem de hæreditate; qui tantò minoris æstimabat hæreditatem, ac si tantum filius & non hæres esset. Idem faciendum incumbit illi, qui judicio maturo & integro Gratiam & Gloriam compararit.

Quarta ratio hujus præferentia subtilitate sua & acumine auctori suo respondet. Illud est melius (inquit Scotus) cujus oppositum est pejus: Oppositum Gloriæ, quæ consistit in videndo Deum, est non videre Deum: Oppositum Gratiæ, quæ consistit in amando Deum, est Deum non diligere: Ergo melior est Gratia quàm Gloria; nam pejus est non diligere Deum, quod est oppositum gratiæ, quàm non videre Deum, quod est oppositum Gloriæ. Et quod pejus sit non diligere, quàm non videre Deum, manifestum est; nam non velle videre Deum non solum licitum, sed meritorium esse potest; & velle non diligere Deum, non solum semper est peccatum, & quidem gravissimum: sed nec datur, nec possibile est dari motivum, quod tolerabile illud & licitum reddat.

In testamento veteri & novo, duo insignia Theologiæ hujus exempla habemus, in binis præclarissimis Charitatis Heroibus, Moyse & Paulo. Cum Deus vice quadam populum Israëliticum ob Idololatriam vituli funditus delere decrevisset, decreto huic sibi à Deo revelato Moyse sese opposuit, dicens: *aut dimitte illis hanc*

Exodi 32
v. 31. &
32.
 hanc noxam, aut si non facis, dele me
 de libro tuo quem scripsisti. Liber
 hic, uti ex multis S. Scripturæ locis
 constat, est ille in quo scripti sunt
 prædestinati pro Gloria. Sed gra-
 dum hic sistentes, ad S. Paulum
 transeamus, S. Paulus ingens suum
 declaraturus desiderium, & dolo-
 rem, videndo quomodo nationis
 suæ homines in Christum credere
 renuētes obstinato animo in per-
 petuam sese damnationem præci-
 pitarent, protestatur paratum se
 tale ex semetipso Deo offerre sa-
 crificium pro eorum salute, quo ip-
 se Gloria privaretur, quæ in ipso
 vilione consistit, eo tantum fine, ut
 Gloria, qua ipse se privaret, illi frue-
 rentur credendo in Christum. Istud
 innuunt generosa illa & cordata
 Verba; *Optabam ego ipse anathema*
esse pro fratribus meis, qui sunt cog-
nati mei secundum carnem. Et sic
Rom. 9. textum hunc, & illum Moyfis in-
 telligunt S. Joannes Chrysostomus,
 Theophilactus, Oecumenius,
 Rupertus, Cassianus, Origines, S.
 Bernardus, & inter Theologos &
 interpretes sententia est literalis
 magis & communis.

Antequam punctum hoc con-
 cludamus, monitum quoddam terræ
 huic per necessarium silentio præ-
 terire nolo. Illi qui oculis tantum
 arbitrantur omnia, videntes Mini-
 stros Evangelicos conscendere na-
 vem versus has seu alias Gentilium

partes, non aliud sibi persuadere
 possunt, quam quod aliquo bono-
 rum, commodorumque temporalium
 motivo ducantur. Sed ad dissol-
 vendam hanc deceptionem suffi-
 cere sanè posset, prudentis cujusdã
 consideratio, quam habebat Romæ
 conscendens navem ut exulatum
 in Pontum Euxinum navigaret: *vel*
quò festinas ire, vel unde, vide, id est,
 vide unde abis, & quo pergis. Illi,
 quorum intentiones tam sinistrae
 dijudicatis, ecce unde, & quo va-
 dunt: & considerate (imò tempo-
 raliter) id quod ibi relinquunt, &
 quod hic inveniunt. Ratio verò,
 quare sic vilipendatis pericula ma-
 rium, incommoditates terrarum,
 nec non intemperiem & differen-
 tiam Climatam, est, quia sicut illi,
 pretium non cognoscitis animarum.
 Nunquid bene fecisse vobis viden-
 tur Moyfes & S. Paulus, volendo
 beatitudinem gloriamque cælestem
 commutare cum salute animarum
 proximorum suorum? non adeo ru-
 dem crediderim fidem vestram, ut
 malè eos fecisse decernatis. Ergo
 longè minus est commutare Lusita-
 niam, seu Germaniam, quam
 cælum; & salvare velle animas pro-
 prias & alienas, quam ad viden-
 dum Deum adducere alienas cum
 dispendio illum non videndi per om-
 nem æternitatem. Et istud non
 solum post Christum fecit S. Paulus;
 sed etiam ante Christum Moy-
 ses.

Nunc interrogo. Duo isti homines tanti animi, tamque generosæ resolutionis, ut parati essent renunciare visioni Dei, nunquid eodem resolutionis impetu & fervore a se supponebant se Deum non amaturos: absit nulla ratio. Quia quemadmodum ex tam pio, tantæque charitatis motivo, non tantum actio esset licita, sed heroica, offerre se ad non videndum Deum; sic non solum illicita, sed impia esset, semet exponere ad illum non diligendum: imò certum est, quod quanto magis renunciabant visioni Dei, ob amorem proximi, tanto fortiores in amore Dei egerint radices. Eloquentiâ S. Chryost. S. Paulum hoc casu arguentis auferentis;

S. Chryost. Quid ais S. Paule, nonne jam dixisti; Quis nos separabit à charitate Christi? q. d. Benè Paule, nonne tu ille es, qui dixisti, nihil te separaturum ab amore Christi: nonne tu idem ille es, qui animam tuam à corporeis vinculis absolutam desiderabas, ut semper esses cum Christo? Quoniam igitur pacto illius visionis in æternum carere desideras: Eandem omninò ob rationem nomine S. Pauli. respondet idem Chryostomus. Quia vehementer amo Christum, hinc ipsius me visione privare paratus sum, ut loco mei, qui unus sum, illum videant fructivè multi, & secundum

desiderium meum illum ament & laudent omnes: Imò quia amo Christum, cupio separari à fruitione Christi, ut plures, imò omnes eum ament, & laudent. Porrò quàm gratus & acceptus Deo fuerit hic charitatis tam in S. Paulo, quàm in Moyse excessus, licet à neutro oblatum acceptaverit sacrificium, satis manifestè liquet ex gratiis & favoribus, quibus utrumque honoravit: dum generaliter & cum omnibus talem inter Gratiam suam & Gloriam fecit differentiam, ut qui ejus non desiderat gratiam, puniat ipsum privando Gloria; & qui simili ex motivo ejus renunciaverit Gloriæ, illum remuneret Gratiæ incremento.

§. VII.

IN immensum dilatarerur materia, si vellemus, uti hucusque fecimus, cæteras differentia hujus examinare rationes: at quia consultum non est relinqui intactas & in silentio, cursim eas notabo. Sit igitur quinta, quod ad conservandam Gratiam non tantum licitum & laudabile est renunciare Gloriæ cœlesti; sed etiam malle potius pœnas & tormenta sustinere inferni. Istud non desiderarunt Moyses & S. Paulus, sed est celebranda S. Anselmi resolutio, quam
in

in simili casu quemque Christianorum imitari fas est : *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni eorum deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me admitterem.* Ulterius : Etsi foret possibile (sicut potentia absoluta non repugnat) hominem existentem in peccato Deum videre in cælo : Quis in tali casu esset felicior, iste homo, vel Anselmus? Nullum est dubium quin Anselmus. Quia Anselmus in Inferno conservaret Gratiâ, quamvis pœnas pateretur damnatorum : & alter in cælo licet videret Deum, in quo Beatorum Gloria consistit, non existeret in Gratiâ.

Amplius. Non supponendo casus extraordinarios, sed quod Deus actu in cælo operatur & in terra. In cælo Deus semper visionem sui communicat iis qui post mortem Gloriâ inveniuntur digni : & in terra suam semper gratiam largitur ritè se disponentibus. Quali verò modo, qualive prærogativæ & honoris differentiâ Deus utrisque visionem sui, gratiamque suam communicat? Benedicte sit Bonitas divina, nunquam in demonstrationibus suis magis divina! Quibus suam communicat Gratiâ, illos ducit in cælum locum

illis in sua curia assignando: Quibus verò suam communicat gratiam, ad ipsos personaliter venit eam impertiturus, & sibi mansionem in ipsis facturus. Admissi in cælum, habitamus cum Deo : In Gratiâ constituti non solum nobiscum, sed etiam in nobis habitantem Deum habemus. Porrò ut personalis hæc Dei habitatio in nobis in nullo sit minor, quàm ejusdem visio in cælis jam in Gloria existentibus ; Theologi concordant, ut quis videns Deum verè sit beatus, non sufficit tantum videre Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; sed necesse est omnes tres divinas videre personas. Hoc enim est videre Deum sicuti est: *Tunc videbimus eum sicuti est.* Quemadmodum

igitur in cælo visione beati non solum unam vident Trinitatis personam, sed omnes tres: Sic in terra Beati Gratiâ, non tantum Patrem, vel Filium, aut Spiritum sanctum, sed totum Deum Trinum & unum in omnibus inhabitantem habent personis: & hoc tanta differentia excellentiæ, quanta intercedit obiectum inter & habitatorem, de quo expressius extat Christi textus : *Si quis diligit me, mansionem meam servabit, & ad ipsum faciemus.* *Si quis diligit me,*

1. Joan. 3.
v. 2.

Joan. 14.
v. 23.

Joan. I.A.
v. 23.

ecce Gratiam : *Et ad eum venimus*, ecce tres personas divinas ; *Et mansionem apud ipsum faciemus*, Ecce perpetuam habitationem, & præsentiam permanentem.

Amplius adhuc, quamvis ultra jam dicta videatur dari non posse amplius. Novæ hujus differentia & excellentia ratio est; quia Gloria quâ fruemur in cælo beneficio visionis, jam possidemus in terra per Gratiam. S. Petrus Apostolus scribens ad neo-Christianos, sensit dei Christianæ Neophytos in P n o, Galatia, Capadocia, Asia & Bythinia commorantes, quò tanquam summus Pontifex, Christi; in terris Vicarius fidẽ prædicatum perrexit (ut deus innotescat, quâ sublime sit ministerium conversio Gentilium, tam parum à Gente rudis cognitum) notabilia hæc verba

1. Pet. 1.
v. 3. & 4.

pronunciat: *Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in hereditatem corruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis, in vobis*. In his ultimis duobus verbis in *cælis*, & in *vobis*, totum sententia hujus mirabile consistit. Quod Gloria conservetur in cælo, benè intelligitur: cælum quippe locus est Gloriæ, & in cælo eâ fruemur: verum si illi quibus S. Petrus loquebatur, erant in terra, sicut &

nos; quare illis dicit eandem Gloriam non tantum conservatam esse in cælo, sed in illis ipsis, & in vobis, *conservatam in cælis*, & in vobis? quia in memoria illis revocare satagebat, ut se per Baptismi Gratiam regeneratos meminissent; eandemque Gloriam, quâ postmodum fruemur in cælo per visionem nos eam possidere in terra per Gratiam. Ita ut Christianus in gratia constitutus, & in cælum tendens, non solum secum deferat jus ad Gloriam, sed in se ejusdem Gloriæ possessionem. Hinc non dicit conservatam pro nobis, sed in nobis: *in cælis, & in vobis*. Quilibet nunc videat, utrum boni præsentis possessionem, vel futuri intra se, vel extra se eligeret.

§. VIII.

Uterius adhuc. S. Chryso-
mus inquit, sicut timendus non est infernus propter pœnarum horribilitatem, sed propter Deum offensum, ejusque Gratiam perditam: sic nec desiderandum est cælum primario amore Gloriæ, sed ad fruendum ejusdem Gratia, & amandum Deum in æternum: *Ut gehennam timere non debemus propter ignem; sed quia offendimus tam bonum Dominum; & ab ipsis Gratia sumus alieni: ita ad regnum nobis selesinandum propter illum, ut ejus Gratia*

S. Chry-
sost. hom.
23. in Gen

Exod. 33.
v. 12.

Gratia fruamur. Proinde amor & desiderium Gloriæ benè ordinatum, non sit amore Gloriæ, sed amore Gratiæ. Error est, in quem lapsus est Moyses, sed quem eodem actu, admirabili verborum suorum retractatione mox emendavit. Dixerat ipsi Deus, quod in gratia esset constitutus: *Invenisti Gratiam coram me.* Porrò Moyses præsupposito quod in Gratia ipsius constitutus esset, institit dicens: *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam Gratiam ante oculos tuos.* Quis in his verbis non videat, & notet, quomodo eodem actu, quo illa pronunciat, Moyses ordinem mutet, quo illa dicere cæpit & finit? Incipiendo Gratiam Dei, ad visionem Dei ordinavit: *Si inveni Gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* Et finiendo eandem Dei visionem, ad Gratiam Dei ordinavit: *Ostende mihi faciem tuam, ut inveniam Gratiam ante oculos tuos.* Ergone Gratia eadem in verbis primis medium est consequendi visionem Dei, & mox visio eadem in verbis secundis medium est eandem Gratiam obrinendi? Ita omninò est. Sic enim Moyses suum emendavit desiderium. Ordinare Gratiam ad Gloriam; Gloriamque finem facere, Gratiæ melius per omnem

modum est desiderium. Quare? Quia Gratia ante Gloriam periculosa est, & post Gloriam secura. Et quamvis bonum sit desiderare Gratiam ad fruendum Gloriã: longè præstantius est desiderium, sublimiorque cogitatus, desiderare Gloriam, ad securam reddendam Gratiam. Primùm fecit Moyses minùs consideratè dicendo, *Si inveni Gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* Secundùm maturiore & saniore iudicio, dicens: *Ostende mihi faciem tuam, ut inveniam Gratiam ante oculos tuos.*

Ultima denique eligendi potius Gratiam quam Gloriam, eisdem Gloriæ sterilitas, eisdem Gratiæ fecunditas ratio est. Gloria magna est felicitas, sed felicitas quæ non crescit; una quippe Gloria non producit alteram: Gratia verò in terra, felicitas seu beatitudo est semper crescens; Gratia enim una semper producit alteram. S. Joannes Evangelista, declaratã jam Gloriã Christi, per Gratiæ superabundantiam quã plenus erat: *Vidimus Gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre, plenum Gratiæ & veritatis:* inquit, quod de plenitudine hac, tanquam de fonte perenni, Gratiam recipimus omnes; nec Gratiam tantùm unam, sed insuper alteram super

Joan. I.
v. 14.

Ibid. 16.

super alteram , semper & magis magisque recipiamus : hoc enim innuit: *De plenitudine ejus omnes accepimus, Gratiam pro Gratia.* Ubi singulariter notandum , quod de Gloria & Gratia Christi jam locutus , de Gratia tantum affirmat, quod Gratiam pro Gratia, & Gratiam super Gratiam accipiamus ; de Gloria tale nihil asserendo: Quia Deus in cælo non dat Gloriam pro Gloria, vel Gloriam unam alii superaddit: Quod privilegium & prerogativa soli Gratia debetur. Proinde quantum Gratia, Gloriam cæli supereminet, in nullo alio eorum, qui valde in Gratia profecerunt id clarius videre licet , quam in ipso sancto Joanne. Vidit S. Joannes in Apocalypsi sua Deum in magnifico residentem throno & assistentia, in circuitu throni quatuor animalia oculis plena. Primum simile erat Leoni , secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Nemo nescit quatuor hisce animalibus quatuor Evangelistas fuisse repræsentatos : S. Marcum in Leone, S. Lucam in Vitulo, S. Matthæum in Homine, S. Joannem in Aquila , & omnes oculis plenos, *ante & retro*: Nam omnes in parte posteriore notitias divinitatis , & in anteriore parte humanitatis Christi notitias habebant; de quibus scribere, Perve-

Ibid.

niens igitur ad S. Joannem, textus illi locum quantum assignat, ipsum volasse tantum affirmans: *Et quartum animal simile aquilæ volanti.* Si igitur S. Joannes inter Evangelistas omnes sublimissimè scripsit , quare ultimus illi locus assignatur : & si omnia reliqua animalia alata erant, quare ipse solus volasse dicitur? Primò S. Joanni locus tribuitur ultimus , quia post Evangelistas alios scripsit ; & ut minimum triginta annis posterius , reliquis SS. Matthæo , Marco & Luca jam mortuis. Verùm hinc magis augetur dubium secundum ; si tres alii Evangelistæ erant jam in cælo Deum videntes , quomodo ipse tantum volabat consistens in terra. Hoc ipsum erat causa volatus ; quia alii jam fruebantur & gaudebant gloriâ, unde non ascenditur ; & S. Joannes adhuc merebatur in gratia, ubi semper crescit. Ego vobis affirmo , inquit S. Bernardus , si Deus copiam faceret Beatissimis in cælo se videntibus reverendi ad mundum ad merendum , & crescendo in gratia , omnes relicta gloria conditionem illam accepturos, ut postmodum gratia pleniores ad eandem gloriam revolarent ; si ergo electio fieret in cælo , ubi fieri nequit, quare non fiet in terra ? In S. Joanne electio non fuit sua : sed certum est, quod ipse

ipse magis fuit dilectus, & quando minus dilecti videbant, ipse vocabatur.

§. IX.

Hucusque vidimus rationes, quare Gloriam comparatam cum gratia, potius eligenda sit Gratia, quam Gloria. Proinde si quis existimet quod hucusque non loquimur, de quo potissimum loquendum esset; scilicet de Beatissima Virgine Maria de Gratia, cujus festum celebramus; hucusque dictum repeto, sicut fuerunt prerogativæ Gratia, sic fuerunt Beatissimæ Virginis Mariæ sub eodem titulo excellentiæ. S. Thomas unam cum suo magistro Alberto Magno, in Beatissima Virgine Mariæ tres distinguunt perfectionis statum. Primum à Conceptionis suæ principio, quem vocant sufficientem; secundum, à puncto quo concepit Verbum æternum, quem vocant abundantem: Tertium, per omne tempus vitæ, quem vocant excellentiæ singularem. Propter omnes hæc, quas retulimus, optimè & sublimissimè intellectas rationes, Beatissima Virgo Maria semetipsam secum conferendo, tanquam singularissima illa anima, quæ super omnes creaturas dilexit Deum, & dilecta est à Deo,

Part. V.

non potest non Gratiam præferre Gloriæ, cum in reciproca dilectione Gratia consistat. Pluris fecit Gratiam quam Gloriam, non ad assecurandam in celo eandem Gratiam, in qua confirmata fuerat à Conceptionis suæ instanti: sed ad augendam magis magisque dilectionem, quæ ibidem per omnem æternitatem visioni adæquat. In corde Deiparæ hinc certabat amor, cum citius videndi illum desiderio, & illinc cum ratione illum æternum magis amandis; quia verò motivum hoc prævaluit; hinc tanquam meliorem illam Gratia partem elegit. *Maria optimam partem elegit.*

In verbis illis: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*: Beatissimæ Virginis dilectio manifestavit, quantum desideravit Deum videre in meridie Gloriæ; porò responsum fuit, tunc temporis, in absentia filii sui convenientius esse gregem suum pascere: *Abi post vestigia gregum tuorum, & pascere hædos tuos juxta tabernacula pastorum*: Ita fecit Beatissima Virgo, exinde oraculum totius Ecclesiæ, ipsorum Magistra Apostolorum, non in Jerusalem solum, & Judæa subsistendo, sed ad alias mundi partes peregrinando. Duravit, non dieo exilium istud Gloriæ, sed ista Filii sui

Mm

ab.

absentia, non minus viginti quatuor annis, ab Ascensu ejus in cœlum, prout probat Cardinalis Baronius, irrefragabili S. Dionysii Areopagite testimonio innixus; donec tandem Beatissima Mater in tali die qualis agitur hodie ad accipiendam de manu Filii sui coronam Gloriæ, eaque fruendum per omnem æternitatem, quam Gratia sua promeruerat, vocata fuit. Vocatam illam assero, sic enim illud sanctissimæ Trinitatis voces, non in communi, sed à singulis divinis personis prolata declarant: *Veni sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Pater dixit, *veni*, vocans illam tanquam filiam; filius dixit, *veni*, vocans illam tanquam Matrem: Spiritus sanctus dixit, *veni*, vocans illam sicut Sponsam: Sed si tota sanctissima Trinitas, & quælibet divinarum personarum, perse, & ob specialia adeò motiva Virginem Mariam in Gloriæ suæ throno conspiciere desiderabat, ubi ipsa quoque tanquam filia videret Patrem, velut mater filium, & velut Sponsa Spiritum sanctum: Eademque Virgo tam ardentibus adhuc diem æstuat ab desiderio, tamque vehementibus anhelabat suspiriis; ut hæc ipsa, nec non amor ruptis vitæ laqueis dissolverent animam, quoniam pacto eadem tres personæ divinæ omnipo-

tentes non permiserunt tantum sed voluerunt, ut eadem sanctissima anima remaneret in hoc mundo Cælo & Gloria privata, ejusque amor tam longum sustineret Martyrium? Hic patebit quàm vera discursus nostri totius sit doctrina, nec non rationum illius soliditas. In sanctissimæ Trinitatis Confessorio, conclusit Pater, ut suæ Filia; Filius, ut suæ Matri, Spiritus sanctus, ut suæ Sponsæ, differretur visio Dei & Gloria, viginti quatuor annorum curriculo, ut durante isto tempore amplius mereretur in Gratia crescendo; computatis enim tot annis Gloriæ, cum totidem aliis Gratia, non tantum per electionem ejusdem Virginis, sed per omnium personarum divinarum decretum, magis illi conveniebat, & congruebat crescere in Gratia, quàm frui Gloria: *Ut cumulares merita, ejus Assumptionem ad Gloriam tam diu distulisti.* inquit sanctus Petrus Damianus.

§. X.

VERùm enim verò, quis nobis declarabit incrementa Gratia quibus Virgo Maria (toto isto tempore propriè magis Gratia Domina) unam alterà in immensum

Cant. 4.
v. 8.

sum accumulavit ? S. Epiphanius dixit: *Gratia S. Virginis est immensa*. S. Bonaventura inquit : *Immensa certe fuit Gratia , quæ ipsa fuit plena*. Et S. Anselmus ait : *Quid amplius dicere possum , Domina ? Immensitatem quippe Gratia , & Gloria , & felicitatis tua considerare incipienti & sensus desiccat , & lingua faiscit*. Hi Sancti clarissimis & luculentissimis verbis Gratiam Virg. Mariæ immensam deprædicant. Porrò S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, S. Ephrem , S. Bernardus, S. Ignatius Martyr, S. Petrus Veronensis , & omnes quodammodo Sancti terminis minus expressis , sed intellectûs profundioris , huic sententiæ subscribunt, quæ propterea non repeto. Optarem tantummodò , ut quotquot me auditis, Theologi essetis , ad demonstrandum Gratia incrementa quibus Beatissima Virgo his ultimis vitæ suæ annis profecit. Conabor nihilominus ea ad scientiæ alius trita magis & vulgaris regulas reducere , qua mediante, cum nullus jam humanus intellectus immensitatem hanc possit comprehendere , omnibus saltem eam liceat conjecturare.

Omnes illum computandi modum , qui vulgò vocatur multiplicatio, nolis: in quo quicquid habetur , & numero præcedit numero

primò duplicatur in sequenti. Supponedo igitur cum recepta magis Theologia (in quo Societatis nostræ doctissimo Suarez non parum debet) quod actus amoris & charitatis Beatissimæ Virginis , qui erant omnes perfectissimi, eodignè alterum tantum merebantur Gratia, quantum erat quod jam continebant; proinde incrementa addita incrementis, eandem semper magis magisque Gratiam duplicabant: agedum computemus Gratia gradus, quos Beatissima Virgo uno tantum die poterat acquirere; Porrò ut computus liquidior evadat , in ejusdem Virginis anima non nisi unum Gratia gradum præsupponamus & quod quolibet quadrante horæ , non nisi unum elicuerit seu exercuerit charitatis actum. Hoc posito, primo horæ quadrante, & primo charitatis actû, Beatissima Virgo meritum duplicavit, & duos promeruit gratia gradus ; Quadrante secundo promeruit quatuor ; in tertio , promeruit octo ; Quarto , sedecim ; Quinto , triginta & duos ; Sexto , sexaginta quatuor : Septimo, centum viginti octo; Octavo, ducentos quinquaginta sex; Nono, quingentos & duodecim: Decimo, mille & viginti quatuor: Ita ut decè quadratibus horæ, decè actib⁹ charitatis Beatiff. Virgo

M m 2 me-

S. Epiph.
de Land.
Virg.
S. Bonav
in spec. c.
5.
S. Ansel.
de Excel.
Virg. ca. 3

Suarez
tom. 2.
3. p. disp.
18. sect. 4.

meruerit, & profecerit, ad mille, & viginti quatuor gratiæ gradus. Quilibet nunc domi residuum in eat computum longiorem, secundum omnes horæ diei cuiusdam quadrantes, quorum sunt nonaginta sex: nam licet juxta præcisi-
Cant. 5.
v. 2. sam humanæ naturæ conditionem per aliquot noctis quadrantes brevissimus sonans Beatissimæ Virginis sensus occuparet; somnus animæ operationes non interrompebat, quæ semper vigilabat, amabat & merebatur: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Sed ne interim filum abrumpatur, nostrique discursus suspendatur demonstratio, paucissimis illam resumam, repetendo tantum summam, de decem in decem quadrantibus.

In viginti quadrantibus horæ diei illius excreverunt gradus Gratia Beatissimæ Virginis Mariæ ad numerum quingentorum viginti quatuor millium, ducentorum, & octoginta octo graduum. In triginta quadrantibus ad numerum quingentorum triginta septem mille millium, quingentorum septuaginta quatuor millium nongentorum & duodecim graduum. In quadraginta ad numerum mille trecentorum & septuaginta sex millionum, septuaginta sex mille millium, septingentorum & tri-

ginta quinque millium, quadringentorum octoginta octo graduum. In quinquaginta quadrantibus ad numerum mille millium, quadringentorum & novem millium, ducentorum & viginti millionum, centum septuaginta septem mille millium, septingentorum & septuaginta novem millium septingentorum & duodecim graduum. In sexaginta quadrantibus creverant gradus Gratia ad numerum trium millionum, ducentorum & undecim mille millium, quadraginta & uno millium, septingentorum & triginta quinque millionum, & quadraginta sex mille millium, quadringentorum & triginta septem millium, nec non octingenta & octuaginta octo graduum. In septuaginta quadrantibus creverant gradus Gratia ad numerum septem millionum, ducentorum & viginti quatuor millionum, ducentorum & tredecim mille millium, quadringentorum septuaginta, trium millium, quingentorum & septendecim millionum, & trecentorum & quatuor mille millium septingentorum & nonaginta quatuor millium, sexcentorum & viginti quatuor graduum. In octoginta quadrantibus ad numerum sex mille mil-

lium, trecentorum & octoginta ac quinque millium, quadringentorum viginti duorum millionum millium, & centum nonaginta sex mille millium octogentorum octoginta duorum millium, & centum octoginta octo millionum, centum & septem mille millium, ac centum triginta quatuor millium, & nongentorum septuaginta sex graduum. Denique in nonaginta sex quadrantibus creverant gradus Gratiae Beatissimae Virginis Mariae ad summam quadringentorum & tredecim millium quadringentorum & septuaginta quinque mille millium, quadraginta octo millium, quadringentorum & quadraginta novem millionum millium, sexcentorum septuaginta, & unius mille millium, nonaginta millium millionum, & trecentorum nonaginta septem mille millium, septingentorum octoginta septem millium, centum triginta sex graduum, qui est ultimus quadrans horae unius diei naturalis.

Demonstratâ hâc, à Beatissima Virgine Maria uno tantum die acquisita Gratiae immensitate, omnes utique cogitabitis, cum expectatione & desiderio, me eisdem Gratiae immensitates con-

sequenter deducturum, ad quae eadem Beatissima Virgo creverit longissimo tot dierum, mensium & annorum spatio, quot ab Ascensione filii sui, usque ad gloriosam ejus Assumptionem numerantur. Sed nec dico, nec dicturus sum simile quippiam; foret enim numerum valde imminuere, nec non magnam injuriam inferre eidem Gratiae. Duo, quae in computu diei hujus supposui, ordinata tantum fuere, ad claritatem, ejusdemque computus evidentiore & quodammodo conficta vice exempli cum duobus defectibus, manifestae evidentiae verorum suppositorum repugnantibus. Supposui Beatissimam Virginem Mariam in primo quadrante illius diei unum tantum habuisse Gratiae gradum, sed ista suppositio fuit conficta: in die enim Ascensionis Christi habebat Virgo, tam innumerabiles Gratiae gradus; quantum ab instanti purissimae suae Conceptionis, triginta tribus annis vitae Filii sui, & quadraginta octo suae acquisierat. Secundo loco supposui, quod quolibet horae quadrante Beatissima Virgo non nisi unum amoris dilectionisque Dei actum exercuerit, cum hi actus ipsum respirationum numerum in Beatissima Virgine adaequarent, cujus memoria, intellectus & voluntas, ne ad momentum qui-

dem temporis ab altissima Divini objecti contemplatione cessarit, cui anima ipsius inseparabiliter erat unita, eum die nocteq; sine intereapidine, intensioribus ardentioribusq; affectibus præ ipsis Seraphinis amando. Istud tunc pro claritate computus supposui; & quod nunc per consequentiã, conjecturamq; Gratia suppono, in qua velut pelago, seu abyssu submersi sunt omnes numeri arithmetici; discussi humanoq; intellectui tantum relicta sũt stupor & admiratio, & silentiũ linguã, nec non confessioni necessitas: quod Gratia Beatiss. Virginis incomprehensibilis existat.

Qui unus & solus Parallelum Gratia Matris invenire novit, fuit antiquissimus Andreas Cretensis, qui ipsam cum sublimissimo & ineffabili Humanitatis filii comparavit, quod infinities infinitè infinitum compellat. Verba ejus sunt ista: *Si quid, quod nos superat, in ea Divina operata est Gratia, nemo mireretur intuens ad novum, & ineffabile quod in ea peractum est Mystrium, ab omni infinitate infinities infinite exemptum.* Singulariter notentur iasoliti isti & ultimi termini, *ab omni infinitate, infinities infinite exemptum.* Mystrium Dei Hominis facti infinitum fuit super omnem infinitatem, *exemptum ab omni infinitate, quia fuit infinitum*

Andr.
Cret.
serm. de
Dormi-
tione
Maria
Virginis.

in finitatis modis & vicibus, infinities, & infinitum sine fine, *Infinite* & in hac infinitate, seu infinitatibus, tantum illi similis visa fuit Gratia Matris infinitè infinita, *quod in ea Divina operata est Gratia infinities infinite.* Porrò sicut immensam infiniti magnitudinem solus comprehendere potest intellectus infinitus, qualis unicus est ille Dei; hinc S. Bernardinus de perfectione Gratia Beatissimæ Virginis Mariæ in hac die loquens, notitiam illius soli Deo reservatam esse concludit: *ut Soli Deo cognoscenda reservetur.*

In die Assumptionis ipse Dei filius ad gloriosorem reddendum Matris suæ triumphum descendit, Angelis sanctisq; totius curia cælestis comitatus, qui obstupe facti & attoniti aiebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Dilectus ejus est benedictus Filius ipsius; primum admirationis motivum fuit, quod pro majore triumphu Majestate, ipse personaliter suis exceptam brachiis Matrem in calum deducere voluerit. Delicia, seu deliciarum affluentia seu redundantia, quàm simul admirabantur, & quibus non plena tantum erat; sed quæ ex eã tanquam redundante fonte manabant, & replebant omnia, non poterant esse delicia Gloria, quo ascendere incipie-

D. Bern.
nardin.
serm. 4.
de Assump.
Virg.
Maria.
Cant. 8.
v. 5.

incipie-

incipiebat; erant utiq; deliciae Gratiae, quas vivens adhuc in terra tam immense acquisierat. Ita in locum istum commentatur Doctissimus Cardinalis Hailgrinus: *Affluere autem dicitur Gratiarum delicias & virtutum, & innixa super dilectum, cuius innitebatur Gratia.* Verumtamen praeter omnibus magis admirari in admiratoribus ipsis, quod tali die taliq; concursu, terram appellent desertum: *Qua est ista, qua ascendit de deserto?* Si tota caelestis curia cum principe suo descenderat in terram; si ipso jam vacuo caelo, omnes die illo collecti erant in terra, unde procedere incipiebat triumphus, quoniam pacto vocatur desertum? Quia mox ut apparuit triumphatrix Gloriosa, Gratiae suae immensitatibus induta, quae magnificentiam suam, omnes eousq; perceptas in Gloria delicias excedebat, quantumcumq; de caelo descenderat ad terram, ad conspectum ejus disparuit. Excellenter id ipsum Petrus Damianus asseverat: *In illa inaccessiblei luce per lucēs, sicut rorumq; Spirituum ebet abas dignitatē, ut sint quasi non sint, & comparatione illius, nec possint, nec debeant apparere:* quoniam Regio magis repleta (eiusdem sancti est comparatio) quam caeli nocte: tot planetis, tot constellationibus, stellarum majorum & minorum tam innumerabili multitudine. Ex oriente autem & comparantur

te sole, omnia ad ipsius disparent conspectum, & ipse solus apparet. Idem protinus cunctis hodie accidit caelestibus Hierarchiis. Quamvis tantae sint, tamq; innumerabiles, ut eas terra non capiat, mox capto motu triumphi, supremisq; Gratiae, seu Dominae Gratiae coruscantibus splendoribus, omni reliquo disparente deserto remansit; *Qua est ista qua ascendit de deserto?* omnes enim Hierarchiae, ipsa praesente, erant ac si non essent, *ut sint, tanquam non sint;* & quia omnes in ejus comparatione nec poterant, nec comparere debebant, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere, apparuit tantum illa, dilectique fuit mentio facta, *innixa super dilectum suum*, quod denuo veritatem eandem confirmat. Coniuncta enim Gratiae Mariae illa sui Filii Sola eminet & apparet, eo quod sit Homini Dei, sub quo, assertore S. Anselmo, nulla major quam illa Matris suae intelligi & considerari potest: *Qua major sub Deo nequeat intelligi.* Istud demum sufficiat, ut omnes celebremus, applaudentibusque confiteamur vocibus, cordiumque affectibus, & exultantibus omnibus animae viribus congratulemur; Quod Mariae quae Gratiae Domina, etiam respectu Gloriam optimam partem elegit: *Maria optimam partem elegit,*

Card.
Hailgr.

Petr.
Damian.
serm.
de Assump.
Virg.

Cant. 8.
v. 5.

§. XI.

HOc posito (ne coronis desit prolixo discursui, quem absolvere paramus) interrogarem omnes quotquot me audiunt, num eandem facturi essent electionem: num eam in præsens usque fecerint & num eam facere resolvant? Nemo credo Christianum & fide præditum fore, qui eandem non faceret, pluris æstimando Gratiam Dei quam ipsam Gloriam, exemplo illuminatissimæ à Spiritu sancto ejusdem sponsæ Dominæ nostræ: Cum ad hoc sufficeret, etiam tot, quas vidimus, rationibus deficientibus, ipsius electionem & resolutionem fuisse. Porro dico, si Christianus est & fide præditus, contrarium enim esset fidem denegare Scripturis Sacris quas allegavimus non imitari nec venerari maximorum exempla sanctorum utriusque testamenti Moysis & S. Pauli: & obstruere ostium propriæ domus toti Sanctissimæ Trinitati, quæ personaliter in tribus personis, prout ex ore ipsius Christi audistis, parata est venire & mansionem facere in anima in gratia constituta. Si, quando tres angeli, in trium personarum divinarum figura, ad Abrahamum hospitii ergo diverterunt, ipse eos non recepit, nec eos tot reverentiæ & a-

moris tractasset argumentis, imò eos è domo sua eiecisset, quis, quæso inurbanitatem illam non demiraretur? Idem igitur, imò multo pejus faciunt, qui gratiam ejus non admittunt, vel respuunt: in troitum obserantes non tribus Angelis, sed revera tribus Sanctissimæ Trinitatis personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Solus, ut dixi infidelis non exhorrescet tantum audiendo, seu imaginando sacri legum. Hoc facientes se Beatissimæ Virginis de Gratia devotos esse Ecclesiam illi dedicasse, & Patriam suam titulo & patrocinio ac protectioni ipsius consignasse gloriantur. Quem admodum Gratia consistit in amando Deum, & ab eodem amatum esse, solum qui amicitiam ipsius visioni ipsius anteponit ex corde, veraciter affirmare poterit se electurum idem, quod Domina Gratiæ elegit.

Sed ad secundam transeundo interrogationem, respondete mihi, utrum idem hucusque elegeritis? Deus bone! quæ vos confusio angustiarum que apprehendent, quando in judicii die idem à vobis quaeretur! Naturale rationis lumen, prætermissa lege divina, omni dicitur homini, quod inter bonum & malum bonum sit eligendum, & inter bonum & optimum eligere oportet.

oporteat optimum. Agedum in vestris nunc cogitationibus, in verbis vestris & operibus, quæ omnia ibidem nuda apparere oportet, quid elegeritis, videamus. Num Gratiam, an peccatum? in cogitationibus peccatum, in verbis peccatum, in operibus peccatum, & semper, & in omnibus, vel quasi omnibus peccatum; cum perpetua oblivione, & non oblivione tantum, sed & Gratia contemptu. Et quare? in operibus ob irrationalem quandam concupiscentiam, & vilissimum commodum: in verbis ob cavillationem seu traductionem vitæ proximi, vel iræ impetum: in cogitationibus ob aliquam vanissimi desiderii imaginationem, & quandoque ob chimæram aliquam non confictam tantum sed impossibilem. Enim verò nunquid possibile est, pro re tam vilicommutari, vendi, & profitui Gratiam Dei; & quod excedit omnia, cum sint tot jacturæ aliæ quæ acerbè sentiuntur, aliàs jacturæ nomine indignæ, illa tantum Gratia jactura non sentitur! Ignoro sanè ubi nam fides nostra seu ratio moretur! id tantum scio, quod insensibilitas similis, non nisi in animabus ad infernum destinatis, & non secus ac Esau in hac vita odium Dei promeritis inveniatur. *Esau autem odio habui.*

Pars V.

vendit Jacob pro appetitu tam vili, nec non sopore & oblectamento tam transitorio, prout nominamus; porro Scriptura sacra expendit, quod venditione peracta abierit; *Parvipendens quod primogenita vendidisset.* Id est nihili faciens factum; neque considerans venditum. Idem cōtingit Gratiam Dei prostituentibus, & vel maxime si pro delectatione aliqua illam venundent. Ex quacunque alia jactura contristantur; & ob hanc, & cum hac tantum abest ut contristentur, ut gaudeant potius; *Lalan tur cum male fecerint.*

Porro ab his qui tam damnosam & erroneam hucusque fecerunt electionem peto, ut accepta in manus bilancæ ponderent id, quod Esau ponderatum vendidit. Edicite, quæso, mihi; quidnam sint res hujus sæculi, pro quibus homines Gratiam Dei prostituere & venundare consueverunt? generaliter pronunciat S. Joannes Evangelista, non esse aliud, quam desiderium divitiarum, honorum & voluptatum. Agite, hæc omnia uni lanci, alteri verò vel unum tantum Gratia gradum imponite, & quid cui præponderet attendite. Omne aurum, argentum, margaritas, lapides pretiosos, & quicquid pretiosum terra & mare generat, appendite; & unicus

N a tan-

tantum Gratia gradus non tantum incomparabiliter præponderat, sed idem omnino foret, si tota terra esset aurum, & omnes lapides adamantes. Addantur in super lanci omnes honores, omnes dignitates, omnia sceptræ & coronæ, omnes Mitræ & Tiaræ, & quicquid æstimat ambitio humana, nihil conferent ad vocandum ad æquilibrium vel unum Gratia gradum: quod nec facerent, licet Deus novum excitaret aliquod Imperium, in quo homo quispiam cunctis hominibus & Angelis dominaretur. Denique divitiis, dignitatibus ac honoribus, associantur omnia gaudia, omnia oblectamenta, & voluptates non tantum quorum copia & fructio conceditur in hoc mundo, sed etiam in terrestri perdita paradiso; Et ne miremini, quantum vel unus Gratia Gradus præponderet; scitote digniorem esse appetitu & desiderio, omni eo quo perfriuntur, & in omnem æternitatem perfriuntur sunt omnes Beati in cælo. Quod cum ita se habeat, majorne dari potest infamia, quam pro unia commodi, pro honoris apice, & pro gaudii voluptatisque momento, non tantum unum Gratia Dei gradum, sed omnem prorsus ipsius gratia perdere?

Verum ut non pondera librae cessemus, ad Primogenita E-

fau redeamus. Vendita ab Esau primogenitura non erat aliud, quam illud temporale hæreditario jure à Patre suo Isaac acquisitum, qui egressus ut immolaretur, ut sanguinem profunderet non obtinuit. Primogenitura quam nos vendimus, est supernaturale illud & Gratia, cujus nos Dei Filii hæredes fecit, postquam toto suo profuso in cruce sanguine illud nobis comparavit: potè pretium illud infinitum, nos tam leviter, impiè ac sacrilegè respicimus. Dicite quæso, quando in Missæ Sacrificio Christi sanguis elevatur in Calice, si quis adorationis loco, & pro eo quod pectus tunderet, faciem ab eo averteret, oculos clauderet, & utriusque manus obnisi illum repelleret seu removeret, quis talem non abominaretur hominem, & si posset, incendio traderet? Istud vos facitis etiam non intelligentes, quoties unquam Gratiam Dei contemnitis. Ipsum auscultate Christum per os Prophetæ de illo jam tum lamentantem despectu: *pretium meum cogitaverunt repellere.* q. *Psalm. 61. v. 5.* d. Eò cæcitatibus & malitiis devenerunt homines, ut in mentem admitteriat, pretium meum respicere. Eheu Domine, quod illi ipsi, qui in te credentes Christiani dicti, non tantum eò progressi sunt, ut abominabilem ad eò cogitationem admi-

Hugo
Card.

admiserint; sed in omnibus cogitationibus, verbis & operibus, & in omnibus quæ machinantur, istud tuum pretium contemnunt & vilipendunt! Notat hic Cardinalis Hugo. Omnibus quæ venduntur vel emuntur, non unum tantum sed duo pretia inesse. Unum est emptæ rei pretium, alterum pretium quo emitur: *Quod emitur, & quo emitur.* Hæc sunt duo illa pretia, quæ vilipendit omnis peccans, Gratiamque Dei pro peccato vendens vel commutans. Unum est pretium Gratiæ, quam nobis Christus sanguine suo comparavit; alterum est pretium sanguinis ejusdem, quo nobis Gratiam comparavit. Si me fors interrogaveritis, quousque contemptus ille pertingat exhorresco illud dicere, vobis nihilominus expedit illud audire & scire pertingit contemptus ille, non tantum ut vilipendatur quocunque modo Gratia Dei, & sanguis Christi, sed conculcatur & proteratur pedibus, ipsa Gratia, ipse sanguis, nec non ipse Dei Filius. Expressis & terribilibus verbis id affirmat S. Paulus: *Qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est: & Spiritui Gratiæ contumeliam fecerit.* Attendite an non expressè loquatur de Gratia, exprimatur nominatim ipsum sanguinem,

& ipsum Christum. De Gratia, cui tantam irrogat injuriam: *Spiritui Gratiæ contumeliam fecerit:* De sanguine, quem detestabilem reputat: *Et Sanguinem Testamenti pollutum duxerit:* Et de Christo ipso signanter, & cum reflexione, esse Filium Dei, quem calcatur, pedibusque proteritur: *Qui Filium Dei conculcaverit.*

Cum discursus nostri veritas & evidentia extremum hoc impietatis & horrores attingerit, quod nec credibile nec imaginabile videretur, nisi de fide esset: crediderim facile non fore animam tam perditam, neque tam desperatam conscientiam, quæ cognito errore & cæcitate, in qua hucusque divina ipsam longanimitas & miseratio sustinuit, cum eam aliàs millies & millies demergere potuisset in infernum (quod singulariter ponderat S. Paulus Apostolus) prout talis ac tantus Sanguinis Christi ejusdemque pretii contemptus merebatur: crediderim inquam, facile, neminem esse qui non mentem, animumque mutaverit, & cum vera contritione doloreque præteriti, eundem se firmaverit, ut antepone-re velit Gratiam Dei, omni quod aut haberi aut desiderari potest in mundo; quatenus in mundo, ipse Deus id dare potest, sola ejus

Hebr. 10.
v. 29.

Gratiã exceptã, porrò ne istud in bonis tantùm subsistat propositis, quã oblivioni tradi, & mala de- nunt consuetudine impediri pos- sunt: concludendo, ex parte Dei ipsius contestatum & intimatum volo omnibus, sub pœna salutis amittendã, & damnationis incurrẽdã id quod facere quilibet tenetur.

Ad tria puncta reducuntur omnia, & quã brevissima ut melius hæreant memoriã. Primùm, ut omnis in peccato constitutus, sine omni interposita mora, reconciliare se Deo, medianteq; pœnitentia in statum se Gratiã restitue- re satagat, tam exactum & fidele instituens examen, totiusque vitã præteritã faciens confessionem, ac si hæc ultima foret, ad reddendam justitiã divinã rationem. Secun- dùm, absolutum firmissimumque eandem conservandi Gratiã in eaque perseverandi concipiat pro- positum, nullo facultatum, hono- ris, dignitatis alteriusve cuiuscunq; commodi emolumentiq; humani habito respectu: adjuncta resolutio- ne millies potius patiendi mortem, quã mortale committendi pec- catum. Tertium, non tantùm ean- dem conservare gratiam, sed omni cura & sollicitudine, eandem vir- tutum operumque Christiano dig- norum continuo exercitio augere conari: divinorum observantia

mandatorum, frequentatione Sa- eramentorum, oratione, eleemo- syna, jejunio, nec non omnium car- naliũ affectionum mortificatione, inimicorum dilectione, injuria- rum condonatione, æquanimi æ- rumnarum patientia, perfectãque voluntatis cum divina in omnibus vitã hujus adversis, conformatio- ne: Et sicut antea Deum cogitati- onibus, verbis & operibus offende- bat, sic deinceps ea ordinet, rectã intentione ad divinum ejus servi- tium, Gratiãq; ejusdem incremen- tum, qua tantillo temporis inter- vallo, ut vidimus, ingentes acquirere & multiplicare potest thesau- ros, paucorumq; dierũ vera contri- tionẽ deiq; delectatione recupera- re omnia vitã præteritã deperdita.

Animã verò ad felicissimum hunc statum Gratiã reducã, cer- tum est Diabolum omisurum, quo tentamentis eam inde præcipita- re possit. Ubi locum invenit pa- trocinium protectioque ejusdem Beatissimã Virginis de Gratiã, & sanctissimi nominis ejusdẽ invocatio, quod præ omnibus nominibus terrori est Diabolo, illam nomi- nando sæpiusq; invocando in ipso conflictu; & dicendo:

Maria Mater Gratiã

Mater Misericordiã

Tu nos ab hoste protege.

Id est, Maria Mater Gratiã, quã so- la infirmitatem nostram corro-
bo-

borare sufficis, ab hoc terribili nos hoste protege & defende.

Proinne in conspectu tuo, velut ante Gratiaë thronum prostrati, hanc ipsam unicè petimus, quam tu prætulisti cunctis. Quod confidenter, ô Domina, à te petimus, sub Apostoli tui appromissione dicentis: *Adeamus ergo cum fiducia thronum Gratiaë, ut misericordiam consequamur, & Gratiam inveniamus, in auxilio opportuno.* Gratiam nobis misericordiamque sub protectione tuâ promittit. Enim verò quo pacto Gratia misericordiaque nobis poterit deesse, cum tu Maria, Mater Gratiaë misericordiaque nomineris?

*Maria Mater Gratia,
Mater Misericordia.*

Quatenus Gratiaë Mater, non tantùm Gratia abundas pro te, sed pro tuis filiis, qui sumus peccatores. Idem Angelus qui te salutavit dicens: *Gratia plena: mox addidit, Spiritus sanctus superveniet in te:* non enim plena tantùm, sed superplena fuisti Gratia: *plena tibi, superplena nobis,* ait devotissimus tibi S. Bernardus: quam duplicem superandantiam non potest non liberaliter parti nobiscum tanquam *Gratia Mater.* Multò minus id nos diffidere fas est de miseri-

cordia tua, ut pote misericordiaë Matris, *Mater Misericordia.* Supplet igitur nobis eandem à te petendi Gratiam motivum & ratio; non ex misericordia solum, sed etiam iustitia. Idem Angelus tibi dixit: *Invenisti Gratiam apud Deum.* Qui perditum invenit, ei qui perdidit restituere tenetur: Proinde si Eva gratiam nobis perdidit, tu velut omnium perditionum restauratrix, illam filiis tuis non ex misericordia tantùm, sed ex iustitia restituere teneris. Idem ille qui tentavit eam inimicus, nos pariter tentat, sibi subicere annitens: Idcirco, ô Gratiaë Domina, tui est officii ab ejus nos tentamentis & insidiis defendere & protegere. *Tu nos ab hoste protege.* Nec solum dicimus, *tu nos ab hoste protege,* sed ut protectio tua hæc sit perpetua, & ad mortem usque tuta, addimus; *Et hora mortis suscipe.* Hic felix dies, Domina, fuit ille, quo velut Adæ filia tributum morti te solvente, eadem horâ, quâ incepit tua Gloria, consummata fuit tua Gratia. Itaque Gloria Gratiaëque Domina, per Sanctissimam mortem tuam, talem concede mortis horam, qua miserabilem hanc finientes vitam in Gratia, in æterna & felicissima tibi associari mereamur in Gloria,

Amen.

Nn 3

SERMO

S E R M O

D E

S. Joanne Evangelista :

In
Festo Serenissimi Principis Theodosii, Ulyssipone
in Capella Regia. Anno 1644.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem. Joannis 21.

S. I.



N mundi tantum felicitatoribus, felices & infelices darcensebam : etiam in sanctitate fortunæ locus est. S. Joannes Baptista infelix fuit, & gratia carens apud Reges ; S. Joannes Evangelista felix fuit, gratia pollens apud principes. S. Joannes Baptista infelix fuit, & Gratia Regum destitutus : Rex enim unus illum nasci fecit in monte ; Rex alter illum mori fecit in carcere. S. Joannes Evangelista Gratia valuit apud Principes ; Princeps enim cæli, & Eccle-

siæ Princeps, uterque præsentem in Evangelio concurrunt certando, uter illorum majore in ipsum amore feratur. Christus S. Petrum universalem Ecclesiæ suæ constituit Principem ; & S. Petrus digito demonstrando Joannem, dixit : *Domine, hic autem quid ?* q. d. Domine, si mihi pontificatum confers, si cæli mihi claves tradis, meritis Joannis quidnam tribues ? Quid ad hæc Christus responderet S. Petro ? *Sic cum volo manere donec veniam, quid ad te ?* q. d. Si ego Joannem sic manere volo, quid tua refert ?
quis

Joan. 21.
v. 21.

Ibid. 22.

quis Joannis te procuratorem cōstituit? *Quid ad te?* Notatu sanè dignissima & responsio Christi, & propositio Petri! Christus & S. Petrus ambo videntur conqueri, in quonam debeant esse grati. In locorum distributione, sentiuntur dignitates quæ tribuuntur aliis; in amicorū negotiis graviter sentitur quod committantur incuriis: & non quod credantur industriis seu sollicitis. Si igitur Christus amicus erat Joannis, & Petrus Pontifex factus; quare ægre fert, indignationemque palam ostendit Petrus ob collatam sibi à Christo dignitatem? Quare indignationem ostendit Christus, ob manifestam Petri sollicitudinem & curam? Sensus demonstrationesque quidem erant diversæ; eadem autē causâ. Uterque sentiebat, quia uterque S. Joannem valde diligebat. Petrus sentiebat, collatamque sibi dignitatem ægrè ferebat; quia enim Joannem sumè amabat, eandem non sibi, sed Joanni optabat: Christus sentiebat ægrè ferens sollicitudinem & curam S. Petri; quia enim Christus Joannem præ cæteris diligebat, nullius circa ipsum sollicitudinem, præter suam admittebat. Ubi Joannes est, inquebat S. Petrus, quare mihi confertur pontificatus? *Hic autem quid?*

Ubi ego sum, replicabat Christus, cur alius curam agit Joannis? *Quid ad te?* Ita ut Princeps Ecclesiæ, & Princeps Gloriæ uterque contenderet, uter eorum plus S. Joannem diligeret: diligere quippe Evangelistam amatum, vel est fatale, vel obligatorium maximis Principibus.

Tam ritè dispositam, Serenissime Princeps, tantaque autoritate confirmatam celsitudo tua erga dilectum suum S. Joannem Evangelistam habet devotionem: corroboratam sollicitudine Principis Ecclesiæ, & confirmatam insuper sollicitudinibus Principis Gloriæ. Nihilominus Serenissime Princeps, consideranti mihi celsitudinem tuam Principem esse Lusitanie, non desunt quæ mihi in ipsa devotione scrupulum moveant. S. Joannes amicus fuit & familiaris Christi: sed nunquid propterea Lusitanie Princeps, primis suis amicis familiarem se & amicum singulariter ostendet? Devotio erga amicum, etiam Sanctum, in Principe! Scrupulis obnoxia devotio. Israelitæ dicebant Deo, quod illum Baalim id est Dominum suum vocare nolent: quamvis enim Baalim nomen esset Dei, æquivocum nihilo;

nihilominus esset nomini Baal, quod erat nomen Idoli. Si igitur nomen Idoli etiam impositum Deo periculo non carebat; quare nomen familiaris & Amici, etiam si S. Joanni tributum, periculo vacabit? Familiaris seu amicus, quamvis sit S. Joannes, est amicus; & affectum & propensionem erga amicum & familiarem etiam principi nostro inesse oporteret! profecto, Serenissime! Princeps nō hæc exempla Serenitas tua cōspicit: non hæc doctrina celsitudo tua imbuta & enutrita est: quanto magis cum amicus & familiaris alius à S. Joanne futurus esset. Familiares & amici adinventi sunt, ut principes in eis recumbant & quiescant: Porro S. Joannes Evangelista familiaris & amicus erat, de quo Evangelista ait: *Recubuit supra pectus Domini.* Optima sanè amici conditio & inclinatio! pro eo quod princeps recumbere & quiescere deberet super illum, hic recumbit & quiescit super principem!

Joan. 21.
v. 20.

§. II.

CUm id ipsum ita repræsentetur, gravissimas duas pro principe Domino nostro rationes invenio, cur magnum hunc familiarem & Amicum Christi affectu singulariorem veneretur. Prima est

ex parte & conditione Amici: Secunda ex auctoritate Suaforis. Rex Athalaricus in amicum assumpturus Tholonicum Patritium, his illi verbis scripsit in Epistola, quæ est nona libri octavi Cassiodori: *ad relevandam florentissimam ætatis nostræ sollicitudinem, visum est te virum prudentissimum adhibere, quem constat etiam Domino avo nostro laudabiliter adhasisse.* q. d. Primis hæc imperii mei annis socium te mihi addiscere intendo duas ob rationes: prima est, quia ex prudentia idoneus es, secunda quia quæ talis jam ante Domino Avo nostro Theodorico socius fuisti: *Quem constat etiam Domino Avo nostro laudabiliter adhasisse.* Eisdem planè ob rationes, princeps nos noster, quem Deus incolumem diu conservet, merito movetur, ut magno huic familiari & amico Christi afficiatur. Prima quia vel maximè idoneus est ut sit: Secunda, quia primò Serenissimi Theodosii avi sui amicus fuit: *Etiam Domino Avo nostro laudabiliter adhasisse.* Celsitudo sua adhuc infans quandoque somniavit, apparuisse sibi Dominum Avum Theodosium singulariter sibi recomendantem devotionem erga S. Joannem Evangelistam, quem ipse tota vita sua summa devotione fuerat prosecutus, Non hæc primæ fuere

Cassid.
lib. 8.

Epist. 9.

vices,

vices, quibus S. Joanni felicior fors obtigit in somniis. Mysteriosam istud somnium devotionis hujus fuit principium, & hanc hæreditatem divinam talis Avus tali reliquit Nepoti.

Alia jam vice ad pedem Crucis, S. Joannes Evangelista in Hæreditatem fuerat relictus; & meo judicio, hoc maximam laudem conciliat discipulo dilecto, quod de ipso testari possit. Unum ex gravioribus scandalis in mundo esse mihi videtur quod de amicis testari non possit. In morte testantur homines de suis bonis, eandemque ob rationem primo loco videntur testari debere de amicis; quia omnia inter bona nullum amico majus est: & inter omnes res nostras, nulla magis est nostra, quam amici. Si igitur Amici maxima sunt nostra bona, & bona quidem vel maximè nostra, ut quid non testamur de iis? Ratio est ista, quia bona de quibus testantur, & testari possunt homines, sunt illa quæ permanent post mortem: amici verò, quamvis maxima nostra sint bona, finem accipiunt cum vita. Maximus amicus perseverat usque ad mortem: post mortem nullus datur amicus. Mortuus est Lazarus absente Christo; & valde notandum est modus,

Part V.

quo Christus hæc nova retulit Apostolis. Primâ vice dixit: *Lazarus amicus noster dormit*: non multò post clarius se explicavit dicens, *Lazarus mortuus est*. Notatu dignissima differentia! Christus dicendo, Lazarus dormit, amicum cum vocat: *Lazarus amicus noster dormit*: mortuum illum dicendo amici subicit nomen: *Lazarus mortuus est*. Si igitur amicum illum vocat dicendo quòd dormiret, quare amicum illum non vocat mortuū denunciando? *Lazarus mortuus est*. Quia dicens illum dormire, vivum adhuc supponebat: dormire enim propriè sumptum, viventis est: mortuum illum dicendo, verè ipsum mortuum declarabat; & nomen Amici cum vita expirare, nec post mortem dari Amicum innuebat. Lazarus vivus est Amicus, *Lazarus Amicus noster*: Lazarus mortuus est Lazarus, *Lazarus mortuus est*. Et quia amicitia humanæ sunt bona, non permanentia post mortem, hinc Homines de istis bonis non testantur; nec Amici testamentis transcribuntur. Solum S. Joannes Evangelista ab hac fuit regula exceptus, uti ab omnibus. Christus suum condidit testamentum jam jam moriturus, & de quo potissimum fuit testatus,

O o S. Jo.

Joan. 19. v. 26. S. Joannes Evangelista fuit : *Mulier, ecce filius tuus.* Amorem dilecti sui non cum vita finiturum sciebat, hinc primaria testamenti sui portio exitit.

Luc. 22. v. 20. In Eucharistia Sacramento Christus æqualiter Corpus suum, & sanguinem suum consecravit ; sed in consecrationis modo magnam observo differentiam. Consecrationem calicis Christi testamentum vocavit : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine :*

Ibid. v. 19. Consecrationem Corporis non vocavit testamentum, tantum modò dicens : *Hoc est Corpus meum,* prætereaque nihil : si igitur Christus Testamentum vocat sanguinem , quare non itidem Corpus suum Testamentum vocat ? Ratio intentioni nostræ congruentissima ; quia Corporis Christi excellentiæ finem acceperunt cum morte. Sanguinis Christi excellentiæ post mortem adhuc perseverarunt. Corpus Christi ad Redemptionem concurret patiendo : Sanguis verò Christi ad eandem concurret effluendo : proinde Christus de sanguine, & non de Corpore suo testatus fuit ; quia Corpus post mortem non fuit passum, sanguis ipso jam mortuo adhuc fuit effusus : *Exiit sanguis.* Hac de causa Evangelista de lancea lo-

quens signanter dixit quod aperuerit , & non quod vulnerarit, *Lancea latus ejus aperuit :* Lancea enim percussio non fuit vulnus pro corpore , sed porta pro sanguine : Non infixit vulnus pro corpori , corpus quippe illam non sensit : portam seu exitum aperuit sanguini, quia sanguis ex illa emanavit, *exiit sanguis.* Porrò sicut in corpore mortui non vigeat sensus ad patiendum, & in sanguine etiam post mortem impulsus erat ad exeundum, idcirco Christus de suo sanguine, & non de suo corpore testatus fuit : *Hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.* O Joannes divine, quam egregiè te sanguinem esse Christi, in tuæ excellentia amicitia ostendis ! Excellentia tuæ nequaquam expirarunt cum morte, immò Christo mortuo pro te, tu amplius mortuus es pro illo : Hinc de te tuus testatus est Magister : Hinc de te nostri testati sunt Principes.

Hæredis nunc rationem excutere aggredior, utrum illam Princeps, quem Deus conservet , nostro porius Clemētissimo Domino Regi , an Serenissimo Domino Theodosio Avo suo debeat : Quatenus Hæres est Regis nostri Domini, Hæreditas est Regnum Lusitanæ :

tanix : Quatenus Hæres est Serenissimi Domini Theodosii sui Avi, Hæreditas est S. Joannes Evangelista : utinam igitur Celstudo tua plus debet in ratione Hæredis : nulus dubio relinquitur locus, Serenissime Domine, quin Celstudo tua plus debeat Serenissimo Domino Theodosio suo Avo, quàm Regi nostro Domino. Probo in propriis terminis. Christus suum conditurus testamentum, duo habuit de quibus testaretur : testatus est de Regno, & testatus est de S. Joanne. Quibus verò duo hæc legata reliquit? Regnum reliquit Dixæ, S. Joannem suæ reliquit Matri. Sed quonam pacto sic Domine? Commutanda fuisse videntur legata: Discipulum amicorum alicui relinquere sufficiebat, Regnum verò Matri relinquere convenientissimum videbatur: ut quid igitur regnum Dixæ, & Discipulum Matri relinquit? Quia æquo consentaneum erat, magis dilecto optimum relinquere Legatum, & cum Regnum Christi optimum esset mundi, Matri magis dilectæ reliquit Joannem; Dixæ minus dilecto reliquit regnum. Expressis hoc verbis affirmat S. Ambrosius; *Matri dixit, ecce filius tuus: Latroni dixit, hodie mecum eris in Paradiso, pluris pu-*

tans quod pietatis officia dividebat, quàm quod Regnum caeleste donabat. Matri magis dilectæ dedit Joannem; Dixæ dilecto minus dedit Regnum: appendendo enim in statera justa hinc Regnum Cæleste, & illinc S. Joannem, Christus significatum voluit, plus se dare Matri, Legando ipsi S. Joannem, quàm Dixæ assignando ipsi Regnum: *Pluris putans quod pietatis officia dividebat, quàm quod Regnum Cæleste donabat.* Porro si S. Joannes, remota omni adulationis specie, melior est hæreditatis portio, quàm regnum cæleste; etiam absque ingratitude nota melior dici potest hæreditas quàm regnum nostræ Lusitanix.

Hæc prima numeris omnibus absoluta est ratio, quâ Celstudo tua justissimè moveri potest, ut affectu devotioneque singulari Dilectissimum illum Christi prosequatur, eo quod Serenissimi Domini Theodosii Avi sui sit Hæreditas. Secunda est, ob qualitates optimas quæ in S. Joanne inveniuntur pro Amico, pro ut jam videbimus.

§. III.

PRIMA bona qualitas pro Amico, quàm in S. Joanne in-

venio, est, quod sit Evangelista. Amicos & familiares Evangelistas esse oportet. Evangelistarum officium est, veritatem edicere: Amicorumque & familiarium est, veritatem ex officio pronunciare. Hominum nonnulli fuerunt Evangelistæ; multi amici fuerunt & familiares: sed Amicus simul & Evangelista solus fuit Joannes. Ratio, seu iniquitas hujus est; quia familiares Evangelistas agere detrectant: & Evangelistæ familiaritatem & amicitiam non assequuntur. In Solo S. Joanne geminæ hæc proprietates sibi sociantur: è quibus prærogativa ipsius constat. Scitisne primariam dilecti Evangelistæ prærogativam? Est, dilectum esse, cum sit Evangelista. Ego in Evangelio nostro unum singulariter considero, quod ab aliis minimè notari video. *Et scimus, quia verum est testimonium ejus*, inquit S. Joannes suum concludendo Evangelium, id est, omnia quæ in eo conscripsit esse vera. Profectò superficie tenus observatio hæc otiosa videtur. Legantur Evangelistæ omnes, & nullus simile quid inculcatum seu admonitum voluisse invenietur. Aliis igitur de veritate scriptorum suorum tacentibus Evangelistis, qua-

Joan. 21.

re S. Joannes scripta sua veritati consona asseverat? Nunquid æquales sibi erant autoritate, nonne Evangelista erat sicut & reliqui? Erat planè, sed erat Evangelista dilectus; & quia amor & dilectio suspectam reddere poterat veritatem, cautelam adjunxit, quod quamvis esset dilectus, esset nihilominus verax: *Discipulus quem diligebat: & scimus quia verum est testimonium ejus*. In aulis principum ordinariè qui contradicunt veritati, lucrantur dilectionem. In Aula Christi aliter se res habet: qui profitentur veritatem, in præmium accipiunt dilectionem. O Grandem Gloriam Christi! O Grandem Gloriam Joannis! Ingens Gloria Christi, dilectum suum esse Evangelistam; nec minor Gloria Joannis, quod cum sit Evangelista, sit dilectus. Verùm non ubique hoc invenitur: in aula tantùm Cælesti, & nostræ Lusitaniæ: tantùm in Principe Gloriæ, & nostro Principe. Hoc tantum curandum est, Serenissime Princeps, ut ita sit semper. Diligantur Evangelistæ: & nisi quis fuerit Evangelista, non diligatur.

Enim verò quamnam est ratio, cur Evangelistæ diligendi sint? Ratio est evidens; nihil enim

enim magis amorem promeretur reciprocum, quam diligere; nihilque magis dilectionem probat quam veritatem edicere. Dalila Samsone in tribus interrogavit vicibus, in quonam maxima ipsius fortitudo consisteret, & quonam modo vinci posset? Prima vice respondit Samsō, si funibus nervicis vineiretur: Secunda vice, si novis funibus, qui nunquam fuissent in opere ligaretur. Tertia vice, si septem capitis sui capillis seu cincinnis alligaretur: sed omnibus tribus vicibus vincula nullo labore dirupit. Quid hic Dalila deceptam se videns faceret? Samsōnem fatigavit lamentis pro comperto se habere dicens, quod eam non diligeret, sic argumentata: *Quomodo dicis, quod amas me? per tres vices mentitus es mihi.* q. d. Deductā benè consequentiā, mentitus es mihi; ergo me non diligis. Consequentiā est clara; diligere quippe est cor tradere; mentiri est illud obvelare; Benè igitur sequitur, quod verum, seu veritatem non loquens non diligit: Quo enim pacto cor tradet, qui illud abscondit? Ita ut ex cujuslibet veracitate Princeps colligere possit & dijudicare amorem ejus & dilectionem: cum hac tamen cautela & circumspectione, ne instar Dalilæ, tertium mendacium expectet: *Per tres vi-*

ces mentitus es mihi. Ob primam falsitatem, in qua subditus fuerit deprehensus, mox & in perpetuum eum Principis gratia excidere fas est. Nimium hoc rigorem sapere videtur; Gratia enim Dei per quodlibet mendacium non amittitur: potest homo loqui non verum, & manere in Gratia Dei, nihilominus Principi non expedit, sibi hoc fieri. Quare? Quia quoad Deum, qui corda novit, mendacia venialia esse possunt; verum Principi, qui illa non novit, omnia mortalia haberi expedit, & ut pro omnibus & singulis perdat Gratia. Gratia in dilectione & amore consistit: qui non loquitur veritatem non diligit ergo ubi non probatur dilectio, consequens est ut perdat gratia. Perdat gratia, ubi probata fuerit non dilectio, *id est mendacium: tibi concedatur & acquiritur gratia, ubi probata fuerit dilectio,* quæ est veritas: mutuoque sibi copulentur fœdere titulus Evangelistæ, & dilecti, sicut in Joanne.

Inusitatum mihi est in doctrina mea relinquere dubia. Omnes contra istam instabant validè, S. Matthæus, S. Marcus, & S. Lucas etiam fuerunt Evangelistæ, nec tamen nomen dilecti consecuti: Ergo S. Joannes non fuit dilectus, eò quod fuerit Evangelista: & si fuit

dilectus quatenus Evangelista , cum , qui talis permanfit : *Sic eum volo manere*. S. Petrus interrogavit Christum : *Domine , hic autem quid ?* q. d. Si me Principem Ecclesiæ constituis , S. Joanne , dilecto tuo & Amico quid fiet ? respondit Christus : *Sic eum volo manere*. Hæc mihi ex potioribus Evangelistæ esse videretur excellentiis , esse Amicum , qui sic mansit. Amicum esse & Familiarem , & statim alio manere modo , commune est omnibus : esse verò Amicum & Familiarem , & manere sicut ante , singulare est S. Joanni. S. Petrus aliis amicis & familiaribus metiens Joannem , imaginabatur sibi multum quid ex familiaritate , *Hic autem quid ?* Sed S. Joannes seipso se metiens , mansit ut ante fuerat : *Sic eum volo manere*.

Ex circumstantiis in creatione mundi non minima est , quam considero valdè , quod Deus Evam de latere formaverit Adami. Nunquid illam de capite formare potuisset , ut sapiens foret ? nunquid ex manibus eam formare potuisset , ut alacris & expedita esset ad opus , & negotia peragenda ? Nunquid illam ex pedibus formare potuisset , ut sedula & industria esset ? ut quid igitur illam de latere format ? quia

§. IV.

Secunda amici & familiaris qualitas , qua decoratus fuit S. Joannes , quamque summo opere in hoc **Sancto** demiror , est , esse Ami-

quia latus Adami pars erat corporis intentioni Dei magis respondens. Deus ex modica corporis particula subito producturus erat Evam, quæ staturam ipsius adæquaret, idcirco illam formavit de latere, neque alia ex parte, quia proprium est lateribus modico tempore multum crescere, adhuc dum costa, & jam Eva? adhuc tum tam exigua lateris portio, & jam magnitudine illum adæquans, cujus tantum particula erat? sic est: quia costa pars erat lateris Adami. Adam creatorum omnium universalis erat Princeps, nec est quod magis, citiusque succrescat, quam latera Principum. Pater hoc in Joseph cum Rege Pharaone: in Amano cum Rege Assuero: in Daniele cum Rege Dario. Cùmque tam sit naturale crescere in lateribus Principum, at tamen quod S. Joannes, qui maximi Principis mundi erat de latere, de augmento sollicitus non fuerit, sed sic permanferit: *Sic cum volo manere*, permagnam Evangelistæ Excellentiam demonstrat.

Tria in hoc mundo semper crescendo nunquam sic permanent: unum facit natura; alterum Gratia; tertium facit fortuna. Natura producit palmas; Gratia reddit Sanctos; Fortuna pro-

gignit amicos & familiares. De statura animæ sanctæ reliquæ ipsius loquebantur sociæ; quod similis esset palmæ; *Statura tua assimilata est palmae*. Enim verò *quæ palmæ potius quam alii corpori pulchro & conspicuo ex omnibus, quæ natura producit, in sylvis? quia omnes reliquæ arbores, etiam altissimæ Libani Cedri limitatum habent in crescendo terminum; sola verò Palma nullis confrieta limitibus accrescit semper. Huic similes sunt Sanctorum animæ. Quemadmodum virtus non coarctatur terminis, quemadmodum perfectio non circumscribitur limitibus; semper in virtute excrescunt; semper in perfectione ascendunt; semper renovantur & proficiunt, à claritate in claritatem, uti S. Paulus loquitur. Hæc est statura Palmarum, quas natura profert; hæc quoque est statura Sanctorum à Gratia inspiratorum: & hæc est statura familiarium & amicorum à fortuna inspiratorum. Statura, quantumcunque provecam & elevatam eam videamus, etiam ad nubes usque, semper magis magisque succrescit. Quod si aliter se habere videatur, ad memoriam revocate tria, quæ paulò ante vobis dixi. Jacob benedixit Joseph,*

Cant. 7. v. 7.

2. Cor. 3. v. 18.

Joseph,

Joseph, ut semper cresceret: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Ubinam verò locorum benedictio illa fuit impleta: in familiaritate & gratia Pharaonis, Aman magnus familiaris Assueri usque in diem, quâ desuit, crevit; & quia plus crescere nequibat, desuit. Infelicitas fuisse censetur, sed natura fuit; idem enim accidit palmæ, vel crescere, vel cessare & finire: Daniel Dario familiarissimus, cum supremis totius Monarchiæ jam associatus esset Principibus, Rex adhuc amplius eum crescere omnibusque eum prælatum esse volebat: *Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne Regnum.* Primates regni tanto ipsius incremento offensi, ut ulterioris crescentiæ Danieli obicem ponerent, congruentius nihil repererunt, quam ut à latere regis eum amoverent. Non tantum idiomatis nostri phrasis, sed ipsius Scripturæ sacræ textus est: *Vnde Principes & Satrapa querebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis.* A latere amotum illum volebant; quia à latere incrementum illi proveniebat. Ignoro sanè quas influentias habeat latus Principis; nam in toto quo vivimus elemento, non est pars tam fertilis ac fecunda, quam ista duorum pedum terra: omnia ibi dantur, omnia ibi mesuran-

tur, omnia ibi crescunt. Crescunt cognati, amici, famuli: crescunt honores, dignitates & tituli: crescunt facultates, domus & deliciae: crescit potestas, dominium, respectus, adoratio, & super omnia ipsorum adorantium crescit statura. Heri pigmæi, hodie viri; cras Gigantes, postridie Colossi. Ultimæ huius me pœnitet comparationis; quia dum adduxi magnitudinem, sustuli ipsis animam. Non sic familiarissimus maximo Principi S. Joannes: *Sic eum volo manere.* In eadem semper mansit statura, eandem conservavit magnitudinem, neque majoritatis apparentias sibi ex latere acquisivit.

Exorta est quæstio inter Apostolos, *Quis eorum videretur esse major?* Quæstio hæc, meo iudicio, vel maxime S. Joannem commendat. Cum S. Joannes sine quæstione sit amicus & familiaris, adhuc moveatur quæstio, quisnam sit major! grandis sanè laus amici. Eodemque exortæ Quæstionis loco, in ultima videlicet Cœna, Christus publicè latus suum tradiderat S. Joanni, eademque hora & cœna, S. Petrus ipsius usus valore & auctoritate, secretum proditoris expiscari tentavit, de quo Christum interrogaverat. Si igitur favor & prærogativa S. Joannis adeo erat manifesta, si Principis sui latus ipsi,

Luc. 22.
v. 24.

&

Gen. 49.
v. 22.

Daniel.
6. v. 4.

Ibid.

& quidam soli ipsi erat traditum ; quoniam pacto adhuc dubitant Apostoli & quisnam è duodecim major sit contendunt ? Nonne luce meridiana clarius patet majorem inter omnes esse S. Joannem ? Sic fieri oporteret, nisi S. Joannes amicus & familiaris fuisset, qui sic mansit. S. Joannes semper ejusdem erat magnitudinis, sua se staturâ metiens, & sibi semper tam æqualis, ut quantumcunque sui crescerent favores & prærogativæ, semper maneret, ut ante fuerat. Prærogativa cæteris præeminēbat sine contentione, majoritate cæteris par erat : *Quis eorum videretur esse major.* Et notate contentionem, in rigore acceptam non fuisse de eo, quisnam esset, sed quisnam videretur esse major, *Quis eorum videretur esse major.* Tam parum cum omni sua excellentia creverat S. Joannes, ut non solum reliqui Apostoli cum eo contendere potuerint de reali majoritate, sed etiam de apparentiis externis: quis videretur. Ita ut in familiaritatis suæ culmine, & sublimissimo excellentiæ suæ apice, non tantum non esset, sed nec major quidem appareret : *Quis eorum videretur ? Isud solum est,* sic manere.

Verum enim verò in hac S. Jo-

Pars V.

annis mansione quænam potior fuit fidei sive excellentiæ prærogativa, num illa lateris, an verò ista ordinariæ amicitia familiaritas ? Ego utramque æquali laude dignam cens. o. Quemadmodum in familiaribus non sic manentibus, tam exigua est fides familiarium, sicut amicorum lateris. sic in hoc magno familiari, qui sic mansit, tam constanter cum prærogativa fidei & sinceritatis mansit amicitia lateris, quàm familiaritas: non æquè subtiliter hoc credebatur Mater S. Joannis, sed consanguinitati potiùs confisa, pro quolibet filiorum suorum petit à Christo latus simul & cathedram: id est amicitiam sine retributione, & amicitiam cum retributione: *Math. 20. v. 21. Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alius ad sinistram in Regno tuo.* Petitioni quidem pro tunc Christus nihil detulit, sed tempore suo, de petitionis hujus dimidio duas fecit expeditiones. Latus unum dedit S. Joanni, & Cathedram unam contulit S. Petro. Si igitur Mater pro S. Joanne Cathedram simul petebat & latus, quare Christus illi non indulsit utrumque ? porro si Christus illi noluit conced. re utrumque quod postulabat, sed tantum unum, quare non dedit illi Cathedram,

Pp

dram,

S. V.

dram, sed latus? latus illi tradidit & non cathedram ad demonstrandam amicitiae lateralis praerogativam: deditque illi latus sine Cathedra, pro majore laude S. Joannis. Si Christus Joannem praeter ceteris diligendo, cathedram illi, & non latus tradidisset; ostendisset se cathedram pluris quam latus aestimare, quod ipsum lateri praedjudicaret: Et si illi latus & simul Cathedram contulisset: ostendisset sanctum Joannem non latus tantum, sed simul & Cathedram appetere, quod praedjudicasset S. Joanni: idcirco Cathedram illi non dedit, sed latus; & idcirco sine Cathedra illi dedit latus. Velle potius Cathedram quam latus, est imperium irrogare lateri: velle latus simul cum Cathedra, injuriosum est familiari. Latus praetendere & non Cathedram honorificum & laudabile simul est familiari, & lateri. Istud nullus facit: istud sanctus Joannes fecit; istudque Christus volebat, ut familiaris sibi esset sanctus Joannes, familiarisque exstans, sic maneret: *Sic eum volo manere.*

Tertia qualitas admiranda in Evangelista resplendens, fuit, esse familiarem, qui de secreto fecit ignorantiam. Unum ex praerogativae suae argumentis, quae sanctus Joannes in hoc Evangelio suo allegat, fuit Christum interrogare, *Quis est, qui tradet te?* Respondit illi Christus, Judam esse: & addit Evangelista, *Hoc autem nemo scivit discumbentium*: Ergo nec ipse sanctus Joannes hoc scivit, qui discumbentium unus erat. Hanc consequentiam infert sanctus Augustinus, Si igitur illud revelaverat sancto Joanni, quo pacto possibile erat ipsum hoc ignorare. Quod sciverit, clarum est. Si igitur illud scivit, quomodo nescivisse dicit? *Hoc autem nemo scivit.* Ratio haec est, quia quod Christus Joanni dixit, in secreto ipsi dixit: & quod sanctus Joannes scit in secreto, hoc nescit. In aliis hominibus scire in secreto, est scire: in sancto Joanne scire in secreto, est ignorare: *Nemo scivit.* Nullum secretum omnibus numeris absolutum est secretum, nisi quod ignorantia velatur: nam secretum quod scitur dici potest: se-

Joan. 21.
v. 20.

Joan. 13.
v. 28.

secretum quod ignoratur revelari nequit. Hæc est ratio cur homines communiter nesciant servare secreta : commendant enim ea memoriæ , cum commendare eadem oporteret oblivioni. Commendatum memoriæ secretum periclitatur ; commendatum oblivioni est securum. Ratio est : quia secretum memoriæ commendatum servatur cum cautela, & quod servatur cum cautela potest perdiri ; secretum commendatum oblivioni ignoratur ; & quod prorsus ignoratur, revelari nequit. Perfectum igitur secretum est illud , quod ignorantia conditionem acquirit, & tale erat illud sancti Joannis : *Hoc autem nemo scivit discumbentium.* Huic considerationi probationem inquisivi ? quam non nisi in Homine Deo reperiri.

Christus de Judicii extremi die incerta loquens , inquit : *De die autem illa nemo scit , neque Angeli , neque Filius.* Id est , diem Judicii nemo scit , nec Angeli , nec ipse Filius Hominis. Textus hic unus est ex difficilioribus, quos novum Testamentum continet , tantæ perplexitatis , ut in eo contra Arianorum hæresim quatuor Ecclesiæ Doctores desudarint. Dicat Christus , nec se ipsum quidem scire , quando

futurus sit Judicii ? notabilis sanè assertio ! Christus quæ Deus , scit quando dies erit Judicii ; scientia , quippe divina , communis & æqualis est omnibus tribus personis. Christus quæ homo , scit quando erit Judicii dies : quamvis enim scientia Christi quæ Hominis , non sit infinita , universalis est & perfectissima , omniaque futura , & decreta novit divina. Si igitur Christus & quæ Deus , & quæ Homo , quando dies Judicii futurus sit novit , quare se illum nescire dicit , *De die autem illa nemo scit neque Filius ?* recepta magis ab omnibus Doctoribus Textus hujus expositio est ista : quod quamvis Dei Filius optimè sciret , quando Judicii dies futurus esset , tali illud modo sciebat , ut secretum illud reliquis Apostolis revelare nollet : & in personis divinis , sicut in Christo , scire in secreto , idem est quod ignorare. Sanctus Hilarius. *Quod S. Hilarius, Filius Hominis nescit , Sacramentum est quod taceat.* Quod Christus ignorare se dicit de die Judicii , non est ignorantia est secretum ; sed secretum vocatur ignorantia ; quia in personis divinis , illud tegere & abscondere , est illud quasi ignorare. Eodem modo se res habet cum S. Ioanne (de ipso enim

& de Deo Evangelistæ eodem stylo loquantur) dicere voluit se abscondere, & dixit se ignorare: *Hoc autem nemo scivit discumbentium.*

Necdum exaggeratum est quod in secreto sancti Joannis videtur excellentissimum seu extremum. Ad textum nostrum redeamus: *Qui recubuit supra pectus Domini, & dixit: Quis est, qui tradet te?* Sanctus Joannes inquit sanctum Petrum vidisse Discipulum illum dilectum à Christo, qui in cœna recubuit supra pectus ejus, & de traditore interrogavit, quisnam esset? animadverto & considero. Videtur dicere non debuisse sanctus Joannes, quod ipse esset qui interrogasset Christum, quisnam traditor esset: sed quod ipse esset, cui Christus dixisset, quis traditor esset. Dubium meum fundo: quia S. Joannis intentio erat probare se dilectum esse Christi, porro amor Christi in S. Joannem non probatur ex eo, quod sanctus Joannes secretum percun&atus sit ex Christo, sed quod Christus id ipsi S. Joanni revelavit. Enim verò si Christus S. Joanni secretum S. Joanni revelavit, cur non dicit sibi secretum à Christo fuisse revelatum? cur tantum interrogasset se dixit, *Et dixit: Quis est*

qui tradet te? Altius in materia secreti ascendi non posset. In materiis secreti sanctus Joannes scrupulosus ad eò familiaris fuit, ut nec secreta revelare, nec qui secreta sibi dixisset, voluerit indicare. Quod interrogaverit quidem dicit; quis verò sibi revelaverit, protinus subticet. Hominem non revelare secretum sibi notum, multum est: sed ne quidem dicere quod sciat secretum, multò amplius est. Quare: quia subticere secretum quod scit, est servare secretum: sed nec dicere quod sciat secretum, est secretum obtegere secreto. Intuitu sancti Pauli hæc sancti Joannis excellentia clarescet. Deus sanctum Paulum rapuit in tertium cœlum, maxima ipsi revelans arcana: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Id est divi secreta, quæ dici non oportet. Agite & intendite, quanto discrimine S. Paulus & S. Joannes distent. S. Paulus audita arcana non revelat, sed ea se audisse indicat; *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* S. Joannes nec dicta sibi secreta evulgat, nec quod sibi dicta sint revelat, sed tantum quod de illis inquisierit: *Et dixit: Quis est qui tradet te?* Sanctus Paulus secretum servavit quo ad subiectum, quia servata sibi nõ

2. Cor.
12. v. 4.

speci-

specificavit: sed non servavit secretum secreti; quia illud sibi revelatum manifestavit. S. Joannes secretum servavit, quoad subjectum; quia non prodidit traditorem; secretumque servavit secreti, quia non dixit traditorem sibi esse detectum. Quid igitur mirum, S. Joannem, cum esset ad eò tenax secreti Secretarius, ad eò dilectum fuisse & familiarem! *Discipulum, quem diligebat Iesus: & dixit: quis est, qui tradet te?*

§. VI.

Quarta & ultima qualitas bona, quàm in S. Joanne demiror, est esse familiarem, qui Gratiam amore tantum Gratia affectavit. Statim me clarius explicabo. In Sacramento Eucharistia Christus Gratia suæ fontes reliquit: sed notandum cum primis, quod Christus substantiam panis ibi noluerit remanere. Considerationem sic fundo. Pauciorib⁹ opus erat miraculis, ut esset Corpus Christi simul & substantia panis; quàm ut Corpus Christi sine substantia panis. Si igitur miraculis pauciorib⁹ mysterium illud poterat confici, quare Deus miracula semper compendians, substantiam panis in Sacramento remanere voluit? Ego veram rationem vobis non dicam,

sed moralitatem quandam veracissimam. Omnia Sacramenta instrumenta sunt gratia, & majoris præ cæteris; noluitque Christus dari gratiam pani conjunctam, neque panem gratia sociatum. Maximus abusus, maximumque periculum quod inest gratia principum, est quod panis & gratia sibi sint confociata. Si in altaribus panis daretur cum modis, multæ fierent communiones amore tantum panis; quæ non fiunt amore Gratia. Appetere Gratiam amore tantum gratia, est devotio; velle Gratiam amore panis, fames est. Idcirco tot dantur famelici, vel extenuati gratia. Omnes amant adimpleri Gratia, sed non vacua: *Gratia Dei in me vacua non fuit*, inquit S. Paulus sensu optimo. Gratia Dei ad hoc deservire debet, ut vos Gratia obligationibus impleatis; & non ut Gratia impleat vos, vel vos eâ impleamini. Quo casu, minoris constaret conferenti, & pretiosior foret lucranti. Hinc Christus Panem noluit Gratia conjunctum. Sed quia illi omnipotentes mundi illam non faciunt segregationem, quod sine singulari miraculo possent: eousque progressa est Gratia, ut transubstantiaretur in panem; ut jam nemo gratiam querat gratia amore, sed gratiam amore panis; & mensura panis vel panis

I. Cor. I. 4.
v. 10.

sine mensura Gratia appetiatur. Cur hodie abundat panibus, cui heri nequidem suppetebat unus? Quia Gratia praevalet cateris. Pro quanta absurditas. Verum enim verò, quam bene Christus huic occurrit inconvenientiæ! In ipso Sacramento licet non sit panis quoad substantiam, est tamen panis quoad accidentia: Gratia verò non metitur pane. Sæpe magnam accipiens hostiam exiguam refert gratiam; & parvam accipiens hostiæ particulam, magnam refert gratiam: ut homines intelligant, gratiam non esse panem metiendam.

O quam bene regeretur mundus, si pauperes videremus panibus, quos tam opulentos videmus Gratiis! Verum in Gratia tantum Dei ita se res habet: in Gratia hominum aliter esse volunt: nemo majore apud principem suum valet gratia, quam David apud Jonatham: Quodnam verò Gratia hujus argumentum & probatio? Sacer textus ait: *Spoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David*: Ita ut Gratia Principis sint spolia: *Spoliavit se*. Res notabilis! Homines non gaudere se gratia Principis existiment, nisi ad vestimenta usque se spolient! & Gratia habeat spolia, quasi in

bello acquisita! Spolia hostis devicti sunt insignia: & Amicorum Principum Gratia eadem habeat signa! Hinc ego metuo ne modus ille acquirendi gratiam, sit inferre bellum: Solummodò inhians spoliis bellum meditatur, & machiatur. Gratia tantum cupidus amore Gratia, corde contentus quiescit, In nostro istud Evangelista clarè intueamur. Acquisivit Gratiam Christo, sed in quo? Christi ipsi cor suum quasi devictum tradidit: *Re-cubuit supra pectus ejus*. S. Joannes plurimi fecit cor sui Principis; sed illud æstimavit, quia se victum ipsi tradidit, & non quia ipse illud devicerat. Cor Principis æstimandum est ex traditione, & non quod fuerit victum: æstimandum in illo est victum, & non quod vincit. Solus S. Joannes novit æstimare gratiam Principis ut oportet: Gratiam amore Gratia, & nihil amplius.

Tribus quatuorve vicibus Joannes de se loquitur in Evangelio semper se vocans illum Discipulum, & nunquam Joannem, *Discipulus ille*. Quare igitur S. Joannes, non suo se nomine appellat? Urgeamus dubium. S. Joannes in Evangelio loquitur de Christo; loquitur de Petro; loquitur de seipso: Chri-

1. Reg. 18.
2. 4.

Christum appellat Christum; Petrum vocat Petrum: se ipsum verò non compellat Joannem. Si igitur Christum nominat Christum, & Petrum Petrum, quare Joannem non nominat Joannem? Ratio est, quia Joannes significat Gratiam: & S. Joannes in tantum amavit gratiam ob se ipsam, ut nec nomen voluerit habere cum ea. Amantes Gratiam Principum etiam infructuose, Gratiam saltem appetunt cum nomine; cum Gratia applaudi sibi gestunt: S. Joannes autem tam excellentèr amavit gratiam sui Principis etiam sine suo comòdo; ut gratiam desiderarit sine nomine: eandem voluerit sine vocibus & applausu, propterea nomen Joannis subtrivit, quia erat nomen Gratia. Gratia amore Gratia, summus apex est Evangelista.

Perfectissimus amor Gratia secundum patitur & admittit amorem alium, qui est amare gratiam amore Gloria. Solus S. Joannes ulterius progressus, ab amore Gloria separare voluit amorem Gratia. Moyses dicebat Deo: *Si inveni Gratiam in oculo tuo, ostende mihi faciem tuam.* q. d. Domine, si coram te gratiam inveni, ostende mihi faciem tuam in qua Gloria consistit. Et S. Joannes quid? *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum Gratia:*

Ita ut Moyses amaret gratiam Dei, velut Gratiam Dei Gloria pleni: & S. Joannes amaret Gloria Dei, velut Gloria Dei Gratia pleni. Inter utramque considerationem multum differt; amare enim Gratiam amore Gloria, est velle frui premio; amare Gloria amore Gratia, est amorem velle asscurare. Quodnam optimù habet Beatitudo? optimum Beatitudinis non est Gloria fruitio, sed Gratia certitudo: Beati enim gratiam Dei perdere nequeunt: & istud S. Joannes considerabat. Moyses Gratiam considerabat velut pignus Gloria: S. Joannes Gloria considerabat velut securitatè Gratia. Amor Moysis conjunctus erat comòdo; ordinabat enim Gratiam ad Gloria: dirigebat amorè ad visionem. Amor S. Joannis purus erat & excellens; volebat enim Gratiam amore gratia: amare volebat absque reflexione ad visionem.

Hinc ex nostro Evangelio, magnum & nunquam satis intellectum innotescet mysterium: *Discipulum, quem diligebat, qui & in cœnarecubuit supra pectus Domini.* S. Joannes reciprocum inter se ipsum & Christum exaggeravit amorem, in cuius probatione dicit, quod recubuit & obdormivit supra pectus Domini! Egregia sanè amoris probatio! Diligere est vigilantia, & obdormire

mire negligentia est incuria: quomodo igitur fieri potest, ut negligentia & incuria vigilantia sit probatio: & obdormitio probatio sit amoris? Obdormivit, ergo dilexit: nunquid hæc bona est conscientia? Est omninò: S. Joannes enim obdormivit supra pectus Christi: nec purior, nec certior dari potest amor illo, qui cor tradit & oculos claudit. Tradere cor oculis apertis, est velle visionem pro premio amoris: cor tradere oculis clausis, est nolle in amore præmium visionis. Unde clarè inferitur, amorem S. Joannis perfectiorem fuisse circumstantiis ipso amore Beatorum: Beati enim amat oculos apertis: S. Joannes amavit oculos clausis. Beati amant cum satisfactione visionis: S. Joannes amat sine interesse & commodo videndi. Utrum bona sit conscientia, ipsi dicant Gloriæ Seraphini. Isaias duos illos vidit Seraphinos Throno Dei assistentes, dicens, quod duabus alis volarint, & duabus alis faciem velarint: *Duabus alis volabant, & duabus velabant faciem.* Si igitur omnes Angelis semper vident Deum, quoniam pacto Seraphim isti velabant oculos? Hujus rei causa est, quia sicut cælestes Seraphim per antonomasiam sunt amantes, representando saltem perfectiorem,

quàm aliorum Spirituum Beatorum Deo offerre satagebant amorem. Et amor perfectior illo Beatorum, est aperire cor & claudere oculos. *Duabus volabant, ecce cor apertum: Duabus velabant, ecce oculos clausos.* Alii Beati diligunt corde oculisque apertis: at Seraphini, qui illos in amore vincunt, amant corde aperto, & oculis clausis. Quem admodum S. Joannes, à quo didicerunt hanc excellentiam: *Discipulum, quem diligebat, qui recubuit supra pectus ejus.*

§. VII.

ENim verò cum in S. Joanne tot cõcurrerint qualitates amanti & amati, nec nõ familiaris & amici, quid mirum quod illum adeò diligeret Princeps Gloriæ Christus? Quid mirum quod illum adeò diligeret Princeps Ecclesiæ Petrus? Ut concludamus eò unde cœpi-mus: Quod vel maximè exaggerari potest in familiari, est quod Curtius de Epimanonda Alexandri Magni familiari & Amico pronunciauit: *Multa ille sine Rege prosperè, Rex sine illo nihil magnæ rei gessit.* q. d. Tantus fuit Epimanondas, ut cum Alexandri Magni familiaris esset, ipse sine Alexandro multa præclare gesserit; Alexander ni-

Curtius.

hil magnum sine illo. Idem omnino de S. Joanne non Alexandri Magni, sed ipsius Christi existente familiari per propriè affirmare licet. S. Joannes multa & magna gessit sine Christo visibiliter præfente: Christus res magnas seu maximas non gessit sine Joanne. S. Joannes sine Christo Romæ superavit tormenta, sine Christo venenum bibit Ephesi; sine Christo Pathmos in exilium est relegatus, sine Christo convertit & reduxit ad Christum Asiam, sine Christo rotum docuit mundum: legemque Charitatis Christi divulgavit. Grandia patravit S. Joannes sine Christo: Multa ille sine rege prosperè. Christus è contrario vix magni quippiam sine Joanne fuit operatus. Primum miraculum Christus in nuptiis patravit, & aderat Joannes: Christus resuscitavit filium Principis Synagogæ in comitatu habens Joannem: Christus Sanctissimum instituit Eucharistiæ Sacramentum, omnium miraculorum maximum, & S. Joannem supra pectus suum habebat reclinatum: Christus in monte Thabor fuit transfiguratus, & S. Joannes Gloriæ isti adfuit: Christus in horro sudavit sanguinem, & S. Joannes in pœna illa & angustia comes adfuit: Denique Christus mundum redemit moriens in

PARS V.

cruce, nec alium assistentem sibi habuit à latere, nisi S. Joannem: *Rex sine illo nihil magnæ rei gessit.*

Porrò si istud uti veni Principi Gloriæ, quid mirum si Ecclesiæ Principi uti veniret idem: S. Petrus misit se in mare ad suo occurrendum Magistro, sed S. Joannes eundem ipsi monstravit: S. Petrus in cœna, quis Proditor esset scire cupiit, sed S. Joannes illud interrogavit: S. Petrus pontificis atrium intrare fuit ausus, sed à S. Joanne fuit introductus: S. Petrus sepulchrum Christi invisere decrevit, sed S. Joannes eum deduxit. Ita ut Principi Gloriæ, & Principi Ecclesiæ uterque uteretur S. Joanne, hac tamen differentia: Princeps Gloriæ non aliter utebatur S. Joanne, quàm velut amico & familiare: Princeps Ecclesiæ non aliter utebatur S. Joanne, quàm velut potente. Et quomodo Princeps noster? Titulo utroque. Celsitudo tua in S. Joanne habet Amicum, & potentem: Amicum pro devotione; potentem pro necessitate. Restituit Deus celsitudini tuæ sua regna, quo tēpore armatâ manu illa defendere opus erat. Fortuna Celsitudini tuæ æmulum suscitavit Principem Balthasarum, Babylonico illi potentiâ non imparem. Sed tres digitos cum penna suffecisse constat ad tremefaciendum Balthasarem. O

Qq

COR-

convenientissimū pro nostro Principe actū! Tribus S. Joannis digitis cum penna, & unā literā quæ dicat, *Contra Balthasarem satis*: amore & intellectu obliquantur omnia. Ista penna de phœnice est amoris; Hæc penna de Aquila est intellectus. Hac penna scribetur tum justæ petitionis sententia: Hac penna confirmabuntur scripturæ, quibus nostra conserventur: Hac pennā

authentica conficiuntur vaticinia, quæ de Celitudinis tuæ corona tam gloriose loquuntur in hoc felici regimine. Denique (hic enim fident omnia) pennā istā Evangelistæ, nomen habentes Gratia, Celitudini tuæ post plurimas vitæ annos subscribentur & confirmabuntur decreta Gloriæ,
Amen.



S E R M O

P R O

Dominica secunda Quadragesimæ.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.

Matth. 17.

§. I.



N ipso quasi terræ promissionis ingressu Moyses in duobus altis sibi ex aduerso opposi-

tis montibus (vocibus quas totus filiorum Israel exercitus per campos longè lateque diffusus miraculose audiebat) proclamari & promulgari iussit, in uno Gari-

zim

zim dicto felicitates & benedictionem legem inviolaram custodituris : In altero Hebat nuncupato maledictionem & impropera transgressoribus superventura. Similes mihi in hoc Quadragesimæ introitu , præcellî duo figurantur montes , non tantum ex adverso sibi oppositi , sed omnino contrarii , quorum historiam Evangelicam in Dominica hac & præteritâ repræsentavit & repræsentat Ecclesia. In monte primo Diabolus Princeps mundi adhuc dictus, Christo omnia ejuldem mundi regna & Gloriam eorum ostendit : *Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.* In Monte secundo Christus verus Rex Dominusque Cœli , quibusdam ex Discipulis suis sibi familiarioribus non regnum totum , neque omnem ipsius cœli gloriam ostendit ; oculi enim humani illius videndæ capaces non erant , sed quandam ipsius partem : *Et transfiguratus est ante eos.* O differentiam inter Montem & Montem ! O differentiam inter Regna & Regnum ! O differentiam inter Gloriam & Gloriam ! Etiam montium horum alter prosperitatum , & alter Maledictionum poterat appellari : & similiter in quolibet eorum præco promulgat felicitates reservari illis qui le-

gem custodiunt Dei , ad quod Christus transfiguratus cœlestis gloriæ nos excitat visione : similiterque maledictiones preparatas iis, qui legem eandem cœcumnendo prævaricantur , ad quod tentator Diabolus falsâ nos Gloriarum mundi apparentia instigat.

Quemadmodum anabo isti montes sunt de Gloria , quamvis tam diversa, cuilibet eorum assumptio respondet. Primò *assumpsit eum Diabolus* : Secundò, *Assumpsit Iesus Petrum , & Iacobum , & Ioannem.* Certum est, sufficere quod assumptio una sit Diaboli , & altera Jesu ; ad hoc ut omnes ament ac desiderent assumptionem Jesu : & abominarentur & ejurarent assumptionem Diaboli. Sed quid , pro dolor ! videmus ? Viam Montis Thabor , quâ tenditur ad cœlestem Gloriam , desertam & quasi nullus incedat per eam : alterius verò non nominati montis plateam , quâ ad mundi pergitur Gloriam , omnibus generis & status hominibus frequentatam , etiam alii qui mundi despectum profitentur. Dixit David omnem hominem fide & ratione præditum in hac lachrymarum valle ex proposito ascensionem disponere : *Ascensiones in corde suo disposuit in valle*

Mat. 17
v. 2.

Psal. 83.
v. 6. 7.
lachrymarum, in loco, quem posuit.
Si igitur omnes ad fruendum æternum veris Beatitudinis felicitatibus ascendere & assumi desideramus & speramus, quare derelictâ montis viâ, quâ Christus ad cœlestem nos gloriam ducit, tam sollicitè & certatim, non dico jam plateam, sed præcipitia sectamur, per quæ Diabolus sub falso Gloriarum mundi nomine nos ad maleditiones deducit Inferni?

Adjuvante me nunc gratiâ divinâ cæcitatem hanc hodie tollere cuperem, quæ tot animas decipit & perdidit, quæ eandem in hac vita non agnitam, nunc sine remedio deplorant. Hunc in finem montem monti opponam, montem tentationis monti transfigurationis, & glorias mundi, Gloriæ cælestis: non bona malis, sed bona comparando bonis. Hoc medio clarius manifestiusque quàm ullo alio, falsorum verorumque bonorum differentia patebit: & cum jam intellectus noster & voluntas ad eò decipiantur & errent: saltem oculi nobis veritatem ostendent. Lux divinæ Gratiæ illos nobis dignetur aperire, & illuminare per intercessionem ejus, quæ gratia plena est. *Ave Maria.*

§. II.

Opposito monte tentationis cum gloriis mundi, monti

transfigurationis cum Gloria cælesti, quis bonorum nobis demonstrabit differentiam, quæ promissa sunt in monte primo, & promittuntur in secundo, nisi qui se invenit in utroque, tentatus in uno, & transfiguratus in altero? Idem dubium exagitavit multos, quos David interrogasse refert: *Mul-ti dicunt: Quis ostendit nobis bona?* *Psal. 4.*
v. 6.
Idemque Propheta respondet, lumen vultus Christi Domini illa nobis ostenderet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* *Ibid. 7.*
Nunquam vultus Christi Domini nostri clarius refulsit, quàm in hac transfigurationis suæ die, in quo solis instar vultus ejus resplenduit: *Resplenduit facies ejus sicut Sol.* Et in *Matt. xv*
v. 2.
signum quod ibi visa sint bona, omnium nomine inquit S. Petrus: *Bonum est nos hic esse.* Cum igitur vultus Christi lumen nobis ostensurum sit bona, idem lumen solis ad instar splendet, in lumine solis tria invenio, quæ non clarè minus quàm ipsa lux solis magnam nobis differentiam demonstrare possint, quæ inter bona cælestis Gloriæ, & illa sic dicta Gloriarum mundi bona intercedit. Lux Solis pura est & sine macula; tantùm deser-vit uni quantum omnibus: totaque simul & indivisim percipitur. In his igitur tribus, lucis *Ibid. 4.*
sola-

solari proprietatibus, tres nobis Vultus Christi ostendit differentias inter bona cœlestia & mundi, ex quibus etiam tanquam tribus punctis discursus noster constabit. Primò ostendimus bona mundi malis esse permixta; & sola cœlestia mali mixtura carere: In Secundo, de bonis mundi, quemlibet privatim solis frui suis, quod multum est; & de bonis cœlestibus quemlibet frui suis & præterea omnibus communiter: In tertio, si cui contingat bonis frui omnibus, illud successivè tantum & per partes fieri: & de bonis cœlestibus contrarium, eis frui omnibus collectivè, semper, & simul. Proximi nos oculis omnia ista conspiciunt, & quamvis quorundam punctorum horum materia sensus transcendat, transfigurationis nihilominus lux, illam nobis Solis instar reddet illustrem.

§. III.

PRima propositionis nostræ differentia omnia mundi bona malis permixta, cœlestia verò omni carere mixtura asserit; & ita protinus se res habet. Quando Deus universi totius construxit machinam, in tres eam regiones divisit: Unam super terram, quæ est mundus in quo vivimus; alteram infra

terram, quæ est infernus; Tertiam supra terram, quæ est cœlum: & inter omnes has tres regiones bona & mala est partitus, & magnam cum iustitia & differentia. In inferno sunt tantum mala sine bonis: in cœlo tantum sunt bona sine malis: in terra bona malis sunt permixta. Qua de causa? in inferno sunt tantum mala, quia tantum mali ibi degunt: in cœlo sunt bona tantum, quia non nisi boni ibi agunt: in terra verò ubi bonis permixti vivunt, bona quoque malis permisceri justum erat.

Prima veritatem hanc magistræ docuit natura in omnibus quæ creavit pro omnibus. In maxima sensuum oblectatione, quæ est rosa, spinis eam sepiens, teste S. Ambrosio clarum & verum deliciosæ hujus & dolorosæ mixturæ reliquit speculum. Verba S. Ambrosii hæc sunt: *Spina sepsit gratiam floris tanquam humana speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum spinis sapè compungat.* Eandem considerationem secutus ampliavit Boëtius, qui exemplo pulchritudinis illud adjungens dulcedinis, cecinit, seu lamentatus est eleganter: *Armat spina rosam, mella regunt apes.* Et quemadmodum in hac vita non est rosa sine spina, nec mel sine ape; sic neque unio est sine luto, ne-

Ambr. lib. 3. Ex. am. ca. 17.

Boët.

que aurum sine scoria, neque cœlum sine nube, neque Sol sine umbra, neque lumen sine fumo, nec thetriacæ sine veneno, nec mons sine valle, nec quantitas sine pondere, neque plenum sine vacuo, nec triticum sine palea, nec caro sine ossè, nec piscis sine spina, neque fructus arborum quantumcunque lapidus, sine acido intus, seu cortice foris. In ipso tempore quo vita nostra constat, non est æstas sine hyeme, nec dies sine nocte. Porrò in hac similitudine tanta est differentia, ut ad habendam ætatem & hyemem totus requiratur annus; & ad diem habendam & noctem viginti quatuor requirantur horæ: sed ad habendum malum & bonum, unicum sufficiat momentum.

Gentiles sine fide solâ experientiâ docti, inquebant, Deum duo habere stagna, unum mellis, alterum fellis, nec quicquam transmittere ad homines, quod non utrumque transferret, & hanc ob causam omnibus quæ in terram descendunt, inesse dulcedinem mellis permixtam amaritudine fellis. Certius nihil lecto Davide pronuciare potuissent. Propheta Regius inquit, Deum in manibus habere calicem, è quo propinet hominibus, vi-

no puro & mixto plenum: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Norat & interrogat S. Augustinus hîc, *Quomodo meri si mixto?* Si vinum erat purum, quomodo mixtum? & si erat mixtum, quomodo purum? quia non est bonum naturale, & mundi hujus, quamvis de manu Domini Dei, quantumcunque purum sit & descæcatum, quod non in se seu secum vehat aliquam mali mixturam. Vinum est illud pectorale simplex, à natura mediatum ad cor hominis lætificandum: sed nihil est tam lætum aut lætificativum, sic ab omni tristitia alienum & vacuum quod cor non affligat. Si ridetur, risus dolore miscebitur: si quid delectat, gaudium in lætum converteatur. Salomon istud nobis in Proverbiis suis testatum reliquit: de præsentî tanquam expertus, & de futuro velut Vates: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii lætus occupat.*

Sed quia hominum sapientissimum, Regumque omnium divitiis deliciisque affluentissimum in medium produximus, ipse verum nobis declarabit iudicium, quod & ipse de rebus mundi formavit, nosque formare fas est. Penes me statui, inquit Salomon, affluere deliciis, cunctisque vitæ hu-

Ps. 74.
v. 9.
S. Aug.
ibid.

Prov. 14.
v. 13.

Ecles. 2. jus frui bonis: *Dixi ego in corde meo,* non majestas, magnificentia, ordo
vadam & affluam delicias, & fruam & pompa ministrantium ac satellitum
bonis. Præsupposito velle, scire, Regum Reginarum Sabai in extasin rapuerunt: scutellæ, scyphi, aliaque
 & posse quicquid vellet facere (nemo quippe tantum potest, nec mensalia vasa erant aurea: Musica
 plus voluit, neque Salomone melius scivit) ecce quid fecerit! Regum
 gium in Jerusalem construxit Palatium, quod post ædificatum ab
 ipso templum secundum fuit mundum mirabile: in monte Libano fundamenta jecit pro variis diverticulis,
 voluptuariisque ædificiis, in quibus præter hoc, quod quicquid rarum, curiosumque mundus haberet,
 collectum videretur, hortorum amenitas, fontium limpeditas, sylvarum densitas, ferarum volatili-
 umque venatio, & ad ipsam utque umbram in æstate, & Solem in hyeme artificiosè naturam excedebant.
 Thronus eburneus in quo causas audiebat, currusque ferculum dictus, quo vehebatur, tanta arte & pretio erant elaborati & exornati,
 ut singulariter eos Textus facer describat: Vestitus, ornatusque Salomonis splendor est Christus ipse
 Gloriam vocavit: auri argentique coacervati thesauri erant immensi: greges & armenta pecorum,
 tum temporis Regum divitiarum numerum excedebat: equi in quadraginta præsepiorum millia erant
 distributi: mensæ sumptuositas, cui Provinciarum diversarum deserviebant, nec
 Cum me convertissem ad unumver- *Ibid. v.*
 sa opera qua fecerunt manus *II.*
 mea,

mea, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus afflictionem animi. q. d. Convertens oculos ad omnia quæ feceram, inquit, & in quibus frustra laboraveram & sudaveram (quæ feceram, inquit, & in quibus laboraveram & sudaveram, & non quibus fructus fueram, omnia enim quibus fructus fuerat, fuerunt frustra) quod in omnibus vidi & inveni fuit, omnia esse vana & afflictiva spiritus, *Vanitatem & afflictionem animi*. Si igitur omnia mundi bona sunt vanitas, quo pacto esse possunt vera bona: porro si illis nomen bonorum tribuamus; & omnia affligunt animum, quo pacto bona esse possunt sine admixtione malorum?

Enimverò ne quis à tempore Salomonis in præsens usque mutasse putet & meliorasse naturam: aliud magnum & quasi temporis nostri audiamus oraculum. Quando Carolus Quintus heroicum illum exercuit actum, in quo paucorum habuit exempla, rariores habiturus imitatores, imperio renunciando: renunciationis hujus rationes & motiva allegans, post tot tamque insignes ab hostibus reportatas victorias, Bruxellis coram toto Senatu non sine lachrymis confessus est, potissimum seu ex potissimis motivis fuisse unum;

quia toto vitæ meæ tempore, inquit, à quo capiti imposui coronam, ne quadrantem quidem horæ veri gaudii habui, sed semper curis, afflictionibus, doloribusque permixtum: *Se toto Regni tempore, nec ad unum quidem horæ quadrantem, puram habuisse, meramque letitiam, sed multis illam curis, angoribus, doloribusque permixtam.* Porro si tristem hanc mixturam infelicitatibus maximis mundi experti sunt inter Reges Salomon, & inter Imperatores Carolus: Quid de particularibus suis dicere & affirmare poterunt, etiam illi quibus vel maximè fortuna arri-

Carol. P.
Imperat.

§. IV.

INGENTES felicitates somniavit Joseph; & in tantum somnia ipsius verificata fuerunt, ut postquam venundatus, & mancipium factus fuerat, mox Proregem se viderit Ægypti, & tanta quidem auctoritatis & potestatis amplitudine, ut Rex non nisi corona & nomine ipsum præcederet. Regebat omnia, ordinabat omnia, parebant Joseph omnia, felicitate nunquam visâ & exspectatâ. Sed ubi? in Ægypto. Nullus est, nec esse potest alio loco cum sua anima. Corpus, potestas, dignitas erant

in

in Ægypto : Anima, amor & desiderium in Chanaan peregrinabantur? proinde tota illa in maximorum fortunæ bonorum apparentia supplicium erat & exilium. In Ægypto vivus, in patria mortuus; in Ægypto applausibus beatus, in patria deploratus: in Ægypto escam subministrans mundo, in patria devoratus à feris: in Ægypto omnia, in patria nihil. Quamvis Joseph non velut mancipium, sed velut Prorex fuisset abductus in Ægyptum, nihilominus venditus abibat: multo magis enim fortunatum ipsi reputari poterat in domo versari Jacob dilectissimum filiū patris, quā in aula palatioque Pharaonis primum agere ministrum, Regique familiarissimum. Apertis mundus oculis non sit contentus homines contemplari de foris, sed eos consideret penetratque intrinsecus, & inveniet, quod in eo bonis malisque ad invicem æquā ponderatis staterā, experiri possit maximis bonis collata mala præponderare.

Joseph pater Jacob satis etiam felix fuit. Fortunatissimum in tota vita sua reputavit, exanthlatis tot annorum laboribus & servitiis in præmium tandem Rachelis societate & amplexibus frui. Si quod valdè desideratur, multum laudatur; si magni æstimatur pro

quo multum laboratur; nullum gaudium, lætitiāque nullam percipiet unquam, qui tantum æquali prosequeretur amore. Sed ecce sub quam gravi vitura mundus vitæ hujus gaudia tribuit. Felicitas fuit una, pensiones & usuræ fuere tres, & singulæ satis graves. Scilicet Rachelis ejusdem sterilitas, Labani deceptiones, & zelotypia Liæ. Quantumcunque amentur, quantumcunque desiderentur sic dictæ felicitates, in fine sunt Rachelis. Non est Rachel, quæ suum non habeat Labanum, & suam Liam. Si Rachel placet, molestiam Labanus infert. si Rachel dat gaudium, pecnam molestiamque Lia addit. Quamto magis ad molestiam pecnamque inferendam Racheli, sufficit esse Rachelem. Legite Scripturam sacram, & deprehendetis formam illam & pulchritudinem tam malè fuisse dispositam, ut totus necessarius fuerit amor Jacobi ad mitiganda ejus fastidia, & importuna desideria, & supportanda phantasmata. Majore sine labore illi Rachel constitit postea, quam constitit antea. Sic in hac vita gaudiis acclavata sunt fastidia: & bona malis permixta, si Rachel bonam habet faciem, malam habet conditionem: si Liabonam habet conditionem; ingrata bonam habet faciem; nec datur bonum ita suis nu-

meris absolutum , quod oculis simul & cordi satis facere possit.

Distendite visum , seu considerationem ad omnia quæ mundi sunt extendite; & videbitis ne vel unam quidem instantiam , vel unum exemplum vos veritati huic contrarium invenire. Magni æstimant homines formæ pulchritudinem ; magni faciunt generositatem animi , nec minoris ingenii felicitatem , & judicii maturitatem. Sed enim formosi interrogent Absolonem ; generosi Davidem ; ingenio , judicioque pollentes Achitrophelem , primus quomodo suam fuerit formositatem ; secundus quid suæ debeat generositati ; tertius , quid suo tribuendum habeat ingenio & judicio. Primus attestante S. Scriptura ea fuit corporis forma , ut à planta pedis usque ad verticem capitis pulchriorem natura non pinxerit , domicellæ ponderibus auri sibi capillos ejus comparabant , de quibus tamen mors laqueum ipsi texuit. quo ramo quercus appensus vitam morte infami fraivit , tribus lanceis in pectore confixus. Et hanc pensionem Absalon , formositati suæ persolvit. Tanta David generositate præfulsit , ut toto exercitu Israhelico ad conspectum Goliath Gigantis contremiscente , ipse solus iner-

mis duellum ingressus ad pedes suos ipsum prostraverit , ense proprio caput ipsi amputando. Sed ex hoc odium tale & invdiam apud Saul Regem incurrit , ut non semel , sed sæpius , lancea , quam manu tenebat pro sceptro , ipsum conatus fuerit configere cum pariete. Ita ut ob occisum Gigantem , David non secus , ac si occidisset Hebræum , se abscondere , & à victoria sua , tanquam à delicto commisso fugere necesse haberet : sic David suam luit generositatem ! tantæ erat sapientiæ Achitophel , tamque prudentia ipsius erant consilia , ut sacro attestante Textu , tanquam oracula divina exciperentur. Partes amplexus rebellantis contra patrem Absolonis , convenientissima illi consilia suggerebat : quoniam verò juveni fatali magis placuit amplecti ea quæ ducebant ad præcipitium , tanta fuit desperatione actus , ut suspensio interierit. Et hoc pensum Achitophel , ingenio , judicio , consilioque suo persolvit. Agite igitur , & consilio & judicio credite , generositati confidite , & formæ pulchritudine gloriamini ; tam nocivis bona mixta sunt malis , ut formæ pulchritudo sit laqueus ; generosi-

tas delictum , & prudentia sit stultitia.

Sed quid rei hujus exempla in veteri quærimus Testamento , cum in novo , Evangelioque nostro omnium maximum habemus ? Christus in monte Thabor est transfiguratus , adfuerunt ibidem Moyses & Elias , & quando de visa in monte Gloria Christo congratulari debuisse videntur , de morte ipsi locuti sunt , quam in monte Calvario appetiturus erat :

Luc. 9.
v. 31.

Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem. Nam colloquium occasione huic dissonantius dari potest? Christi facie Solis instar radiante, illi loquuntur de Eclipsi? vestimentis ipsius nivis instar albicantibus, ipsi de lugubribus & pullis loquuntur? & in letissimo totius vitæ suæ die, Christo de morte loquuntur? ita habet. Quia non est lætitia in hoc mundo adeo exempta, quæ tributum non solvat tristitiæ. Ad montem usque Thabor, ad personam usque ipsius Christi, ad miraculum usque transfigurationis, quantumcunque suprema & sublimia sint bona, mox ut vel tetigerint terram, non potest esse gaudium sine dolore: nec Gloria sine pœna. In tantum ut si motivum defuerit in præsentia quod est, erit in memoria futuri quod erit: modò transfiguratus, sed po-

stea crucifixus. Porrò cum transfiguratio, sicut ipse Christus mox dixit, similis sit resurrectioni, & non morti: ecce quo pacto duo alterius mundi homines, mortem misceant cum transfiguratione, & Calvarium montem cum Thabor monte confundant.

Concludamus igitur ex mundi hujus veris experimentis, tam parvi facere sic dicta esse deum bona, ob mixturam quam habent cum malis; ac si verè pura mala essent, sine ullo bonorum condimento & temperie. Hanc doctrinam è mundo discedens Redemptor ejus, suo nobis exemplo, Calvario monti insculptam reliquit. Bina vice Christum felle potarunt; semel ante Crucifixionem, & semel jam crucifixum. Ante crucifixionem, quando vinum felle mixtum ei propinarunt: *Dederunt ei vinum cum felle mixtum.* Postquam crucifixus, quando in cruce dicenti sitio, felle cum aceto ministrarunt: *Dederunt in escam meam felle, & in siti mea potaverunt me aceto.* Sed quomodo Christus se in utroque gessit casu: in utroque gustavit utrumque, & in utroque biberet recusavit. Sic de primo & secundo potu Evangelistæ iisdem referunt verbis: *Cum gustasset noluit bibere.* In primo potu certum est felle amaritudo, nemini vini dulce-

Matth.
27. v. 34.

Pf. 68. v.
22.

Matth.
27. v. 34.

dine fuisse temperatam : & in secundo, fel temperatum non fuisse, sed aceti acedine exasperatum. Si igitur fel tam diversimodè erat temperatum in potu utroque, vae Christus æqualiter & indiscriminatim recusavit utrumque? quia in primo potu vinum felle & dulce amaro permixtum, erat bonum mixtum malo: in secundo, fel additum aceto, erat malum malo cumulatam sine omni boni mixtura: porro Christus utroque gustato, illud æqualiter respuens, suos nos docere voluit factò & exemplo, in bonorum malorumque quibus mundus constat confusionem, sic despiciendum abhorrendumque bonum malo mixtum, ac si bonum & malum, sine omni boni mixtura mala existerent. In potu utroque aderat fel, in uno simul cum vino, in altero simul cum aceto, quod est vinum corruptum: simile inque corruptelam in bonis causat societas & mixtura malorum; ut bonum, malo mixtum protinus convertatur in malum, totamque boni substantiam amittat. Condignum igitur de sic vocatis mund bonis formemus iudicium, ac stationemque quam merentur: indignum reputantes amore, qualescunque id demum sit, & abominantes velut

purum putrumque malum: & ob mali mixturam magis abominandum, velut fallax magis acceptorium.

§. V.

Sola cœlestis illius patriæ, sola terræ illius promissionis Gloriæ, sola illa Beatitudinis Thabor bona, vocari possunt bona, absque mali omnino mixtura. Cœlum est Salomonici instar templi, in quo nunquam auditus fuit mallei ictus; ibi enim, evangelico attestante Propheta, nihil est quod dolorem, pœnamve inferat, aut vel gemitum ex ore extorqueat: ejusdemque cœli incolæ sunt velut Stellæ firmamenti, quo terræ non pertingunt vaporum fumi, quibus obtenebrentur: omnes in summa patriæ pace summo fruentes bono; quod non foret summum, nisi omne quantumcunque etiam minimum malum ab eo esset exclusum. Proinde sola naturalia patriæ ejusdem bona sunt pura, vera, perfecta que bona, omni corruptela, contrarietate, aut mixtura vacua.

Inter omnes Paradisi terrestres plantas, insigniores duæ fuerunt arbores, quarum nomen nobis tantum constat, videlicet arbor scientiæ, & arbor vitæ. Veruntamen arbor

bor illa scientiæ duo continebat contraria, arbor autem vitæ minime: arbor quippe illa scientiæ erat simul boni & mali, quod bono repugnat; arbor verò vitæ tantummodo erat vitæ; & non vitæ, simul & mortis, quæ vitæ adversatur: Si igitur ambæ erant arbores paradisi, quare tanta differentia inter ipsas dabatur? Quia nec Paradisus absolute erat Paradisus, sed Paradisus terrestris: ideoque plantarum ipsius altera terrestres, altera verò cælestes delicias exprimebat. Illa deliciarum terrestrium imago, erat scientiæ boni & mali: nam in terra malum semper permixtum est bono: & illa deliciarum cælestium adumbratio, erat vitæ sine morte; nam in Cælo omne bonum purum est defœcatum, sine omni mali societate & mixtura. Quod ita Cælestis Gloria: Jerusalem describens S. Joannes asseverat, non aliam differentiam hujus adducens rationem, quam quod aliæ sint secundæ, scilicet cælestes; aliæ verò primæ, scilicet quæ sunt, aut fuerunt hujus mundi: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

Ad probandum, quod m' hujus bona semper et malis sunt permixta, testem naturam adduxi: ad probandum verò, quod bona Cæ-

lestia pura sint & inpermixta, testem artem producimus. Ars purificando auro, tanquam metallo pretiosissimo; efficacissimum potentissimumque; admovet elementum, id est ignem: *aurum per ignem* 1. Pet. 1. probatur. Ignis ibi scoriam decoquit & expurgat; ignis ibi auri valorem probat & explorat præstantiam: hocque medio aurum à nobis reputatur purissimum. Verum ut error noster appareat, aurum istud in cælo collocemus. S. Joannes cælestis civitatis plateas, ex auro mundo stratas asserit: *Platea Civitatis aurum mundum*, Port. Apoc. 21. rō si interrogaverimus in quonam mundities illa puritasque auri consistat cælestis: postquæ dixit, aurum mundum, Ibid. adjungit, *tanquam vitrum perlucidum*, scilicet, quod est purum & mundum, quia diaphanum, & transparentis instar vitri. Si igitur aurum tunc censetur purum & mundum, quando eousque pertingit ipsius excellentia, ut diaphanum sit & transparentis instar vitri; optimè sequitur, aurum nostrum grossum, densum, opacum, & nec similitudinem quidem habens cum diaphano & transparente, quantumcunque suo nobis ablandiatur fulgore, nosque decipiamur ab illo, nulla ratione aurum mundum & purum posse reputari. Ita ut aurum terrestre, quod capitibus

suis Reges imponunt, comparatum cum auro cœlesti, quod Beati calcant pedibus, *platea ejus*, universum omninò terræ aurum fordidus scateat & scoria, quamvis illas non videamus, solumque illud cœli purum sit & mundum: *aurum mundum*, super omnia si ab Evangelista eodem discere cupierimus, quibusnam ingredientibus aurum istud cœleste expugnetur? Respondet, solo in ipsum cœlum ingressu: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Et quemadmodum illa est natura cœli, & hæc natura est terræ; eadem differentia inter aurum & aurum nos docet, quod sicut in terra dari nequit bonum, quod mali careat mixtura, sic omnia cœli bona esse impermixta & pura.

Si velitis à me scire (inquit prædicans sanctus Augustinus) quid sit in cœlo, dicere vobis nequeo quid sit, nisi simul dicam, quid non sit. *Ibi erit quicquid vobis, & non erit quicquid vobis*. Ergo cœlum nostræ videtur voluntati commensuratum? Nulatenus, Voluntas nostra cœlo proportionaliter est facta. Et quare? Quia voluntatis nostræ objectum, quatenus vult, est bonum: Eiusdemque objectum, quatenus non vult, est malum: Et

quicquid est in cœlo est bonum, & quicquid non est in cœlo, est solum malum. Hinc est in cœlo quicquid voluerimus, & solum deest quicquid noluerimus. Si eadem separatio inveniretur in bonis mundi, etiam in terra homo posset velle, & gaudere bono sine mali permutatione: sed quantumcunque velit, non potest; quia malum non solum adhæret, sed individue & inseparabiliter bono inest. Porro ut subtilitatem tandem cognoscamus quâ eadem nobis bona blandiantur & oblectent, falsis que gaudii apparentiis individuum sibi malum obtegan, ad examen cœleste sic dicta bona revocemus, ubi eorum dolus & fallacia detegatur.

Idem Evangelista S. Joannes (quem denuò auscultare oportet, supposito quod S. Paulus etiam cœlestium contemplator & cognitor nihil nobis revelare voluerit) non minore animadversione dignus in eo quod dicit, quam in verbis quibus dicit, affirmat, quod cunctis qui ex hoc mundo cœlum intrant, Deus omnem lachrymam ab oculis abstergat: *Et absterget Deus Apoc. 7. omnem lachrymam ab oculis eorum. v. 17.* Quid verò significat omnis lachryma? significat omne lachrymarum genus (pro ut acutè & literaliter S. Am-

S. Ambrosius commentatur.) In hoc enim mundo non tantum lachrymæ dantur luctus & doloris; sed etiam gaudii & lætitiæ; & utraque Deus ab oculis intrantium in cælum abstergit. Magni Ecclesiæ Doctoris verba sunt ista: *Absterget Deus omnem lachrymam, nam tristitia sepe lachrymas educit, sepe & lætitia, sepe & gaudium.* Quod lachrymæ doloris & tristitiæ locum non habeant in cœlo, bene est: sed lachrymæ gaudii & lætitiæ; & quidem gaudii lætitiæque ingentis (nam ingens tantum gaudium & lætitia lachrymas ex oculis educit) quare non admitterentur in cælum? Quia omnes lachrymæ istæ fuerunt de hoc mundo. Et lachrymæ hujus mundi, quamvis lætitiæ, & quidem magnæ essent lætitiæ, nunquam esse potuerunt lætitiæ puræ: & licet gaudii, & magni quidem fuissent gaudii, nunquam esse potuerunt gaudii puri; Quia in mundo nec gaudium est sine mixtura doloris, neque lætitia sine tristitiæ admixtione: similesque mixturæ locum non habent in cœlo, ubi lætitiæ & gaudia, uti & omnia alia bona, pura sunt omni mali admixtione exclusa. Lætitia in cœlo est sine tristitia, gaudium sine dolore, quies sine labore, securitas sine timore, tranquillitas

sine inquietudine, pax sine perturbatione, honor sine infamia, divitiæ sine solitudine, satietas sine fastidio, excellentia sine invidia, abundantia sine defectu, societas sine æmulatione, amicitia sine cautela, salus sine infirmitate, vita sine mortis timore; omnia denique pura bona, sine mali admixtione, ideoque bona vera. Beati cœlestes cœlo in hunc mundum respicite, novam accidentalem percipientes gloriam bonorum, quibus gaudetis, non dico respectu malorum, sed bonorum, quæ nos patimur.

Ast torrentem hunc bonorum sine malis nobis conformet compendium quoddam eorundem, similitumque attributorum, cum exclusione cujuscunque contrarii sui, quæ sanctus Bonaventura ad numerum duodecimum, sicut alios beatitudinis fructus reducit. *Primus est sanitas sine infirmitate: Secundus, juvenus sine senectute: Tertius, satietas sine fastidio: Quartus, libertas sine servitute: Quintus, pulchritudo sine deformitate: Sextus, impassibilitas absque dolore: Septimus, abundantia sine indigentia: Octavus, pax sine perturbatione: nonus, securitas absque timore:*

S. Ambrosius.

S. Bonaventura

timore: decimus, cognitio absque ignorantia: undecimus, gloria sine ignominia: duodecimus, gaudium sine tristitia. Hucusque Doctor Seraphicus, qui in hisce duodecim prerogativis à malis, ineffabilem nobis Gloriarum zodiacum descripsit, quem omnes Beati, non mensibus anni duodecim, neque duodecim horis diei, sed semper, indefinenter, & immobiler sine fine æternitatis percurrunt. Felices sanè illi, qui tanto bono gaudent & fruuntur: & nos felices si ad tantum bonum non perendum nos disposuerimus.

§. VI.

SECUNDA propositionis nostræ differentia est, quod de bonis quando multum, quilibet fruitur suis: de bonis verò cœlestibus, quilibet fruitur suis, & simul omnium dixi, quando multum: frequenter enim non sufficit esse nostra hujus mundi bona, quo minus mundus iis nobis frui non permittat. Vineæ Naboth erat sua, & non tantum sua omni jure humano, sed etiam partitione & donatione divina, & quantumcunque ipse eam sibi vindicare, conservare & frui curaret, solum nihilominus Regis Achabi, non quidem ex eo nemus, aut Hortum florum, sed Hortum tantum

olcrum faciendi desiderium sufficit, ut ad complacendum & adulandum Regi, & vita simul cum vinea exueretur. Ad Miphiboseth hæreditario jure spectabant, & iua erant, quæ pater suus Jonathas possederat, in quibus privatus vivebat, quando jus ad coronam prætereundere poterat; & sufficit infidelis tantum servi falsum testimonium, ut quasi criminis læsæ Majestatis rei eadem hæreditas confiscaretur, & cognita licet veritate, in solidum non restitueretur. Patrisfamilias Evangelici propria erant bona & prædia, Villico commissæ, ut à cultoribus redditus annuos exigeret, nec sufficit constare ex literis quantum quisque deberet; quo minus notabilem eorundem partem villicus subduceret tali astu, ut nec Dominus illum convenire posset in judicio, & pro eo quod accusare & condemnare debuisset, ipsum laudaret. Enim verò quid mirum, quod concupiscentia infidelitasque aliena frui nos non sinat hujus mundi bonis, quantumcunque nostris; si nos ipsi nullo alio concurrente inimico aut fure, sola nostra voluntate nos spoliare sufficimus? Deus Adamum in paradiso collocavit hac conditione, ut excoleret eum atque custodiret: *Vt operaretur & custodiret illud*, hoc secundum verò videtur saltem locum

Gen. 2.
v. 15.

non

non habuisse in hoc statu. Non erat alius homo in mundo, pro & à quo custodiret paradysum. Ab animalibus custodire non erat necessarium, omnia quippe instinctu naturæ, & subjectione integra obediabant ei: pro quo, & à quo igitur Adam paradysum custodiret? pro & à quo illum non custodivit? Custodire illum debebat pro & à seipso; & quoniam Adam illum non custodivit ab Adamo, cum bona quæ possidebat, essent omnia mundi bona, ille ipse, & solus ipse spoliavit se omnibus, nullo alio impediante, quo minus illis fruatur.

Differentia hujus inter bona cælestia, & mundana rationem reddens S. Joannes Chryostomus, non aliam esse verbo insinuat, quam quod in mundo urget meum & tuum; in cælo verò minimè *Vbi non est meum & tuum, frigidum illud verbum.* Verum ex hoc quod in mundo datur meum & tuum, consequi videretur, quemlibet ibidem pacificè & sine contradictione suo fruiturum esse: Ego meo, quia meum est; Vos vestro, quia vestrum est. Sed aliter se res habet, ut ego fruatur meis, à vobis me custodire opus habeo: & vos ut fruamini vestris, à me ut vos custodiat necesse est. Proinde S. Chryostomus illud meum & tuum elegantia verè aureâ, Verbum frigi-

dum vocat: *Meum & tuum, frigidum illud verbum.* Qualis verò illius mei & tui est frigiditas? talis profectò, ut non sit amor in mundo tam ardens per naturam, tam intensus ex obligatione, qui non statim infrigidetur. Ubi datur meum & tuum, exultat amor amici erga amicum, fratris erga fratrem, filii erga patrem, amor patris erga filium; expirat amor proximi erga proximum quantumcunque Religiosum, amor denique Dei erga ipsum Deum. Antequam esset meum & tuum, vigeat amor, ego enim amabam vos, & vice versa: sed mox ut meum & tuum se medium interposuit, reciprocus ille amor cessavit; quia vos jam non amatis me, sed meum; neque ego amo vos, sed vestrum. Seneca acutè observat & expendit, quare in principio mundi nulla fuerint bella? Quia homines utebantur terra, velut Cælo. Sol, Luna, Stellæ, eorumque splendoris & luminis usus communis est omnibus, similique modo terra erat in principio: terrâ verò diversos inter Dominos partitâ, exorta mox sunt bella, & prælia, pax expiravit, erat enim meum & tuum.

Quid hinc dicam de mediis & re- mediis, de industriis, artibus & instrumentis, quæ ad invenerunt homines, ut quilibet sua securè, & quietè possidere iisque frui possit;

sed frustra? ad custodiendum domum adinvenunt portas & seras: sed per foramen idem cui clavis inseritur, & claviculæ introitus relinquunt, addiscernendos cuiusque terminos, lapides invenere limitaneos: ad custodiendum vineam seu pomarium, invenere sepes, palos, macerias, seu ex calce lapidibusque compositos muros, sed omnia ista perumpuntur, dissolvuntur, & corrumpuntur. Ad custodiendas civitates invenerunt mœnia, fossas, turres, propugnacula, arees, præsidia, tormenta bellica, & pulverem nitratum; sed non datur tam munita civitas, quæ oppugnando, & invadendo, seu factis sub terra cuniculis, murisque in fundamento perfossis non expugnetur & subigatur. Ad conservanda Regna & Imperia, invenerunt exercitus pro terra, & pro mari classes, tot millia peditum, tot millia equitum, cum tanto militari ordine & disciplina, cum tanta armorum varietate, tot artificiiis machinisque bellicis: sed nullum horum adeo sonantium & formidabilium machinamentorum sufficit, ut Imperium suum tuerentur & custodirēt à Persis suum Assyrii, à Grecis suum Perte, à Romanis suum Græci, nec Romani denique suum ab eis à quibus acceperant, à victis denuo victi, & subacti ab illis quibus fuerant

dominati. Plura adinvenunt homines eundem in finem, quilibet ad suum conservandum. Invenunt & sanxerunt leges, erexerunt tribunalia, constituerunt Magistratus, virgas contulere dictas iustitiæ Judicibus, cum tanta majorum minorumque ministrorum multitudine, & effectus contrarius fuit subsecutus; ut pro eo quod fures urbibus proscriptos relegent in exiliū, eos intra portas majore numero collocarint: & illi qui furabantur cum timore & minutatim, nunc fuerunt sub officio & impune. Solicitator cum sua diligentia, Scriba cum sua pennâ, testis cum juramento, Advocatus cum allegationibus, Judex cum sententia, & ad apparitorem usque & licentorem cum suis laqueis & funiculis ordinati fuerunt, ut quemlibet conservarent in & cum suo; & omnes diversis modis nunc vivunt de vestro.

§. VII.

HÆc est una ex rationibus quas Christus allegat ad persuadendum nobis, ut bona cœlestia, & in cœlo thesaurizemus: & non bona mundi & in mundo, quia in terra & in mundo sunt fures, in cœlo verò

Math.
6. v. 19.

in terra, ubi arugo, & sine a demolit.

20.

Matth.
6. v. 19.
20.

tur, & ubi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis in celo, ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. In quibus valde notandum, quod Christus non solum nobis consulit, & præcipit ut non solum bona nostra custodiamus à furibus concupiscentiæ, sed etiam à furibus naturæ: *Ubi arugo & tinea non demolitur.* Bona hujus mundi sicut sunt corruptibilia, quamvis non sit fur qui ea furetur, illa ipsa se nobis subducunt; Vestimenta enim, lineæ, hisque similia comeduntur à tinea, quæ ex ipsis nascitur: metalla quoque quamvis aurum sit & argentum, arugine eroduntur, quæ ipsis metallis innascitur. Cælestia verò bona, quæ incorruptibilia sunt, neque corruptivum quid ex eis generari potest, quo corrumpuntur, neque temporis omnia consumentis & detinentis limæ dentibus subsunt; quia durities eorum durationi respondet, & sunt æterna. O quantum plus divinus Magister hinc nos docuit verbis, quam sonant! Et si Piratæ non infestarent mare, neque prædones itinera & vias, neque raptores & fures publici aut clancularii non essent in civitatibus; quis tam potens ut tueri & frui possit possessis in hoc

mundo, contra tam inevitabilia furta & spolia naturæ? Quid omnia sunt elementa, nisi universales fures & prædones omnium quæ lucratur & operatur genus humanum? Ignis nos spoliat suis incendiis; aqua inundationibus; aër tempestatibus; & ipsa terra innumerabilibus plagarum exercitibus: quæ seminata velut dentibus Cadmi nascuntur & exiliunt ad spoliandos nos denudò illis, quæ nobis terra dedit. Joël Prophetam audiamus: *Residuum eruca comedit locusta: residuum locustæ comedit bruchus: residuum bruchi comedit rubigo.* Quatuor plagæ, inquit Joël, supervenerunt terræ successivè, alia super aliam. Et quid fecerunt? funditus eam devastarunt, ita ut nulli eorum parcerent, quæ vel exculta profert, vel suapte natura sine cultura producit. Quod eruca reliquit, comedit locusta; quod reliquit locusta, comedit bruchus; quod bruchus reliquit, comedit rubigo. Ita ut ad spoliandos homines maximis bonis maximèque vitæ necessariis, qualia sunt quibus sustentatur, ad perditionem, & infelicitatem eorum necesse non sit concurrere hostilitates prædationesque Sabæorum & Chaldæorum, qui greges & ar-

Joel. 1. v. 4.

menta Job abegerunt, possessionemque ipsius devastarunt : sed naturales tantum ipsius corruptæ terræ plagæ sufficient, ut momentispatio paupertate Jobo sit similibus, qui paulò ante divitiis ipsi fuerat æqualis. Quicquid oritur & nascitur in terra, à Sole & pluvia producitur ; idem verò Sol plus nimio æstuans illud exurit : eademque pluvia si est continua, illud suffocat : ut per exiguam agnoscamus soliditatem & securitatem, quæ datur in bonis non cœlestibus, cum hæc ipsa quæ illa donant eadem auferant : & quæ illa producant, eadem interiniant.

Et quonam pacto suo frustrantur sine, & ad hunc devolvuntur casum, labores omnes, sudores & sollicitudines eorum, qui totam vitam, amoremque totum acquirendis & augendis sic dictis hujus mundi bonis mancipant, si eodem tempore, quo sua illa reputant, nesciunt pro quo laborent ? Hoc tristicum considerabat Rex & Propheta David, quod meritò manus animosque omnium confringere posset, qui sub hujus ignorantia sese fatigant. *Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea* : Id est, conquirunt, eo acervant & theaurizant, & nesciunt cui. Suum esse existimant, & suo usui cessurum putant, quod suum vocant ; & non est illo-

rum, neque pro illis : nam alio eodem, & quandoque insensibilis inimicus gaudebit. Id divitiis illi usu venit, quem Evangelium, non tantum sub nomine ignorantis, sed stulti canonizat, *stulte*. Congratulabatur animæ suæ de multis bonis, quæ in multos annos sufficerent : *Anima mea, habes bona multa in annos plurimos*. Cum verò eadem nocte exeundum esset ex hoc mundo, interrogatus fuit : *Et ea quæ parasti cujus erunt* : Labor fuit tuus, & bona erunt ejus, quem tu nescis. Non ea bonorum cœlestium conditio est, ait idem Propheta : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Id est, tu laborabis in hac vita ; sed in altera beatus eris ; fructum enim laborum tuorum, vel ipsos manuum tuarum labores comedes ; *Labores manuum tuarum* : ille in stultorum & ignorantium, hic in Beatorum numerum est relatus : Soli etenim qui pro bonis cœlestibus laborant, certissimè sciunt, quod sibi laborent, & pro eo, quod est & erit suum in æternum.

§. VIII.

VERùm enim verò concessio seu fictio quempiam hominum talem esse fortunæ amicam, ut omnibus in mûdo possent, sive successione hæreditaria se devolutis, sive industria acquisitis, pacificè

Luc. 12.
v. 19.Pf. 127.
v. 2.Pf. 38. v.
7.

fuerit

fuerit perfruitus, neque æqualium invidentiâ, neq; majorum potentiâ sibi possessionem turbante, dominiumve in dubium & litem vocante; qualis, quæso, hominis hujus est felicitas? si enim bona sunt modica, nequaquã contēt⁹ erit; & si magna sunt & multa, quis dubitat, quin plura adhuc & majora desideraturus sit? Certum est, in casu utroque plus passurum, quàm fruiturum illo quod habet. Porro si homo ille ex speciali gratia Dei tam moderato est animo, appetitumque suorum Dominus, ut aut modico, aut multo suo sit contentus, nunquid alio aliquo, quàm suo fruijtur? nequaquam. Hæc ergo inter bona cœlestia & mundana est differentia. Quando quis ut plurimum, & tam per naturæ quàm fortunæ miraculum fruitur suis; cœlestibus non solum quilibet bonis fruitur suis, sed etiam aliorum omnium. O si punctum istud benè intelligeremus, quàm nihili bona terrena faceremus! filius prodigus transactæ vitæ penititudine ductus, ad ædes paternas reversus, genibus patris advolutus dixit: *Pater peccavi in cælum & coram te.* Peccata quæ in prodigo condemnantur omnia abfente, & remoto patre fuerunt commissâ. *In regionem longinquam.* De quoniam igitur pec-

cato potissimum se accusat, tantam coram patre & in cælum commissio? solum peccatum à filio prodigo præfente patre commissum fuit, postulare contingentem se hæreditatis portionem, dum adhuc viveret, quia ea frui vellet tanquam sua: *Pater, da mibi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Istud verò peccatum coram patre commissum constituræ filius penitens, quod peccatum fecerit in cælum: *Peccavi in cælum?* Ita omninò: suam enim tantum petere portionem, suoque tantum velle frui, fuit cælum terræ æquiparare. In terra ad summum quilibet portione fruitur bonorum quæ ad se spectat: *Da mibi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Et qui filius Patris est cœlestis & pro cælo creatus, quod suo sit contentus, peccatum magnum iniuriamque infert cælo; in cælo enim quilibet non tantum bono fruitur suo, sed omnium. Quod Textus idem affirmat.

Artonitum filium senioreni super festivo gaudio, quo respicientia redivitque junioris celebrabatur, pater hisce consolatus est verbis: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Hæc omnia S. Augustinus

Luc. 15.
v. 18.

ibid. 23.

ibid. 12.

Luc. 15.
v. 31.

acumine singulari expendit. Patre enim alium adhuc habente filium, & prodigo habente adhuc fratrem, quomodo pater alteri eorum dicere poterat, quod omnia quæ habebat ipsius essent?

S. Aug.

Quid sibi vult, omnia mea tua sunt, quasi non sint & fratris? Neque obstat, quod filiorum alter nunquam aedibus paternis peregrinatus sit egressus. & alter extra illas tam vixerit luxuriosè; jam enim pristinae illi vitæ pœnitebat: & ubi Deus agit patrem, tantundem ad bonorum suorum participationem juris habent pœnitentes, quantum innocentes. Ita ut dubium totum consistat in eo, in quo illud constituit sanctus Augustinus! scilicet, in omnia: omnia mea tua sunt. Enim verò si hæredes & fratres erant duo, quomodo dicit pater omnia esse fratris unius, cum sint & alterius? quia locutus est sicut Pater cœlestis, & de bonis cœlestibus, ubi omnia sunt singulorum, & singula omnium. *Sed sic à perfectis & immortalibus filiis habentur omnia, ut sint & omnium singula, & omnia singulorum;* Eleganter æquè ac doctè respondet idem sanctus Augustinus. In hoc mundo ubi homines degunt mortales, & bona similiter sunt mortalia, qui-

S. Aug.

libet tantùm fruitur suo: In cœlo verò ubi homines vivunt immortales, & bona sunt immortalia, singuli fruuntur bonis omnium, & omnes singulorum. Peccator pœnitens gaudet & fruitur Gloria innocentis qui nunquam peccavit; & innocens nunquam lapsus, gaudet ac fruitur gloria pœnitentis peccatoris: & nec innocens, quæ innocens, excludit peccatorem; neque peccator quæ peccator demeretur id quo fruitur innocens: sed omnes gaudent fruunturque bonis singulorum, & singuli omnium: *omnium singula, & omnia singulorum.*

Num in terra exemplum aliquod inveniatur, quod reciprocam hanc totalemque bonorum communicationem declarat, æquè totalem ac totam in omnibus, atque totam ac totalem in singulis? nec fuit unquam, nec esse poterat exemplum tale aut simile quid in terra: nisi postquam descendit de cœlo. Sed enim quod illud? Divinissimum Sacramentum: *Panis, qui de calo descendit*: Divinissimum Sacramentum est Gloriæ pignus, & Gloriæ figura. Utrumque nos docet Ecclesia pignus Gloriæ, *Futura Gloria nobis pignus datur*: Figura Gloriæ, *quam pretiosi corporis*

Joan. 6.
v. 50.

Eccles.

ris & sanguinis temporalis perceptio præfiguratur. Pignus ut sit pignus, necesse non est ut similitudinem habeat, sed pretium & valorem illius quod affecurat. Ita videmus, quod æulica peristromata sint pignus æquivalens illis, quæ sub oppignoratione eorum nobis creduntur: porro istud ipsum valor infinitumque Sacramenti pretium, qua Gloriæ pignus continet: sed ut figura sit Gloriæ non sufficit valor tantum & pretium, nisi habeat etiam similitudinem: sine similitudine quippe non datur figura. Si igitur Sacramentum, in quo Deum non videmus est figura Gloriæ, quæ in videndo Deum consistit, ubinam ista est figura, & ista similitudo? admirabiliter sanè illud expriment ipsa Ecclesiæ verba: *Quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporales perceptio præfiguratur.* Notetur benè verbum, *perceptio*; non consistit figura & similitudo Sacramenti in eo quod accipimus, quamvis sit ipse Deus; sed in modo quo illud accipimus: *Temporalis perceptio præfiguratur.* Quare? quia sicut in Sacramento tantundem accipit unus, quantum omnes, & tantundem accipiunt omnes quantum singu-

li, pari modo tantum in Gloria percipiunt omnes quantum singuli; & vice versa tantum singuli quantum omnes. Hic in terra, quia meum & tuum dividitur, quilibet bonis fruitur suis, non participans de alienis: in cælo verò bona omnium & singulorum tam sunt communia omnibus, quam particularia singulis; divisio enim ibidem non invenit locum.

Hinc patebit fundamentum & ratio, quare S. Petrus in monte Thabor à bonis Evangelistis SS. Marco & Luca, tam gravi notatus fuit censurâ; quasi nesciret quid diceret: *Nesciens quid diceret.* Quod S. Petrus dixit, fuit, ut tria ibidem erigerent tabernacula, unum Christo, alterum Moyfi, tertium Eliæ: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, & Eliæ unum.* Enim verò in quo consistit error, tam notabili & manifesta censura dignus? in eo, quod cum Thabor non tantum figura esset Gloriæ cælestis, sed vera propriaque participatio illius, quod in ea percipitur, sanctus Petrus in montem Thabor introducere ibidemque stabilire & figere voluerit rem tam impropiam, & ab ipsa alienam Gloria, sicuti meum & tuum:

Tibi

S. Paf-
chafius.

Tibi unum, Moyfi unum, & Elia unum. Egregiè inquit S. Pafchafius. *Error in causa est, quia tria se promittit facere tabernacula, unum scilicet ac privatum Iesu, alterum Moyfi, & aliud Elia, quasi eos non caperet unum tabernaculum, seu in uno simul consistere non possent.* S. Petrus tanquam non suum commodum quærens, neque in gloriam introducere volens meum, & nostrum, non dicit quod sibi & lociis tabernaculum construere vellet, & usque huc non erravit tacendo. Verùm mox ut locutus dixit, *unum tibi*, non ibi sistens, sed tabernacula dividere volens, & aliud pro Moyse, aliudque pro Elia constructurus, ac si in eodem commorari nequirent, vel unum non esset capax omnium; hinc & in divisione hac erravit; in gloria quippe cœlesti, quam Mons Thabor repræsentabat, Tabernaculum Moyfis est Elia, & Elia Moyfis; nec non Moyfis & Elia est Christi; & illud Christi Moyfis est & Elia, & Petri, & Joannis, & Jacobi, neminem excludens sed universaliter non tantùm communicans se omnibus, sed particulariter singulis:

§. IX.

VERùm contra doctrinam hanc licet ad eò probatam replicare mihi videntur non tantùm terræ

hujus docti & indocti, sed etiam ipsius cœli incolæ beatis docti, quia sæpius legerunt in Evangelio: *Et in quâ mensurâ mensi fueritis, remerietur vobis.* Et in S. Paulo: *Qui parçè seminat, parçè & metit; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metit. Et unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum.* Rudes & indocti similiter, quia in textuum horum expositione præmia cœlestia cuique secundùm justitiam distribuenda audierunt; & quod ibidem mensurâ gaudii & beatitudinis mensurâ laboris & servitiorum responderebit; & qui modicum quid seminat, etiam modicum metet: & merces operarii labori ipsius responderebit. Denique beati, certum est enim in cœlo valde diversos esse gloriæ gradus, pro ut in terra diversi fuere gradus gratiæ; & quemadmodum ab extra videmus in eodem cœlo aliam esse claritatem Solis, aliam Lunæ, & aliam Stellarum: *Alia claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate.* Sic ibi ab intra majores minoresque excellentiæ, majores minoresque coronæ, major minorque visionis Dei fruitio, & in eadem Beatitudine major minorque participatio, vel ut S. Paulus dicit, *pondera ejus.* Si igitur

Math.
16. 7. 27.
Marc.
4. 7. 24.
2. Cor. 9.
v. 6.

1. Cor. 15.
v. 41.

Ibid. 39.
& 40.

Beati

Beati in Gloria, & Beatorum Gloria non sunt æquales: quo pacto fieri potest, primò, ut in tanta possessorem in æqualitate, omnes æqualiter sint contenti? Secundò, cum quod quilibet possidet proprium sit singulis, omnes fruuntur eodem, & singuli illo quòd est omnium?

Pro declaratione hujus, quòd ænigma videtur, supponendum est; quod in cælo videre Deum, illoque frui, & gaudere detur, in quo Beatitudo essentialis consistit: eademque Gloria fruuntur Deum videntes, eoque fruentes, sed diversimodè. In Gloria, quæ in visione fruitioneque Dei consistit, licet aliqui possint esse æquales, multæ dantur differentiæ, & excessus, secundùm majus minusve meritum singulorum. Sed in hac ipsa differentia, quamvis in æquali, omnes respectivè, & singuli æqualiter sunt contenti: nemo enim plus quam habet desiderat: fundatur enim æqualitas ejusdem satisfactionis in mensura propria capacitatis, & justitiæ proportionem, quæ se præmiatos cernunt. Hic ubi omnes majores esse appetimus, istud non intelligitur: mediis verò similibus variis, faciliè comprehendi potest. Agite tria vasa ad mare deferte. Magnum unum, capacius alterum, tertium minus,

& omnia aqua implete. Hoc casu vas minus aquæ minus, vas magnum plus, & maximum multo adhuc plus aquæ capiet: nihilo seciùs in hac ipsa in æqualitate, nullum plus admittit, nec admittere potest, quàm capere potest, quodlibet enim juxta capacitatem suam æqualiter plenum est. Pater aliquis tres habet filios; minorennem unum, adoloscenscentem alterum, juvenem tertium: omnes eodem panno vestivit; quisnam eorum videtur magis esse contentus? nunquid qui plures ulnas insumpsit? nequaquam. Et si minus, mutata vestimenta, & videbitis, utrum alter alterius vestem desideret. Quilibet suo contentus est æqualiter, quia sibi magis convenit, & staturæ suæ proportionatè magis quadrat. Idem in beatis cœlitibus usu venit: nam sicut claræ visionis Dei Gloria illos implet ad intra, sic illos vestit ab extra. Neque major minorve obstat capacitas meriti, neque altior humiliorve dignitatis statura ad alterandam diminucendamve curiosislibet satisfactionis hujus æqualitatem in suo statu. Quem admodum enim similitudinè alia benè declarat sanctus Augustinus, etiam caput nobilioris est manu, & manus nobilior

T t pede,

pede; non tamen propterea esse manus, nec manus esse caput, neque caput cor esse desiderat: sic enim natura exigit à partibus, & harmonia à toto. Et si concordia hæc conformitas & ordo in corpore invenitur naturali & corruptibili; qualis, quæso, erit illa corporis cælestis, supremæ illius & supernaturalis rei publicæ, ubi Dei ipsius beneficium & voluntas illud beatificans, anima est illud informans?

Quantum ad secundam objectionis partem, in qua difficile videtur, singulos gaudere gloriis omnium, & omnes frui gloriâ singulorum. sicut primâ satisfecimus difficultati proportionem iustitiæ; sic respondeo secundæ charitatis extensione, cælum respublica est immensa; sed ubi omnes se diligunt; ibique caritas tam absoluta est perfectionis, ut omnes & singuli tantum diligunt alios, quantum se ipsos. Unde sequitur quod licet gradus Gloriæ sint æquales, pro meritis singulorum, lætitiâ & gaudium hujus Gloriæ vel Gloriarum, in omnibus esse æquale, quia omnes illas reputant quasi proprias, & singuli quasi suas. Quod expressè S. Laurentius Justinianus affirmat: *Tanta vis in illa cælesti patria nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in al-*

*Laur.
Just. de
long. vi-
racap. 7.*

tera exultet. Vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ: Notentur verba illa, *Beatitudo lætitiæ*, in quibus Sanctus, in eadem Beatitudine duas Beatitudines distinguit; unam Gloriæ, alteram lætitiæ. Illa Gloriæ particularis est & determinata; in visione enim Dei consistit, quæ merito gratiæque hujus vitæ mensuratur: illa verò lætitiæ terminum limitemque non habet, est enim immensa & sine mensura charitatis extensioni respondens; quæ comprehendens complectensque omnes lætanda fruitur Gloriâ omnium & singulorum, ac si propinasset. Porro istud quasi esset propria, non significat, quasi non habeat aut possideat, nec possideat quilibet gloriâ aliorum, quia verè illam habet & possidet Sanctus, non in se sed in illis quos diligit sicut seipsum: *Ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in alio exultet.* Cui rationi sanctus Augustinus, S. Bonaventura, sanctus Anselmus & omnes subscribunt.

Ne verò usus seu abusus modicæ charitatis hujus mundi, veritatis hujus nobis intelligentiam obscuraret, duobus hujus mundi exemplis eam declarabo: unum singulare est in sancto Paulo; alterum universale in hominibus cunctis.

*S. Aug.
22. de Ci-
vit. Dei
Bonav.
2. de An-
gel.
S. Ansel.
l. de sem.
c. 59.*

ctis. Aded immensa charitate ardebat S. Paulus, ut omnium hominum mala pateretur & sentiret; nec malum ullum seu temporale seu spirituale accidebat in hoc mundo, quod non nova particularique materia & nutrimento inflammaret ignem, quo cor ejus ardebat.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?

Quemadmodum totum terræ rotundum mole sua inclinat ad centrum: sic omnes infirmitates, omnes dolores, omnes ærumnæ & anxietates, omnes afflictiones, tribulationes, miserix, tristitiæ, inopiæ, quicquid denique humano generi miseriarum adversitatumque incumbit, totum & undiquaque cor S. Pauli impetebat, in. & cum omnibus infirmis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et quemadmodum eodem in centro ignis consistit inferni, in quo ardent damnati commissarum à se culparum in hac vita pœnas luentes: sic in corde Pauli ignis ardebat charitatis, fortiter aded & intensè, ut scandala cuncta & culpæ, quæ de novo commitebantur, non tantum quocunque illum affligerent modo, sed verè ipsum urerent & consumerent: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Proinde si charitas Pauli ipsum faciebat mala pati omnium, cum

naturæ humanæ proprium magis ac naturale esset gaudere & frui bonis, quàm mala pati; quis ambigit, quod cujuslibet Beati charitas, quæ in cœlo perfectior est, quàm illa maximorum Sanctorum in terra; naturaliter & sine miraculo quemlibet excitet & compellat lætari & gaudere bonis omnium?

Quod si minus ita se habere videatur (ut quilibet sibi persuadeat experimentaliter in seipso) interrogo vos omnes, qui patres seu matres estis. Nunquid cerum est patres & matres tantundem amare, & æstimare liberorum suorum bona, quantum bona sua propria? si ipsis feris etiam immitissimis hæc proponeretur quæstio, responderent quod sic, Et ego verum non esse patrè, nec esse veram matrem affirmo, quæ non minus suam quàm filiorum suorum bona curet & æstimer. Idcirco aulici Hierosolymitani resignante Davide Coronam in filium suum Salomonem, adulando exosculantes manû Davidis, omnes una voce, con cordiq; sententia precati sunt ut Deus thronum regnumque filii sui amplificaret, & bearet super regnum patris. Eodemque ex capite Neronis mater, cum ex oraculo didicisset, adesse tempus quo filius ejus Imperiû esset obtenturus, à quo interimenda foret, respondit: *Occidat, dum-*

1. Cor. °
II. v. 24

modo imperet, q. d. esto, me interficiat, dum modo sit Imperator. Hoc modo mater honorum Imperiūq; filii propriæ prætulit vitæ. Porrò si ad extrema hæc naturalis & terrenus sese amor extendat, quid de supernaturali cœlestique dicendum est: tantus est, vel ut propriè magis & ad rem loquamur, tam perfectus, tam purus, tamque superhumanus est amor, quo Beati omnes se mutuò complectuntur: ut si parentum omnium, quotquot à mūdi extiterunt exordio, & ad finem usque mundi erunt, amor in uno tantum uniretur, minimi Beati in cœlo comparatus amori, non tantum illum non adæquaret, sed nec amor esse videretur, ecce nunc, cōcludit S. Bonaventura, quàm immensa erit sic diligentium Gloria, cum illi sint infiniti, singulorumque Gloria, Gloria omnium!

O vos Beatos, & beatas, non dico vestram, sed vestras, beatitudines! ibidem veritate hac gaudet, qui primo Psalmorum suorum verbo eandem assecuravit: *Beatus vir*, id est, beatus homo. Enim verò quamnam est beatitudo, quæ beatum illum facit, & beati nomine illum insignit? non est una, nec tantum multa, sed omnes omninò Beatorum omnium beatitudines: nam Beatorum omnium concurrunt

beatitudines ad quemlibet Beatū reddendum. Ita hoc expressè originalis in Hebraico Textus declarat, quo idiomate David scripsit, qui Textus loco *Beatus vir*, dicit Beatitudines viri. Et si quilibet ex sua Gloria particulari, perfectissimè beatus & gloriosus existit, quid per Glorias Beatitudinesque omnium erit? Beatus quilibet ex merito suo, & per omnium Glorias gloriosus, per ea quibus illi meruerunt. Hic est verus communionis bonorum excessus, qui videri posset injustus, nisi Gloria Gratiæ præmium foret. De vobis igitur, & de omnibus vobis, ô felicissimi patriæ hujus cœlestis incolæ: de vobis inquam, & vobis non sine ratione dicere licet, *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*. Id est, *Joan. 4. v. 38.* alii laborarunt & meruerunt, & vos laborum ipsorum fructu fruimini, dum eo gaudetis quod illi meruerunt, & vos non meruistis.

Vos (animadvertant benè quod dico terrestres) vos inquam Patriarchæ non fuistis, & Patriarcharum Gloria gaudetis: vos Prophetæ non fuistis, & Prophetarum Gloriâ fruimini: vos Apostoli non fuistis & Apostolorum Gloria gaudetis: Martyrium non subiistis, & Martyrum Gloria gaudetis: Doctores non fuistis, neque

docuistis, & Doctorum gloria frui-
mini : in solitudine vitam anacho-
reticam non duxistis, & anacho-
retarum gloria gaudetis : Conti-
nentiam non estis professi, & glo-
ria Virginum gaudetis : Vos deni-
que homines corporei, & non Spi-
ritus estis, omniumque Hierar-
chiarum angelicarum gloriis frui-
mini. Sic discurret per antithe-
ses Doctorum Ecclesiæ Seraphim,
S. Bonaventura, quamvis ordine
mutato, eodem tamen sensu. *Ibi
gaudebit Virgo de Sanctæ viduita-
tis merito : Ibi vidua exulta-
bit de casto virginitatis privilegio:
Ibi confessor de martyris jucunda-
bitur triumpho : Ibi Martyr
tripudiabit de confessoris bravio :
Ibi Propheta laudabit de Patriar-
charum pia conversatione : Ibi
Patriarcha exultabit de Prophetarum
fide : Ibi Apostoli & An-
geli gaudebunt de merito omni-
um Inferiorum : Ibi omnes inferio-
res letabuntur de gloria & corona
superiorum.*

§. X.

Nunc tertium pertractan-
dum restat propositionis no-
stræ punctum, demonstnan-

dumque quo pacto omnibus istis
gaudeatur non successivè sed
junctim, totam æternitatem
ad unum instans reducing, idemque instans per omnem æ-
ternitatem extendendo. Cum
itaque brevitati temporis sese
accommodare opus sit, sup-
ponendo duorum horum discursuum demonstrationes sufficere,
ad fundandam desuper mag-
nam resolutionem; concludo
omnibus qui me audierunt u-
nam proponendo quæstionem.
Creditisne illud quod audistis,
an non? Qui credit primum
secundumque punctum, est
Christianus; non credens se-
cundum, est Gentilis: Verum
sive Gentiles sive Christiani,
nisi totaliter judicium perdid-
eritis & rationem, non poterit non persuasum vobis esse
quod audistis, vel ad contem-
nendam bonorum quorundam
fallaciam, vel ad desiderandam simul aliorum veritatem.

Gentilis nescit animam esse
immortalem, neque ali-
am credit superesse vitam. Ni-
hilominus evolutis omnium Gen-
tilium libris, nullum in-
T t 3 venie-

venietis vel Philosophum, vel Oratorem, vel Poëtam, qui solorationis illustratus lumine, & eorum quæ sub aspectum cadunt doctus experientia amorem concupiscentiamque bonorum mundi hujus non condemnet, contemptumque deprædicet. Non defuit Gentilis, qui patrimonium opulentum in pecuniam redactum mari immerfit dicens, melius est ut ego te mergam, quam tu me perdas. Diogenis hæc risum prætereo, qui suo contentus dolio Alexandros deridebat cum divitiis. Socratis, Senecæ, & Epicteti sobrietatem præteriens, Epicuri ipsius Exemplum in hac agnitione admiror, quod quemcunque demum Christianum confundere fas est; cum ille, & secta ejus non nisi voluptatibus indulgendum profiterentur. *Gaudebis minus? minus dolebis.* Dicebat Comicus Gentilis, Gentilibus loquens. q. d. Si minus habueris gaudii, minus quoque doloris habebis. Et quia in falforum fallaciumque bonorum mixtura, bonum segregantes à malo, materiam seu objectum gaudii opponebant causæ doloris; præcligebant non pati veri mali portionem, quam fallaci gaudere bono. Nunquid fatuus reputaretur, qui potus dulcedine il-

lectus simul venenum hauriret? Hac itaque ratione & evidentiâ convicti, sine fide, alteriusve vitæ agnitione veritatem penetrabant Gentiles, & quidam ob pondus à falsis sese bonis exonerabant, & quidam despiciendo pedibus ea conculcabant.

Enim verò si bona hæc sic æstimabat Gentilis non timens ne ab iis mergeretur in Infernum, vel impediretur ab ingressu in Cælum, quid resolvendum faciendumve Christiano, qui non tantum in bonis mundi præsentem agnoscit vanitatem; verum etiam, & multo magis periculum futurum? eritne operæ pretium, pro gaudii momento æternitati me exponam peccatæ, & pro imaginario aliquo bono tot malis permixto, Gloria me privem visionis Dei, & gaudii non solum beatitudinis meæ, sed illius omnium beatorum? *O fides, ô ratio ubinam es! sed ratione nos carere certum est, siquidem non facimus quod fecere ac intellexere tot Gentiles; neque fidem nisi mortuam, & sine operatione vitali: cum illa nos non moveat ad vivendum, uti Christianos oportet. Porro si Christiani censeri cupimus, hujus tam enormis cæcitatæ tenebrositatem emendare satagen-*
tes,

tes, aliud remedium, quod oculos nobis aperiat non video, nisi per easdem discursuum nostrorum relegere vias ad binos montes, unde exierunt. O stationes duæ sacro Quadragesimali tempore tam proprias & congruas! Una in monte tentationis, altera in monte transfigurationis: una in monte ubi Diabolus Christo ostendit Glorias mundi; altera in monte ubi Christus Apostolis ostendit Gloriam Cæli. Respicite bene advertentes animum, quanta differentia inter montem & montem, & inter Glorias & Gloriam intercedat. In Monte illa mala bonorum nomine sunt deaurata: In hoc bona mali apparentiâ sunt obumbrata. Ibi fallum, hinc est verum: Ibi dubium, hinc certum: Ibi momentaneum, hinc æternum: Ibi illud quod tendit & deducit in ignem Inferni; hinc quod deducit ad Beatitudinem Cæli. Advertite, advertite considerantes maturè quid oporteat eligere; Electioni enim vestræ in hac vita, respondebit remuneratio in altera: vel maledictiones omnes æternum passuri cum Diabolo, vel omnibus felicitatibus, æternum fruituri cum Christo, Amen.



S E R M O

D E

Sancta Barbara.

Simile est Regnum Caelorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo abscondit, & pra gaudio illius vadit, & vendit universa quae habet, & emit agrum illum.

Matth. 13.

s. I.



Uemadmodum hominum nonnulli tantum sibi, alii autem, & sibi, & reipublicae sunt nati; & hinc de genere humano optimè meriti, à fama celebrantur: pari modo Sanctorum nonnulli ad laudandum tantummodo Deum sunt electi: alii verò ad laudandum Deum, simulque ad juvandos homines sunt ordinati. Et cum secunda hæc prærogativa sit tam propria ipsi Deo, qui non sibi, sed nobis natus; nec non tam simi-

lis Angelis, qui semper Deum vident in caelo, nosque custodiunt in terra: comparatione inter omnes generis ejusdem Sanctos & Sanctas facta, non ad æquare modò, sed excedere facillè omnes inveniemus: Quem seu quam? Gloriosam Sanctam Barbaram, cujus protectioni & memoriae tanto Elementorum sonitu & motu hæc læta dies dedicatur.

In propositis verbis Christus Magister Divinus, & Dominus noster Regnum Caelorum thesauro assimilat in agro abscondito, quem

quem cum fortunatior quispiam hominibus invenisset, abiit, divenditque omnibus quæ habuit, illum emptum suo Dominio subijcere sategit. Ad intelligendum quisnam hic fuerit thesaurus, primò novisse opus est, quodnam sit regnum cælorum, à Christo ipsi assimilatum: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito.* S. Gregorius Papa doctè hic notat, Regnum Cælorum in literis divinis in duo dividi Regna, æternum unum; temporale alterum: futurum unum; præsens alterum: unum in Ecclesia triumphante, in cælo pacatum & tranquillum: alterum in Ecclesia militante, adhuc luctans patiensque in terra. Hinc sequitur, quemadmodum duo sunt Regna thesauro abscondito similia, sic duos quoque esse thesauros utrique regno similes: Porro hosce duos thesauros S. Barbara omni eo, quod pretiosissimum habuit, sibi comparavit: *vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.*

S. Barbara velut unica filia, Patrisque sui Dioscori Civium Nicomediensium facile Nobilissimi Hæres, amplissimo gaudebat patrimonio bonorum quæ fortunæ tribuuntur. Opulentiore insuper & pretiosiore dotata patri-

Pars V.

monio à Natura & Gratia; scilicet formæ elegantia, prudentia, morum honestate, reliquarumque virtutum ornata decore, unde quorumcunque Illustrium & primariorum desiderium & amorem sic rapiebat, ut certatim ab omnibus in matrimoniū expereretur. Cum verò hæc omnia adhuc dum florente ætate Deo consecrasset, ad ipsam usque libertatem & vitam suam ipsi consecravit amorem: libertatem quidem prolixo Martyrio, multò tempore captiva, carcerique in arce mancipata; vitam verò, alio martyrio breviori quidem, sed multò atrociori; variè etenim omnis generis tormentis tyrannicis excruciatâ, proprii tandè parentis manibus crudelissimè amputato sibi capite occubuit.

Hoc pretiosissimo omnium possessorum patrimonio S. Barbara duos sibi comparavit thesauros: unum pro se; alterum pro nobis Pro se, æternæ Gloriæ coronæque thesaurum, quâ summa cum pace jam gaudet in Ecclesia triumphante in cælis: pro nobis, perpetui thesaurum auxilii, quo nobis succurrit ad pugnandum & vincendum in militante hac Ecclesia in terris. De hoc, quod nimirum hoc è ante altaria ipsius, in perpetuâ grati animi significatione recognosci videmus tantùm tractabo. In primis autem

Vv

pro-

protestor ingenuè & confiteor ad manifestandam & promulgandam S. Barbaræ laudem & potentiam, quemadmodum tormentorum omnium bellicorum muta sunt tonitrua; sic prædicatorum omnium linguæ facundia, omnique nostra eloquentia est barbara.
Ave Maria.

§. II.

Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito.

EX mirabilioribus quæ Deus creavit & habet in mundo, & de quibus sapientia ipsius & majestas valde gloriatur, sunt thesauri ipsius absconditi, *Nunquid* (inquit Deus ad Jobum) *ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis vidisti, que preparavi in tempore hostis, & in diem pugne, & belli?* Num fortè in præsens usque tempus Philosophorum speculatio originem verasque ventorum causas detegere & investigare potuit, cum non minus ac venti meridionales & septentrionales opinionum variabilitate & contrarietate inter se pugnent? Propterea veritatem ipsos docuit David demonstrando Deum solum creatorem ipsorum, eorundemque cognoscere ortum, & tempore modoque sibi placito de secretis thesauris suis producere:
Qui producit ventos de thesauris

suis. Nec minorem meretur admirationem, maris superficiem nec ad digiti quidem accrescere latitudinem ex omnium fluminum torrentiumque influxu, cum idem mare sic quandoque exundarit, ut Civitates submerferit, integrasque sepeliverit provincias. Sed cuncta hæc particularia diluvia, cum nec à cælo, nec à nubibus ortum habeant, Deus in abditis & profundis thesaurorum suorum abyssis reposita habet; *Ponens in thesauris abyssos.* Denique de his ipsis thesauris jam ante prophetaverat Jacob: *Inundationem maris quasi lac surgent, & thesauros absconditos arenarum.*

Hoc igitur modo in terra, in aqua, in aère, velut in diversis vastissimisque agris, Deus thesauros suos recondidit. Sed nullus horum, cum tanti sint, tamque varii, thesaurum illum adæquat, quem idem ipse Deus, S. Barbaræ detexit, cujus ipsa suorum virtute meritum dominium adiit. Maximus, nobilissimus, & occultissimus universi thesaurus, quartum esse elementum ignis. Istud ignis Elementum adeò est reconditum, ut Pythagoras aliique quos refert S. Augustinus, quia ignis sphaeram non videmus, illam omnino negârint. Loca in quibus natura collocavit Elementa, totum occupant spatium, quod à centro mundi usque ad cæelum pro-

Psal.
134. v. 8

Psal.
32. v. 7
Dent.
33. v. 19.

Job. 38.
v. 22. &
23.

protenditur. Terra in circuitu seu circumferentia Centri consistit; aqua supra terram, aër supra aquam, & ignis supra aërem ad concavum utque Lunæ seu Cœli Empyreï. Verum enim verò si ignis sphaera adeo est luminosa, & ignis naturaliter luminosus, quomodo saltem de nocte illam non videmus? Ergo (præfati inferebant authores) manifestum est ignem sphaerâ carere. At verò cum per alias demonstrationes sit evidens, perfectionem universi hoc thesauro carere non posse; inferendum fuisset quod diximus, quia non videtur inde provenire, quod sit thesaurus abconditus. Porrò ne Philosophi & Mathematici habeant quod opponant, prima legantur verba quibus Scriptura sacra mundi creationem describit; & in eis terram, aquam, & aërem, non verò ignem expressa invenimus: *Terra autem erat inanis & vacua, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Terra autem, ecce terram: Super aquas, ecce aquas: Spiritus Domini, ecce aërem.* Et quare Moyses, sicut trium meminit elementorum; etiam quarti non meminit ignis? Quia Moyses pro ut notant S. Basilii, S. Joannes Damascenus, & Beda, de manifestis tantum, &

quæ oculis patent, causis est locutus. Et hinc, quemadmodum creationem subicit Angelorum, eo quod invisibiles essent: pari ratione ignem elementarem subicit, quod obtutum nostrum effugeret.

Istum igitur tam proprie abconditum thesaurum Deus retexit, dominioque S. Barbaræ subjecit constituens eam ignis Gubernatricem, necnon protectricem & præservatricem ab eodem. O Gloriosam Evæ filiam, majorem prima scemina etiam in statu Innocentiæ, & Paradisi felicitate Dominam! Maxima unquam homini alicui à Deo collata potestas, fuit illa Adami. Sed enim qualem ipsi contulit potestatem? Super terram, super aquam, super aërem: *Ut præfuit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, ac universa terra.* Cuncta quæ moventur in mundo, sive gradiendo in terra, sive natando in aqua, sive in aëre volando tuo suberunt imperio. Sed cum Deus Adamo trium Elementorum inferiorum contulerit dominium, quare non pariter quartum & supremum ipsius dominio subjecit? Si terræ imperio addidit illud aquæ, & aquæ illud aëris: ut quid huic Elementi aëris illud Elementum ignis

Gen. 1.
v. 26.

Gen. 1.
v. 2.

non associavit ? Ratio est, quia Deus illud sibi reservavit. Legite Prophetas, quibus degentibus in terra solis in curiam cælestem patebat ingressus & videndi libertas; & omnem Divinæ Majestatis apparatus non nisi ignem invenietis, omniaque ipsius decreta igneis executioni dari instrumentis. Sedentis Thronus est igneus: *Thronus ejus flamma ignis*. Egrediente ad obambulandum velut in curru, rotæ sunt igneæ: *Rota ejus ignis accensus*. Præcedente ipsum Custodia regia, satellites seu laterones sunt ignei: *Ignis ante ipsum procedet*. In quamcunque partem faciem vertat, ex ea ignis flammæ prodeunt: *Ignis à facie ejus exarsit*: Si respicit aut videt, oculis fit igneis: *Oculi ejus tanquam flamma ignis*: Si audit, auribus fit igneis: *Deus qui exaudiet per ignem*: Si loquitur, vocibus fit ignis: *audisti verba illius de medio ignis*: Et ipse quoque vulgò ignis esse credebatur: *Deus noster ignis consumens est*. Istud Prophætæ omnes viderunt in Cælo, idemque populus omnis vidit in terra, quando Deus ad legem dandam in montem Sinai descendit: *Totus autem Mons Sinai fumabat; eò quod descenderet Dominus super eum in igne*.

Dan. 7.
v. 9.

Ibid.

Psal. 96.
v. 3.

Psal. 17.
v. 9.

Apoc. 1.
v. 14.

3. Reg. 18
v. 24.

Deut. 4.
v. 34.

Ibid. v.
24.

Exod. 19
v. 18.

Quicquid audiebatur, erant tonitrua; quicquid videbatur, erant fulgura: *Et ecce ceperunt audiri tonitrua & micare fulgura*. Imò Gentiles ipsi ob hos simileque effectus Jovem suum Tonantem vocarunt, & pro insigniis fulmina dederunt, Poëtis eorundem idem omninò falso accinentibus Deo, quod vero Deo David decantavit: *Insonuit de Cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis*. Porrò istud, ut dixi, Quarti & Supremi Elementi regimen est imperium, quod Deus reservavit sibi; & postquam denegavit Adamo, nullique tot sæculorum famoso contulit Heroi, S. Barbaræ tandem delegavit ignis spheram, nec non prodigiosos tremendosque ejusdem effectus & operationes, potestatis ipsius subjiciens arbitrio, pro auxilio remedioque nomen ipsius invocantium.

§. III.

CAsu quo ex me scire & discere libuerit, quando Deus illam de imperio hocce investierit, vel regiminis hujus possessionem contulerit, & quo modo? Respòdeo, quod mediantibus geminis fulminibus feralibus, non multo à morte sanctæ lapsò tempore. Ad mortem, seu, Triumphum Barbaræ, bini còcurrerant Barbari, minor unò, majorq; alter

Ibid. v.
16.

alter Tyrannus, ambo crudelissimi. Primus minorque Tyrannus fuit Marcianus, qui innocens virginiumque Sanctæ corpus exquisitissimis excruciauit tormentis : secundus maiorque Tyrannus fuit pater ipsius Diocæorus, qui ipsas feras ferocitate superans evaginato gladio caput illi amputavit. Quid viso tam crudeli spectaculo faceret ignis, secreto & plusquam naturali instinctu sacras illas & coronatas sentiens prædas, & recognoscere jam incipiens novam hanc subjectionem & obedientiam, quam post Deum sanctæ huic Virgini Barbaræ debebat? eodem tempore diruptis nubibus, horrenda duo audiuntur tonitrua, totidemque furiosè emittuntur fulmina, quæ tactos, prostratos, concrematos consumptosque duos hosce Tyrannos redegerunt in cineres. Ah idololatræ miserrimi, ac Tyranni impiissimi, quod si eodem tempore quo duo fulgura vestros feriebat oculos, victimæ ejusdem invocassetis cui sustulistis vitam, illa vos utique à morte liberasset! sed nec Tyrannorum cæcitas cognovit, ubinam repositum sibi haberet remedium; neque ipsa fulmina hoc ipso actu & executione jam profiteri incipientia debitam Barbaræ venerationem, ad vindicandas ejus iniurias imperium ipsius expecta-

runt & consensum: non enim ut causæ naturales proprio operabantur impulsu, sed occulto adacta fato, & superiore directâ intellectu.

Enim verò ut pateat quàm servierint intellectuè qualiter S. Barbaræ, eidemque non expectato obedierint imperio, bina ista tonitrua & fulgura usu rationis carentia, binis aliis ratione præditis sublimiorisq; intellectus tonitruis comparemus. Duobus germanis fratribus SS. Jacobo & Joanni, Christus nomina seu mutavit seu adauxit, tonitrua illos nuncupando: *Iacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filii tonitruu.* Boanerges propriè significat Filios tonitruu; & quia à tonitru nascuntur fulmina, *Boanerges* in phrasi Hebraica, vel Syriaca tum temporis vulgari, significat fulmina. Et quid fecerunt ista duo fulmina tanta sapientia instructa? negantibus Samaritanis Christo in civitatem suam ingressum, uterque repulsam hanc & despectum puniturus, injuriamque magistro suo illatam vindicaturus fulminum adinstar ignem de cælo descendere ad consumendos Samaritanos postulavit. Verùm ignis hic & zelus, & hæc tam animosa & speciosa resolutio, remanserunt & evanuerunt in aère:

*Marc.
63, v. 17.*

Luc. 9. v.
54.

Quare? quia consilium licentiamque petierunt à Christo; *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Quibus Christus respondit non venisse se in mundum ad perdendum, sed salvandū homines, unde & ipsi tanquam genuini ipsius discipuli non ulcisci sed remittere & condonare deberent offensas. Idem omninò S. Barbara duobus fulminibus nostris respondisset requisita & interpellata de consensu, ad vindicandam injuriam, Tyrannosq; trucidandos: ast illa rationis usu carentia fulmina melius intellexere casum. Dantur casus in quibus ob petendam licentiam, gloriosissimi perduntur actus. Prudenter sanè notavit S. Joannes Chrysostomus, quod si Magdalena à Christo petiisset licentiam, semel in pedes, iterumque in caput tam pretiosa effundendi unguenta, siquidem oblectamentum illud & obsequium tam contrarium erat mortificationi, quam Christus profitebatur, clarum est, quòd licentiam ipsi talem non concessisset. Idem verò Dominus qui copiam faciendi non indulsisset, præstitum jam sine licentia à Magdalena obsequium non tantum desedit, sed approbavit, & laudibus extulit: *Bonum enim opus operata est in me.* Idem duobus evenisset fulminibus Apostolicis, si Samaritanos

Matth.
26. v. 10.

ad eò meritos consumpsissent. Verum enim verò quod illa tanta ratione decorata neglexerunt, neque intellexerunt fulmina: nostra sine intellectu rationisque usu egerunt fulmina, altiore enim mota & directa fuerunt intelligentia.

Dum caperetur Christus, S. Petrus nullā præviè petità ad hoc facultate, evaginato gladio, aggressus hostes, aures amputare cepit: Alii, è contrariò Discipulò accedentes Christum, copiam hoc faciendi petierunt: *Domine, si percussimus in gladio?* Sed enim quis fidelio rem se, animosio rem zeloque ardentiorem se ad tuendum honorem vitamq; Christi ostēdit? nullus ambiget, quin S. Petrus, què quā talem omnes Sancti laudibus celebrant, alios inter Discipulos ibidem etiam prædicta duo aderant tonitrua, sive *Boanerges*; Solus verò Petrus actu fulmen est imitatus; hæc splendida fulminum est natura, primò exequi & ferire, & postmodum de servitio suo & obedientia protestari. Præclarum & ad rem textum habemus in libro Job. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus?* Nunquid (inquit Deus ad Job) tua meæ similis est potestati potestas, ut è cælo fulgura & fulmina emittas, & ipsa jussa fuerint executi, ad te revertantur dicentia

Luc. 22.
v. 49.

Job. 38.
v. 35.

cen-

centia, ecce adsumus, prompta ad
 exequendum quicquid iusseris :
 Cajetanus nimis hoc casu subtilis,
 verba hic mutata asseruit, & pri-
 mò fulgura & fulmina promptam
 offerre debere obedientiam di-
 cendo, *adsumus*, & postea ad-
 implere iussa. Sed rationabiliter
 subtilitas hæc, tanquam aliena à
 textu, & à fulminis conditione
 remota, ab omnibus est rejecta :
 fulmina enim obedientiam suam
 jam effectivè executam protestan-
 tur dicentia : *Adsumus : ibunt &
 reverentia dicent, adsumus*. I-
 stud opere compleverunt duo illa
 tonitrua & fulmina, injurias S.
 Barbaræ ulta, obedientiam suam
 & subjectionem erga Sanctam
 protestantiam anticipatè exequendo,
 quod honori ipsius debebant ;
 nec expectando iussum vel licen-
 tiam ab ipsius imperio : *Est nimirum hæc circumlocutio obsequenti-
 morum famulorum* : Inquit cum S.

S. Greg.
 Pap. Pi-
 neda.

Gregorio Papa, doctissimus Pina-
 da.

§. IV.

Vidimus S. Barbaræ imperium &
 dominium in abditissimum
 naturæ thesaurum, quem vide-
 licet ; & quo pacto Deus ipsi
 violentissimos, & terribilissimos
 jusdem effectus, scilicet fulmi-

na subjecerit. Cum igitur E-
 vangeliolum thesauros illos, de
 quibus loquitur, neminem gra-
 tis obtinere, sed omnibus pos-
 sessis comparandos esse assermet :
*Vendit universa qua habet, & e-
 mit agrum illum* : Videndum re-
 stat, quoniam proportionato ju-
 stoque pretio Sancta nostra, &
 quidem sola, extraordinarium
 hoc sibi comparaverit dominium.
 Quæstio hæc curiosa est, nec
 difficultate caret. Pro cujus in-
 telligentia supponendum est,
 thesauros hocse, qualescunque
 sint, Sanctos sibi vel propriâ,
 vel alienâ manu comparare. Con-
 fessores eos sibi propriâ compa-
 rant manu, virtutibus bonisque
 operibus quæ ipsimet exercent ;
 Martyres eos alienâ acquirunt
 manu, tormentis videlicet & tru-
 culentis quæ patiuntur à Tyran-
 nis. Sed hinc sequi videtur sin-
 gularem hanc S. Barbaræ præro-
 gativam, etiam quamcunque Vir-
 ginem aliam promeruisse, siqui-
 dem idem pretium dedit. Ipsa
 quoque natura jus hoc confir-
 mare videtur in duabus exceptio-
 nibus, & limitationibus quibus
 fulmina producit. Non tantum
 exigua fide digni Poëtæ, sed &
 Historiæ naturalis Authores,
 velut Plinius, & alii à
 jurisdictione fulminum inter
 aves

aves excipiunt aquilam, & inter arbores laurum; proinde quemadmodum aquila & laurus fulminis non subsunt territorio, sed præfunt dominio; etiam Virgini & Martyri idem competere videtur dominium: Virgini, quatenus Martyri, sicut aquilæ propter coronam: & Martyri, quatenus Virgini, velut lauro propter aureolam. Quænam igitur est causa, seu quænam tot inter Virgines & Martyres ratio est differentiæ, ut singularem dominii hujus prærogativam justitia divina velut meritum præmium soli sanctæ Barbaræ contulerit?

Ratio est manifesta: Martyrium quippe S. Barbaræ, inter omnes utriusque sexus Martyres, quotquot demum à manibus Tyrannorum passi sunt, violentissimum & atrocissimum extitit. Alii Martyres à manibus Neronum & Diocletianorum passi sunt: S. Barbara à proprio parente: Martyrii genus ob atrocitatem hujus circumstantiæ, non solum singulare & inauditum, sed ne imaginabile quidem videtur. Dioscorus filiam suam christianam noverat, cumque nec promissa, nec minas, nec blandimenta, nec rigores & sæva quæque quicquam efficere conspiceret, quo à fide ipsam deduceret: primò illum Marciano præfecto sub jurisjuran-

di contestatione tradidit, ut exquisitissima quæque tormentorum genera, quæ unquam adinventisset truculentia ipsi admovendo, experiretur: qui juramento dato, sic fuit executus. Admoti fuere mox equulei & catastræ, scorpiones pectinesque ferrei, ardentes laminæ & liquefactum plumbum, ubera fuere recissa, dentes ferarumque immanium voracitas, omnia in S. Barbara excrucienda fuere adhibita, non habente sanam illam sanæ corporis partem de qua non sanguis ubertim decurreret, in toto illo delicato teneroq; corpufculo, cū jam non feriretur corpus, sed vulnus vulneri superadderetur. Victus igitur Marcianus, videntique in cassum admota sua tormenta, feralem tandem in eam pronunciando sententiam, caput ipsi amputari mandavit tortoribus. Tortores & carnifices illi caput amputent: replicavit pater. Nullatenus hoc patiar: ego ipse manibus illis vitam ei tollam. Quo dicto, evaginato gladio tota vi collum innocuum petens, ictu uno caput ab humeris resecurit. O spectaculum! O crudelitatis, nunquam, ut dixi, visum, vel auditum, vel imaginabile portentum!

Unicum tantum in Scriptura sacra legimus parentem, qui filix suæ sustulerit vitam, Jephthe videlicet,

licet, non alio sine quàm ut nuncupatum Deo votum adimpleret. Sed quænam casus istius, cum hoc nostro cõparatio: ille non nisi exorbitantem redolet religionis actum; hic crudelitatis exhibet portentum. Ibi pater agebat Sacerdotem: Hic sacrilegum, impium & blasphemum. Ille dilectam Deo offerebat filiam: hic exosam immolat idolis. Unus ex commiseratione, cæcæ adinstar liquecebant paterna viscera: alter corde super marmor indurato remanebat. Unus ex oculis pietatis & amoris ubertim decurrabant lachrymæ: alter ex ore odii & iræ flammæ evomebat. Unus filia cruem tanquam suum profundeabat: alter non solùm ut alienum, sed tanquam hostis inferissimi sanguinem effundebat. Unus strictum manu tenens gladium contremiscebat: alter illum exitura è venis purpurâ tinctum videndo, triumphaturum se gestiebat. Unus occidebat cui longiorem vitam optabat: alter vitâ exuebat, cui vitam dederat. Unus præclarissimo fidei exemplo: alter execrabili scandalo, & summo naturæ horrore. Denique ambo patres, & ambæ filia; sed tali utroque in spectaculo discrimine, ut visò Jephthe sacrificio plorârint viri & foeminae, juvenes & virgines: Conspicito vero Dioscori Paricidio at-

Part V,

toniti obstupefcerent Leones & tigrides. Proinde quemadmodum S. Barbaræ Martyrium violentissimum fuit & furiosissimum omnium, hinc eodem violentissimi & furiosissimi elementorum omnium promeruit dominium.

Agite si lubet, S. Barbaræ patrem in actus hujus violentiæ & furore cum igne comparate: utriusque similitudinem adinvicem videbitis. Doctè notavit Seneca, violentiæ efficaciamque ignis esse naturale, esse suum rebus non relinquere: *Ignis, nihil esse, quod sit, patitur*. Erat Dioscorus S. Barbaræ Pater, verùm tyrannidis ipsius violentiæ & rabies, seu potius ignis non permisit esse quod erat. Erat pater, sed pater esse desit: sed enim ita fieri oportebat, vel desinere esse quod erat, ut propriè magis igni assimilaretur. Inter elementa omnia ignis solus non est parens: omnia alia fecunda sunt & generant, ignis solus sterilis est, infecundus non generans. Hæc proprietas est etymologica, qua Latini illud prudenter vocarunt *Ignis*; nomen ignis *ex in- & gigno* componitur, ac si dicerent *non gignens*: Salamandræ quippe quas nonnulli ipsi adoptant, sunt fabulæ. Plus adhuc fecêre Latini: ad ignem, quem facrum dicebant, perpetuo confer-

*Seneca
quæst.
natural.
l. 2. c. 47.*

XX

van-

vandum, Virginum vestalium religionem inflicerent. Et quare Virginum? ut & ipsæ, & quem custodiebant ignis similes sibi essent: ignis per naturam, illa per institutum seu generationem. Ritualis illarum Authorem in libris Factorum audiamus.

Ovidius
in Fastis

*Nec tu aliud estam, quam vrvam
intellige flammam,*

*Nataque de flamma corpora nulla
vides;*

*Iure igitur Virgo est, quæ semina
nulla remittit,*

Et nec capit pater Barbaræ, cum esset pater per naturam, quoniam desit esse pater per tyrannidem; & cum ipsam verè genuisset, tam crudeliter vitam abstulit, ac si non genuisset: in perpetuam portentosæ inhumanitatis hujus memoriam, justè Deus illi dominium contulit elementi, quod solum nec pater est, nec gignit; & hinc sicut ipsa vim furoremque violentissimi & furiosissimi Martyriorum omnium sustinuit, sic violentissimi & furiosissimi elementorum omnium elementi violentiæ & furori dominatur.

Porro si Martyrii S. Barbaræ singularitas, commune illud in ignem dominium promeruit; non minus ejusdem Martyrii causa debitum fuit particulare in violentos maximè & furibundos ignis

ejusdem effectus, quæ sunt fulmina, dominium & imperium. Truculentus jam pater cum Sanctam turri inclusisset, duas in ea fenestras fieri jussit: cum verò postea tres in ea videns, propriæ filiz confessione tertiam in honorem Sanctissimæ Trinitatis veri Dei, unius & trini, quem adoraret, additam didicisset: fides hæc constantique confessio Martyrii causam præbuit. Ad mysterium nunc præmiique proportionem, quo Deus illam remuneravit procedamus. Omnibus creatis suis Deus, tanquam notam symbolumque proprium (insignium more artificum) quædam supremi sui esse trini, & unius vestigia impressit, quamvis pauci ea recognoscant, juxta illud Davidis: *Et vestigia tua non cognoscuntur.* Insensivarum verò & irrationalium creaturarum nulla symbolum illud magis im- & expressum præfert, quàm fulmen, quod est tridens igneus in tres divisus acies, ideòque trinus seu trifidus appellatus.

*Ille pater rectorque Deum, cui
dextra trifidus*

Ignibus armata est: canit Ovidius: Et Seneca:

*Opifex trifidus fulminis sensit
Deus.*

Ex altera parte vel maximè naturalis

Ps. 76. v.
20.

Ovidius

Seneca

ralis fulminum, semper alta pe-
tentium hostilitas, est impugnare
& conscendere turres; in tantum
ut in quibusdam Italiae locis, quae
refert Plinius, vetitum fuerit tem-
pore belli erigere turres, quia om-
nes impetebantur & evertebantur
à fulmine. *Turres bellicis temporibus
desistere fieri, nulla non earum ful-
mine diruta.* Quoniam verò Mar-
tyrio S. Barbarae anam praebeuit fi-
des, sanctissimaeque Trinitatis, tribus
turris fenestris expressae professio;
ut non Martyrio tantum, sed etiam
causae proportionatum esset pro-
mium; in Trinitatis memoriam
imperium ipsi contulit in fulmina,
quae trinis suis aciebus eandem re-
praesentant; & in memoriam turris
eam turrimum fecit tutelarem &
castellorum; ut eadem custodiat &
à fulminibus defendat.

§. V.

Congratulor tibi, omnipotens &
misericordissime Deus (non enim
hoc casu nostrae Sanctae, sed
bonitati tuae infinitae congratulari
mihi mens est) congratulor, inquam,
tibi de hac ipsa potestate, quam fa-
mulae tuae, & nostrae contulisti pro-
tectrici, quod non desit tuae mis-
ericordiae, qui rigores tuae moderet
justitiae, & manu tua armata
fulminibus parata ferire mundum,
vel tibi retineat & cohibeat bra-

chiu, vel eadem extinguat & diver-
tat antequam ad terram pertingant.

Tanta Dei est bonitas (qui
quamvis maxime iratus, suae non
obliviscitur misericordiae) ut puni-
tionem intentans hominibus, gra-
vissime ferat, non esse qui se inter-
ponendo obstitat. Hoc ipsum ore
Isaiae ca. 59. conqueritur, ubi Pro-
pheta eundem Deum contra Baby-
loniae captivos iratum, iustitiaeque &
zelo, indignatione & vindicta, ad
puniendo illos, & tanquam ini-
micos delendos armatum describit
*Indutus est iustitia, ut lorica, & galea
salutis in capite ejus: indutus est
vestimentis ultionis, & operatus est
quasi pallio zeli: sicut ad vindictam
quasi ad retributionem hostibus suis,
& vicissitudinem inimicis suis.* His
armis jam indutus erat Deus & ac-
cinctus ad exequendam in illis ho-
minibus punitionem. Quid verò
adhuc deliberando suspensus que-
rebatur: Benedicta sit talis bonitas
& dilectio! *Et vidit quia non est vir:
& aporiatu est, quia non est qui oc-
currat.* Hoc modo provocante ju-
stitia, sic iratus, sic armatus, sic pu-
nire decernens ultionis instrumē-
ta jam manu tenens, quod acerbius
sentiebat, quod gravius ferebat, &
futurum quasi desperabat (ista enim
omnia, *aporiatu est*, significant) de
quo denique unice conquereretur
optimus Deus, non erat aliud, quam

quod homo deesset, qui se ipsi opponeret, decretoque resistendo iis succurreret, pro ipsis intercederet, quos punire parabat; eaq; rationū vi & efficacia, quā Moyses, ad ignoscendum permoveret, vel ad instar Jacob cum eo luctando, violento brachiorum complexu illum à decreto & executione quasi victum revocaret & reduceret.

Ezech.
13. v. 5.

Eandem aliàs querelam per Prophetam Ezechielem repetivit, dicens: *Non ascendistis ex adverso* (vel ut habet Originale Græcum; *Non ascendistis in fracturas, & interruptiones*) *neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Casus fuit talis. Deus Exercitu Chaldæorum civitatem Jerusalem obsederat, ad puniendam illam & destruendam: & cum jam partem murorum pro generali faciendis assultu subruisset (hoc enim significat, *fracturas & interruptiones*) conqueritur Deus, quod obsessi murum seu antemurale eisdem non objecerint fracturis; *Neque opposuistis murum*, & ad hostium fortiter repellendam irruptionem non fuerint egressi. Enim verò si obsidens erat Deus, & Exercitus erat Dei, & de Deo reportanda victoria, & punitio erat Dei, *In die Domini*: Ut quid Deusidem conqueritur, dari neminem qui se ipsi opponendo resi-

stat: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum?* Quia cum natura indolesq; Dei sit non damnare, sed ignoscere & condonare, non perdere, sed consolari; non vitam auferre, sed tribuere, ubi jam ulterius manum cohibere nequit, & ad puniendum nos arma arripit, nihil magis desiderat, quàm inveniri quempiam, qui sibi resistat, gladiumque in vaginam recondere compellat. Proinde Deo hujuscemodi contra, & super se ipsum, sanctæ Barbaræ elargiente potestatem; non huic, neque nobis, sed ipsi congratulor Deo: ante hæc enim dicebatur: *Non est vir qui occurrat*, & conquerebatur non esse verum, qui se ipsi opponeret, deinceps mulier erit, quæ victum illum armis exuat.

Terribilissima & quàm maximè formidabilia Dei arma tonitrua sunt & fulmina: *Domini formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in caelis tonabit.* David eisdem armis instructum Deum tali verborum depingit horrore, ut vel depictus tantum quemlibet horrore concutiat. *Com-mota est, & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo. Inclina-vit calos*

1. Reg. 2.
v. 10.

1. Reg. 22
v. 8.

2. Reg. 22
v. 8.

cælos & descendit : & caligo sub pedibus ejus præ fulgore in conspectu ejus, succensit sunt carbones ignis. Tonabit de cælo Dominus, & Excelsus dabit vocem. Misit sagittas, & dissipavit eos; fulgur & consumpsit eos. Et apparuerunt effusiones maris, & revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione Spiritus furoris ejus : Nulla lingua, nisi obmutescendo tremendæ hujus profopopœiæ descriptionē poterit explicare. Deus inclinabit cælos appropinquaturus terræ ad puniendos habitatores ejus: pedibus suis condensas, tetras, caliginosasque calcabit nubes: è naribus ipsius spissi iræ, indignationis furorisque fumi prodibunt: ex ore ipsius, tanquam ex clibano ardente vulcanus ignem evomet devorantem, qui omnia flammis succendat, & in earbones & favillam convertat : aures horrendis vocis suæ boatibus, tonitruis scilicet contremefaciet : Visum igneo alternantium fulminum splendore perstringet, cælo ad terroris augmentum horrendum in modum scissum, nunc aperto, nunc recluso : Denique sagittas suas emittet, quæ sunt fulmina & grandines: concutientur & conquassabuntur montes, resonabunt valles; ad abyssos usque absorbebuntur Maria, centrum detegetur terræ, & revelata

apparebunt mundi fundamenta. In confusionis verò hujus medio, stupore & tremore nec non deliquis, quis, quælo, eordium humanorum erit sensus, quidve illis fiet? Deus consumet eos, inquit David: *Et consumpsit eos.* Verum illud de tempore, quod David scripsit intelligendum venit, multis ante sæculis, quàm haberetur in terra, hæc contra armaturas, & hæc jacula cœlestia eousq; insuperabilia Gloriosa protectrix. Postquam verò sanctum illud nomen, vel nominis illius sanctitas in mundo innotuit, quantumcunque scindantur findanturque nubes in tonitrua, accendantur in fulgura, ac dissolvantur in fulmina, invocato & sonante potente & prodigioso hoc nomine (Sancta Barbara!) Tonitrua, fulgura & fulmina omnia dissipata evanuerunt; fragores isti, terriculamenta & comminationes, non tantum abierunt sine effectu, & defecerunt sine damno: sed ubi terra sui metuebat concremationem, sese videbat irrigatam: fulmina quippe conversa sunt in flumina, & ignis conversus est in aquam: *Fulgura in pluviam fecit.*

Emimverò asseverare nec intendendo, nec valeo, quod postquam S. Barbara mundo innotuit, fulgura & fulmina nocementi nihil

intulerint, vel solo ipso obstupesciendo aëre, vel exutos vita redigendo in cineres ignibus; siquidem Historiæ plenæ sunt etiam Spectabilem & Illustrium hominum mortibus, qui fulminibus tacti & resoluti abierunt in Cineres: sed inferre tantum & adstruere mihi mens est, quod Historia nulla meminerit, quod persona quæpiam seu homo invocata S. Barbarâ à fulmine fuerit læsus: nec lædi potest, prout mox dicemus. Seneca in Quæstionibus naturalibus, postquam super origine & formatione fulgurum & fulminum disputasset, sententiâ hæc verè stoicâ concludit, *Malo fulmen non timere, quàm nosse. Tu Lucili, doceas alias quomodo fulmina fiant, ego tantum scire aveo quomodo non timeantur: Itaque alios doce quomodo fiant: Ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam indicari.* Porro interrogatus idem Seneca, quo pacto fulmina non timeri possint? Respondet, non timendo mortem. Solummodò non timens mortem, non timet fulmen: Quid enim nunquid sufficere (si loqui gentiliter placet) quod se Diis homo commendat? Nulla ratione. Fulmina enim, inquit ille nonnulla sunt fatalia &

Seneca
in Quæst.
Natur.
lib. I. c. 37

Ibid.

necessaria, & hæc sunt inevitabilia: alia sunt contingentia & arbitraria; & pro his tantum orationes & vota juvare possunt. *Quemadmodum enim à ibid. Diis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si ad vota Diis preces fuerint, & vota suscepta.* Hucusque Seneca, velut magnus Philosophus, sed sine fide. Nobis autem fatum non dari, sed providentiam tantum Divinam, liberam semper & omnipotentem scientibus, affirmo, neminem à fulmine lædi posse, qui se S. Barbaræ recommendaverit. Quare? Quia Deus id ipsum S. Barbaræ promittit. Antequam jugulum gladio exhiberet Tyranni, S. Barbara orationem præmisit ad Deum preceata, ut omnibus opem suam implorantibus Divina Majestas petita concederet; eodemque momento vox est audita, dicens: ita fiet, sicut petisti. Ergo fulmen nullum feriet, qui potestricem sui S. Barbaram habet. Consequentia est evidens: Quia vox illa de cælo audita, fuit vox Dei: similiterque fulgur seu fulmen è Tonitru procedens, est vox Dei, Job attestante: *Tonabit Deus in voce sua.* Hæc ergo secunda vox Dei necessario illi pri-

Job. c. 37.
v. 5.

primæ Dei voci debet conformari: non enim summæ veritatis forerent voces, si una contrariaretur alteri.

§. VI.

Hucusque vidimus quænam sit potestas & dominium sanctæ Barbaræ super ignem naturalem, & contra violentissimos & furiosissimos ejusdem partus, qui sunt fulmina. A recentis abhinc annis, multo amplius jurisdictio & imperiū Sanctæ in elementum ignis crevit. Usq; ad Annum Christi millesimum, trecentiesimum, quadagesimum quartum, ager cui dominabatur S. Barbara, *Emit agrum illum*, erat regio aëris cum fulguribus suis & fulminibus, nec non aliis ardentibus meteoris, quæ in agro illo ignis accendit, quo etiam pertinent vastissima corpora & formidabilissima cometarum incendia. Universale hoc dominium velut gubernatrix & protectrix mille annorum spatio & ultra Sancta nostra exercuit: tot enim ab anno Martyrii ejus, usque ad relatum jam millesimum, trecentiesimum, quadagesimum annum numeratur. Hic autem temporis & potestatis distinctionem facio: isto etenim anno, præter imperium ignis elementaris & naturalis, nova

Sanctæ nostræ accessit potestas, illa scilicet in ignes artificiales, quorum prodigiolæ operationes & effectus, quos indies increfcere cernimus, immò magis ad hosce exhorrescente natura, sum habuere principium. Non sine ratione clamat Scriptura, quod ^{1344.} è septentrionalibus, & aquilonariibus partibus pandetur omne malū; quod evētus probavit in germania; inde enim tanquā universalis generis humani pestis, egressa est illa fatalis pulveris nitrati inventio, inventore Bertoldo nigro, jam in nomine præferente colorem, quæ infernale ipsius inventum erat habiturum. Prophetarum omnium primus ventura à Septentrione mala prædicens Jeremias fuit, quando in figura ollæ succensæ, *ollam succensam ego video*, Incendium vidit quo Nabuzardan Jerusalem erat exurturus: revera autem verba ejus naturalius possunt intelligi de incendio, quo Bertoldus mundum succendit: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Ignis ille tantum habitatores Jerusalem succendit; hic incendit & consumpsit omnes mundi nationes: & de hoc propriè magis dicitur *pandetur malum*; nam usq; tunc inclusus erat & occultus in naturæ secretis, inventus verò detectus fuit, *pandetur.*

Spondanus Ann. Christi

Jerem. i. v. 13.

Primi tormentis bellicis & nitrati artificio pulveris (saltem in Europa contra Christianos) usi fuerunt Mauri in pugna Algezirensi in Hispania: Ita ut attentâ bene temporum Chronologiâ, eodem sculo, iisdemque quali annis, in faustum suum habuerint ortum maximâ duarum pestes, nitratus videlicet pulvis, imperiumque Ottomanicum. Porro utraque hæc pestis multis ante sæculis propheta videtur à Daniele cap. 7. Propheta ibidem de quatuor famosissimis loquitur mundi imperiis, & specialiter de tribus partibus Romani, quas illi avulsurus, quibusque dominaturus erat Turca, in Asia, Europa & Africa, eundem Turcam vocans *Cornu parvulum* ob principiorum, & conditionis tenuitatem: Eundemque prosequens sermonem ait, quod Deum in Throno Majestatis suæ residentem, fluviumque rapidum igneum ex ore ipsius viderit prodeuntem:

Ibid. 10. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie, hoc est, ab ore ejus. Enim verò, quisnam igneus, & signanter rapidus & furiosus iste est fluvius, nisi ille pulveris nitrati, eodem Imperii Turcici tempore inventi? pro ut idem mox Propheta notat: *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu ilud loquebatur?* Primus illius inven-

tor erat religiosus, cui, ut bene dicit Spondanus, consultius fuisset, tempore quo hæc probabat & experiebatur orando se Deo commendasse. Deus vero ad inventiones similes permittit, tam in punitionem malorum, quàm progloria & exaltatione suorum Sanctorum. Primò fluvius iste igneus egrediebatur ex ore Dei; nam non causæ tantum naturales, oris sui vocisque suæ sunt effectus; *Ipsè dixit, & facta sunt:* Verum etiam artificiales, quando volendo aut permittendo providentia ipsius disponit ut fiant: Iste igitur ignis rapidi, pulverisque nitrati fluvius mox in tot sese divisit canales minores alios, majoresque alios, quot sunt fistulæ seu bombardæ ferreæ vel æneæ, vel tormenta bellica, è quibus idem ignis cum furore & impetu erumpit, & hinc invocantur ignivoma: Inter equites, sclopi & sclopetæ; inter pedestres Musquetæ, minoraque tormenta campestria: in Exercitiis Civitatumque vallis & mœnibus tormenta majora, colubrina & id generis alia. Porro cuncta ista instrumenta, & directores eorum ab inde & deinceps S. Barbaræ imperio & protectioni mansere subiecta.

Ecce quousque exercuerit ejus dominium occasione pulveris nitrati

Dan. 7.
v. 8.

Ibid. 10.

Ibid. v. 11

Psal. 32.
v. 9.

ti inventi, in multitudine, in varietate, in vi, in effectibus, imò in expeditione Missilium & Machinarum ignearum, quibus illa præest. Ut generentur fulgura & fulmina, regiones oportet esse non valde frigidæ, hinc in Seythia sunt rarissima: tempus aut æstivale, aut autumnale esse necesse est: ut nubes densæ sint & humidæ: ut exhalationes siccæ sint & calidæ: ut motus per antiperistasin eas incendat; ut ruptura ex qua prodit, ex parte sit inferiore & non superiore: utque materia spissa sit & pinguis, ne dissipetur vel extinguatur ignis antequam in terram perveniat. Omnia ista ad formandum in regione aëris fulmina & fulgura, requiruntur. In terra quàm modicum sufficit? Supremam gerentibus potestatem sufficit, quod vel modicus concupiscentiæ vel ambitionis, vel invidiæ vel odii, vel vanitatis tantum & gloriæ vapores in caput eorum ascendat, ut in castellum, seu Civitatem tanta fulminum artificialium multitudo depluat, quot moenia habent lapides. Cædentiæ è cælo multis annis fulmina numerantur: in terra, à suggestibus, seu pro loci cuiusdam defensione excitata & emissa parvo tempore numerum excedunt. Imò fulmina cælestia quando non sunt contenta ferire mon-

Pars V.

tes, aut tangere feras & bestias, vel solummodo metum incutere hominibus: rarum est fulmen quod de homicidio aliquo reum teneatur; illa è tormento bellico egressa, si non vidistis, audite qualem stragem edant. In pugna navali Cæsarianos inter & Gallos ad ripam Salernitanam habito, glans una tormentaria quadraginta prostravit Germanos. In conflictu campestri Germanorum contra Hispanos circa Ravennam, tormentum bellicum unica tantum explosione quinquaginta prostravit Germanos. Bellum gerente Alberto Imperatore contra Pòlonos in Bohemia, memorant Historiæ, quamvis non expriment à qua parte, glande una octoginta interfectos fuisse milites.

Quam quæso vel similitudinis umbram cum hisce habent ballistæ, arietes, machinæ, catapultæ, omniaque alia Instrumenta bellica, quæ tanta ingenii applicatione & industria primo invenerunt Græci, postmodum Romani, tanto brachiorum adhibito robore, multo tempore & labore non consecuti, quod unico momento una manus, unica efficit explosione? Multi fulmen fuisse æmulati, quod Gentiles Jovem appellabant, qua in re tam famosa fuit Sulmonis Regis Elidæ

Y y viven-

viventis arrogantia, quàm fabulosa est ejusdem in Inferno audaciæ pœna. Virgilius illum stultum nuncupat, quia inimitabile fulmen æmulari voluit.

*Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ere, & cornupedum cursu similat at equorum.*

Verum enim verò si Musa ejus divinasset, ex eodem Inferno nitratum pulverem præditurum, nullatenus fulmini inimitabilitatis nomen imposuisset, cum tormenta nostra bellica illud non tantum imitentur, sed excedant. Omnis apparatus, totaque fulminis stupenda fabrica, ad quid in aère reducitur? ad nubem unam, ad fulgur unum, ad unum tonitru, & ad ipsum fulmen. Et hæc omnia cernuntur, & non sine prærogativa in unius tantum tormenti bellici explosione expediuntur: fumus nubem, ignis fulgur, fragor tonitru, glans fulmen exprimit. Porro cum prærogativa dico & præcellentia: Nubes enim primo periiit partu, & rupta deficit & evanuit; tormentum autem bellicum, integrum & solidum multis durat annis & sæculis, eodem die, eademque ho-

ra non unum tantum, sed multa eructans & evomens fulmina. Haud ita multò ante ignem sterilem nec generantem diximus: sed ignis artificialis pulveri nitrato jam conjunctus, in omni genere viventium igneos habet filios. Animalia ignea in Camelis; serpentes igneos in Basiliscis; aves igneas in falconibus; & in omnibus instrumentis aliis homines igneos. Homines ignei in tormentis bellicis, homines ignei in Bombis, homines ignei in pyrobolis, homines ignei in polyblastris, homines ignei in machinis, homines ignei in cuniculis, & hoc modo tam infra quam supra terram ignei, & in igne, & de igne viventes sunt homines.

§. VII.

AD intrepidè subeundum terribile hoc rei tormentariæ officium (quod præacta omnia includit) tam necessarium est. Barbaræ patrociniæ in terra. Porro à terra transeundo ad Mare facile apparet, quantò utilius, admirabilius & miraculosius sit, eisdem instrumentis igneis præliantes in navi,
&

& super undas constitutos protegere. Certa & indubitata inter utriusq; militiæ Magistros est conclusio, quod terrestri illâ cum hac marinâ & navali collatâ, hæc longè laboriosior periculosiorq; existat. In terra unum contra vos pugnat Elementum; in mari omnia quatuor: In terra fugæ locus patet; in navi tanquam captivis non datur effugium, nisi in ipsum mare præcipitium. In terra turma à turma, & legio à legione adjuvatur; in mari agentes cum sociis in cõspectu, nec succursum sperare ab ipsis, nec ferre eisdem suppetias potestis. Porrò quantum ad Tormentorum exercitium bellicorũ, in terra tormẽta vestra bellica super suggestũ quinque pedum terræ lapidumq; altitudinis collocatis: in mari retro asserem trium digitorum latitudinis. In terra tormentum bellicum currit super planum solidum & securum, in mari super cõcavum semper inquietum, similiterq; inquietum ex parte cõtraria punctum ad quod dirigitur collimatio & explosio. Græci tormẽtum bellicum nuncupavere bombardã ob boarum; Latini *Tormentum*, quia feriendo corpus torquet oppositum: Ego illud in terra vocarem tormentũ & in mari torturam appellare: *Ignis, & Sulphur, & Spiritus procellarum*. Excellens geometrica requiritur scientia, ad ducendam certã

& rectam omninò lineã inter duo puncta inconstantia, juxta quam glans dirigitur cum effectu. Verũ hæc omnia exequi potest peritus & sapiens Balistarius Nauticus cum majore hostium strage quàm suprà retulimus, explosione unica, eo quod agat in mari, quod successum fortiri non potest in terra. Celebris Scripturæ exẽplo me explicabo.

Occasione conditi à Davide morituro Testamenti Scriptura sacra insigniorum ipsius Bellidum, conscripsit catalogum, qui potissima & præstantissima sunt hæreditas quam Rex qui piã filio suo relinquere potest: quod optimè expertus est Philippus secundus Rex Hispaniæ in eis quos à Carolo parente hæreditavit. Incipit itaq; Catalogus: *Hec nomina fortium David*. Fortiũ horum triginta numerabantur, ex toto exercitu electi, & triginta fortes Israel dicti: ex his triginta tres erant electi, tres fortes vocati: & ex his tribus electus unus, non fortissimus, sed sapientissimus appellatus, Notatu dignissima sunt illa textus verba: *Sedẽs in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno*. quasi diceret: Sedebat in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, qui octingentos occidit impetu

2. Reg. 23
v. 8.

Ibid.

uno, & est velut vermiculus sine viribus arborum rodens radices. Tria non vulgaria dubia textus hic continet. Si primus hic Bellidux Princepsque Davidis octingentos interfecit; quomodo interficere illos poterat impetu uno, *Interfecit octingentos impetu uno*: Et si non tantum inter triginta, sed inter tres fortium Israel, erat fortissimus, quare non robustissimus, sed sapientissimus vocatur, *sapientissimus inter tres*? Denique si heroicum hoc facinus scriptura sacra comparatione aliqua describit, quare imbecillo cuiusdam arborum radices rodenti vermiculo illum comparat: *Ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus*? Literali historię hujus explicatione relicta, quę difficultate non caret: Ego qui solum ipsam Exempli causā retuli, dico in ea admirabiliter esse expressum & depictum, quantum sapiens tormentorū bellicorum præfectus unica tantū explosione, in terra sed in mari operari possit. In navem aliquam primariam, seu aliam majoris molis bellicam, si glans penetraverit, locum ubi pulvis nitratus asservatur, & oppositam navis partē perterebraverit, sicut quandoq; accidit, sine dubio explosione tantum unica illā demerget in profundū, & hoc casu uno tantum impetu octingentos & plures interficiet homines :

Interfecit octingentos impetu uno. Pro victoria verò tam notabili, quo nomine, quæve fama rei tormentarię præses decorabitur: Non nomine, seu fama fortissimi, sed sapientissimi: opus enim istud non fuit actus virium roborisve sui brachii, sed scientiæ practicę Geometrię militaris, quā tā exactē & ad amissim explosionem glandemq; scivit dirigere, & hinc sapientissimus in arte: *sapientissimus inter tres*. Denique ad tollendam editæ infirmo instrumento stragis admirationē, S. Scriptura vermiculi imbecillis arboris radices rodentis comparationem adducit: quia hominibus multis sub arbore congregatis, si hæc ob radicū defectum super eos ceciderit subitaneoque lapsu simul omnes uno velut impetu oppressos peremerit: primaria profectò ruinæ hujus & stragis causa non altitudini, vastitati & molī arboris, sed vermiculo qui radices ejus corrosit adscribenda est: *Ipse tanquam tenerrimus ligni vermiculus.*

Hoc singulari exemplo liquet, quanto plus possit in mari quam in terra, machina bellica; conspirantibus invicem sibi que mutuo succurrentibus ignis & aquæ Elementis. Jam olim contra Pharaonem eadem bina conspirant Elementa in *Egypto: Grando, & ignis, missa pari-*

Exod. 9. v. 24. *pariter ferebantur.* Idemque fœdus naturaliter in cunctis ineunt pugnis præliisque navalibus. Ignis consumit & comburit, aqua sedat & extinguit: ignis interficit & occidit, aqua sepelit. Sed si tantam stragem infert & inferre potest tormentum unum bellicum navibus hostium, hinc inferendum & reflectendum est (uti Agamemnon fecit in incendio Trojæ) idem eventurum navibus nostris, nisi potentio rem aliquam habuerimus protectionem, quæ nos præservet & defendat. Profectò non pia minus & christiana, quàm provida est illa architectura, quâ in omnibus navibus bellicis, quæ non aliter ac civitates mari innatant, domum seu locum, quem Hæretici minus devoti armamentarium nuncupant, nos velut Sacellum S. Barbaræ dedicamus in locis abditissimis ubi pulvis custoditur: ac si fides nostra seu fiducia, oculis in supremæ hujus protectricis vigilantiam defixis diceret: *Non sinet per-*

Matth. 24. v. 43.

fodi domum suam. Alia S. Barbaræ miracula non æquè mihi videntur necessaria, quàm universale illud & continuum in omnibus vasis navibusque bellicis, quæ aptiora sunt ad capiendâ præparata incendia, quàm equus Trojanus.

Moyles in desertis Madian rubum videns ardentem & non com-

bustum, dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Mirabile consistebat in eo, quod cum ignis tam vicinus & inhærens quasi esset rubo, hic nihilominus illum non admittendo viridis remaneret; ita ut, sicut benè notat Philo Hebræus, rubus potius ignem, quàm ignis rubum comburere videretur: & vice ejus, quod ignis idem illum exureret, irrigaret potius, ut magis virefceret. Hinc Moyles illud non tantum miraculum & visionem, sed magnam appellavit: *Visionem hanc magnam.* Porro visio non fuisset magna, neque miraculum, nisi ea ignis edacitas esset & voracitas, qualis realiter existit. Sub hoc mysterio antiquitas Vulcanum Deum ignis claudum baculoque innixum finxere, quia cætera inter elementa solus ignis materiam indiget sustentaculo. Terra, aër, aqua sustentantur & conservantur in seipsis: ignis deficiente sustentaculo, extinguitur & interit. Sic ignis in lampadibus fatuarum virginum defectu olei fuit extinctus. Porro ab hac nutrimenti necessitate ad se conservandum, illa, igni innascitur voracitas, quâ tam facile adhæret & accenditur, tantoque magis, quò magis disposita est materia. Hoc supposito quis non reputabit miraculum, immò miracula continua S. Barbaræ,

Exod. 3. v. 3.

quod in navibus bellicis, in quibus perpetuò conservatur ignis, & multi ignes, non invadat adeò dispositas materias prout sunt ipsa corpora navalia? potestne dari disposita magis gulamque provocans ignis materia, quam tabulæ siccæ, bitumen, axungia, sebum, stuppa, pulvis nitratus, & hæc omnia vento afflata, & in motu perpetuo qui seipso excitat calorem, & hic ignem? si nubes humidæ & frigidæ per antiperistaltin naturaliter producant ignem, quomodo in materiis sic dispositis eisdem non operatur effectus, totum aquæ elementum, quod eas circuit à natura magis humidum & frigidum? sed enim quia extant argumenta quibus eadem mirabilia melius demonstrantur ex visu, quam ea expendere & ponderare possit discursus: agite, grandiore navem S. Dominicus dictam, navem regiam classisque nostræ primariam quæ in quatuor præliis navalibus Pernambuci habitis, triginta quinque Hollandicarum navium impetum excepit ob oculos vobis ponite: Quid intus & foris in ipsa, pulchro inquam illo & terribili, durante quatriduano hoc conflictu, videbatur fortalitio? habebat navis hæc sexaginta tormenta bellica, sexcentis etiam sclopetariis instructa: Cùm que Æthnam montem

referret, lentè se movens, flammæ & fulmina ferri & plumbi, tot oribus quàm majoribus, quàm minoribus evomeret, milites omnes darent acciperentve, immitentes & exonerantes nitratum pulverem, iisdem manibus faces tenerent accensos, in tot bellicorum instrumentorum medio; cumq; vel una suffecisset scintilla ad totale excitandum incendium, quò tota illa machina momento in aërem fuisset evibrata: quod in tanta confusione, pulverisque nitrati & ignis vicinitate, navis capitalis agitatæ a plustribus, conflictus victrix, non secus ac rupes undis tantùm & non glandibus impetita, secuta fuerit; quis ibi inficias supplèssè ibidem vigilantiam & protectionem sanctæ Barbaræ, quod humana nulla evitare potuisset providentia?

§. VIII.

HOc agnoscens & recognoscens tota Catholica militia quales tam mari, quam terra protectrici suæ S. Barbaræ laudes debet & congratulationes? Quanam verò ego majoribus minoribusve rei tormentariæ præfectis & officialibus subditis ipsius & devotis præcepta & monita dabo? ad Epinicia decantanda & celebranda S. Barbaræ

baræ, currus se mihi offerebat Eliæ, eò quod esset igneus, sed quamvis tam singularis inter omnes, quos admirabundus vidit mundus, non tamen ullatenus debitam Sanctæ nostræ pompam majestatemque adæquat: nobis in hoc puncto deserviet tantum observare in eodem igne differentiam, quo pacto umbræ & opposita magis illustrent contraria. Scriptura sacra modum describens, quo Elias raptus è terra, ab Elisæo est divisus, mediante curru ab equis tracto id factum asserit, currum equosque & omnia ignea fuisse adjungens: *Et ecce currus igneus, & equi ignei dividerunt utrumque.* Quia verò Textus sacer rationē non dat, quare Elias per aërem curru igneo triumphans ascenderit, cum splendide magis hoc deauratis nubibus, radiisq; Solis intermicantibus fieri potuisset: ex aliis eisdem Scripturæ locis SS. PP. verā hanc causam deducunt. Quando Elias confugerat ad montem, Rex Ochozias missō quinquagenario Principe cum subditis sibi quinquaginta militibus illum adesse iussit. Qui montem conscendens, in montis vertice residentem dixit: *Homo Dei, hæc dicit Rex, festina, descende.* q. d. Homo Dei, Rex te festinanter ad loquendum secum descendere jubet. Et quid Elias ad hæc respondit? *Si homo Dei sum, descen-*

dat ignis de cælo, & devoret te & ibid. quinquaginta tuos. Sic dixit, & mox ita factum est: *Descēdit ergo ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.* Quod cum innotuisset Regi, *misit ad eum Principem quinquagenarium alterum, cum eisdem numeri militibus: quo idem intimante mandatum, idem quoque Eliæ fuit responsum cum primo, & quinquagenarius, & omnes cum eo milites ab igne cœlesti fuere consumpti.* tale imperium in ignem Deus Eliæ contulerat, quo quia tam despotice utebatur, hinc idem ignis ei subiectus & velut subditus in currum & equos fuit conversus, ut triumphantem deducerent: *Ignis Eliam quasi suum Imperatorem reveretur, eique quasi famulus suum ultro offert obsequium.* inquit S. Chrysostomus, & alii Interpretes literales, Cornelius &c.

Agedum ignem cum igne, imperium cum imperio, & Barbaram cum Elia combinemus. Eliæ & Barbaræ Deus imperium donavit ignis: sed ecce quā differente majestate uterque imperium istud exercet! Elias igni devorare & consumere præcipit, & Barbara, consumere & concremare prohibet: Elias igni homines comburere mandat, Barbara illos tangere vetat: ignis igitur obediendo Eliæ, coneremat & consumit

4. Reg. 2.
v. 11.

4. Reg. 1.

ibid.

Corn. in
c. Eccles.
48. v. 8.

mit velut ignis, qualis est; sed obediendo Barbaræ, velut propriam perdidisset naturam, deserit esse quod est, ne desit officio ad quod tenetur. Ex parte Eliæ æqualis videtur esse potestas in imperio, ex parte verò Barbaræ multò major videtur esse in obedientia. Missum in lacum Leonum Danielem si bestia devorasset, nihil miri habuisset: sed quod famelici objecto sibi pastu seu cibo voracitatem refrænârint, abstinentiæ eorum miraculum comprobabat: porrò illud faciebat Elias homines igni ad devorandum tradendo; & hoc facit Barbaranos ab ignibus liberando. Pulchrâ sanè consequentiâ, Elias ignem de cœlo descendere faciebat! *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te.* Sufficitne in signum, quod ignis sit de cœlo & à Deo, si comburatur & consumat homines: dicendum ipsi potius fuisset, si homo Dei sum, seu à Deo, rogabo Deum pro te, teque protegam, & defendam: & istud Sanctam nostram probat, propriè magis à Deo provenire. Elias imperando igni, à Deo se esse monstrabat, sed à Deo vindice, rigido & severo: & Barbara eodem in imperio se à Deo esse perhibet, sed à Deo propitio, indulgente, misericordissimo, & benigno; denique à Deo tali, de quo magis gloriatur Deus.

Nullus ambiget quin comparato imperio ad imperium; ulus ipsius & exercitium, multò magis fuerit humanum & beneficium, & hinc in Barbara, quàm Elia divinius. Et transeundo comparationem ignis ad ignem, quemadmodum in eo cui dominatur S. Barbara, magnam deteximus novitatem, sic idem combinando dominium verè ascendemus, quò tantùm pertingere potest exaggeratio; & quo nullatenus transire potest imaginatio.

Communem Historicorum de primo pulveris nitrati inventore opinionem jam diximus: sed benè lectis & intellectis Scripturis sacris inveniemus jam quater millenis ante annis Deum in igne artificiali pulverem invenisse, quem super Sodomam & Gomorrhâ pluerat. Ignem istum non naturalem sed artificialem fuisse, ex verbis constat, quibus Moyses eandem texit historiam, dicens, quod Deus pluerit de cœlo sulphur & ignem ab ipso Domino Deo factum: *Dominus pluit super Sodomam sulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Ubi valdè novus & notatu dignus est ille terminus, *Dominus à Domino*, ad declarandum, prout omnes notant Interpretes; tale ignis genus non fuisse causarum effectum naturalium, sed artis sapientiæ que divi-

Gen. 19.
v. 24.

divinæ, quæ nihil de novo creat, sed res jam creatas disponendo, & inter se conjungendo novos & mirabiles producit effectus, qualis ignis ille verè artificialis exitit. Veruntamen ut artificium idem esset quod pulveris rextus istè ad hoc probandum non sufficit, sulphuris enim tantum mentionem ingerit, ignem & sulphur. Alium nihilominus habemus textum in Deuteronomio, quo idem Moyses ignem eundem iteratò describit expressè asserens hunc ignem ex sulphure & nitro, quæ duo sunt pulveris ingredientia fuisse compositum: *Sulphure & salis ardore comburens in exemplum subversionis Sodome.* Ab hoc igitur igne, & primo incendio quod pulvis excitavit in mundo, Deus Lothum liberavit. Sed quo pacto? mediantibus non tantum duobus Angelis, sed hisce ipsis duas personas divinas representantibus, erant quippè duo è tribus qui in convalle Mambre apparuerunt Abrahamo: quem admodum etiam Angelus, qui tres pueros de fornace Babylonica liberavit, secundam SS. Trinitatis personam scilicet Filium representabat: *Et species quartis similis Filio Dei.* Porro quando Deus hominem, qualis erat Loth, à primo pulveris liberaturus incendio duobus curam hæc committit Angelis, & hisce divinarum

personarum representatoribus: advertite quæso, quale sit imperium, dominium & autoritas S. Barbaræ, cui soli Deus universalem omnes omnino homines, terra marique, ab eisdem pulveris liberandi, protegendiq; incendiis curam sollicitudinemque commendavit!

Fabricent igitur Seraphini, similiter ardentis & ignei novum curum triumphalem S. Barbaræ, meliorem gloriosioremq; illo Eliæ: cui non lætuosis & funestis in urnis combustorum & mortuorum præferantur cineres, sed quem vivi præcedant congratulantes & applaudentes supremæ protectrici suæ omnes illi (numero innumerabili) quos ab igne & incendio liberavit. Et insignis noster Dux Claffarius, qui tanto hodie apparatu & magnificentia, eandem triumphatricem celebrat, nobilissimam triumphorum suorum partem æstimet, in curribus deauratis rotare & circumagere acquisita tot tantisque victoriis navigia, quibus melius, quàm columnis æneis, illustrissima domus suæ exornantur portæ & atria: dignus immortalis illius heredis successor, qui Martis ad instar patriæ illam defendit in bello: nec non more patris, præclusis Jano januis & portis, victoriosam illam reliquit in pace.

§. IX.

AD vos nunc convertatur oratio
(animosi Vulcani ministri & artifices, qui periculosissimum continuò ignis exercetis opificiũ, periculosissimis artis vestræ instrumentis) epilogi & coronidis loco vobis dico, ne elabi sinatis bonum aliquod, quod in mundum intulit usus & inventio pulveris. Ex vipera non venenum tantummodo, sed etiam theriaca conficitur. Enim verò quidnam boni in mundum pulvis nitratus invexit? veritatem unam universalem scilicet, quod nullus jam hominum suis debeat fidere viribus. Olim erant Achilles, erant Hercules, erant Sansones: pulvere nitrato in mundum jam ingrasso, brachiorum robur & fortitudo æstimari desinit. Pygmæus duabus unciis pulveris maximum profertere potest Gigantem. quo fundamento putatis Philosophiam symbolicã de fabulis finxisse, quod Gigantes bellum intulerint cœlo, ad turbandum è folio suo Jovem, nisi quia intellexerunt & demonstrare voluerunt sapietẽs illi, quod homines virium suarum robore confidentes, Deum non metuant, nec illum venerentur, ac si ab ipso non dependerent. Sacriligam & blasphemam audite arrogantiam, quam quidam eorum protulit nomine Mesencius.

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Id est, Deus meus est brachium meũ, & lancea mea. Profectò Dux superbissime non præsumptuosè adeò fuisse locutus, si illo vixisset tempore, quò minimus militum hostilis exercitus ignivomo tibi ore respondiisset. Hanc igitur veritatem pulvis in mundum invexit, ut omnis homo, multoq; magis in bello, & debello viventes sibi persuadeant, quod solus Deus, & non brachium eorum, nec gladius, nec hasta vitam ipsis conservare possit. Quod miles ille tam generosus & robustus David manibus non armatis interficiens Urso, & Leones suffocans, ita protestatur: *Gladius meus non salvabit me.*

Ad hoc igitur pulvis serviat, quẽ manibus se pergeritis, ut memores discriminis, in quo qualiter vitã geritis, taliter eã agatis, ut grata sit Deo, à quo ob tã ordinaria accidẽtia magis depẽdet, quã ab aliis hominibus. Et potentẽ vigilantissimæ vestræ protectricis S. Barbaræ intercessionẽ imploratis: à qua devotione & invocatione finaliter vobis promitto, id quod eadẽ S. variis exemplis probavit in mundo. Imò in firmamũ medio ardẽtibus invocato ejus nomine. si nõ omninò vitã talvat tẽporalẽ, saltẽ eã sustentat & prolõgat quãtũ sufficit, ut acceptis Sacramentis vitã consequatur æternã,

SERMO

(363)

S E R M O

P R O

Sabbatho ante Dominicam

Palmarum.

In Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ de Exilio,

Bahia, Anno 1634.

Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudeis, & credebant in Iesum. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia Iesus venit Ierosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obviam ei. Joann. 12.

viam ei. Joann. 12.

S. I.



Hæc est prolixum, sed sermo erit succinctus. Verba sunt S. Joannis Evangelistæ c. 12. suæ sacræ Historiæ, innuere volunt: quod Principes Sacerdotum inerint consilium. Mox ut in principium hoc offendi, suspensus mecum consideravi. Consilium, Principes Sacerdotum! sine dubio grandia ex eò prodibunt & emanabunt Reipublicæ bona: Gens est Ecclesiastica, & consequenter sancta & literata; quid enim aliud eorum sperari potest consilio, nisi

magnæ Gloriæ divinæ bonique publici promotio: Hæc mente volubam, & mihi imaginabar, sed decipsum. Et contra Deum, & contra homines agitabatur. Hoc spectabat, huc dirigebatur totum consilium, ut Christus quocumque modo & casu è vivis tolleretur: quod pridè decretum fuerat, istud significat ly &, *ut & Lazarum*, prout Doctores interpretantur: & ut non tantum necem inferrent Christo, sed etiam Lazarum tollere è medio, quem paulò ante Christus suscitaverat: *Ut & Lazarum interficerent.* Nunquid distorta magis &

passionata institui possunt iudicia ; num enormior pronuntiari potest sententia ? causas allegatas audiamus , & multò mirabimur amplius. Moriarur , inquit , Christus , quia miracula patrat , quia sanitate in infirmis confert , mortuisque vitam restituit , quia in amore , & honore habetur , quia plebs ipsum sequitur : & moriatur Lazarus , quia virtute Christi suscitatus amor illi , honori & sequelæ occasio : em prabet. *Quia multi propter illum abibant ex Iudæis & credebant in Iesum* , Honore dignissimum crimen ! omnia ista facta sunt hodie : *In crastinum autem* inquit Evangelista , Gloriæ Princeps triumphantis in modum Ierusalem equitandò intravit , (modestiæ tamen suæ humilitati , que limites non excedens) pomposi comitatus vices subeunte infinita plebis multitudine , cum palmis & acclamationibus devotè ipsum prosequente : *Turba multa qua venerat ad diem festum , acceperunt ramos palmarum , & processerunt obviam ei* . Usque huc ad litteram nostri Thematæ. *quod* videbimus , est causa criminalis , sententialiter decisa , appellationi subiecta , revocata . Ex primo Tribunali fontes exhibunt accusati : E secundo iudices exhibunt condemnati . Nihil ferè horum

Thema nostrum continere videretur , sed ex eo omnia deducemus . Non statim illud demonstro , ne duplex tempus infumendo perdam . Gratiam impleremus .

§. II.

PLato Judicibus & Gubernatoribus consultum esse asserbat capeffendis indormire resolutionibus . Magno Philosopho videbatur , iudicium cum Cervicalibus agitatum , magis ab affectuum motibus semotum , & sedarum necessariò proditurum . Ita Judicibus nostris Ecclesiasticis , principibus scilicet Sacerdotum accidit ; super resolutione heri decreta , tollendi videlicet vitam Christo dormierunt ; sed hodie experrecti ex somno super tam distorto & inordinato concordarunt consilio , quale fuit injustissimam , atrocissimam , magisque sacrilegam , quam unquam aut data fuit , aut dari potuit in mundo , confirmare sententiam . Ego quidem potius Dominos Principes Sacerdotum interrogare malle . Domini , patrare miracula , suscitare mortuos , æstimari , amari , in honore haberi , quid , quæso , reatus , quid reprehensionis , quid culpæ habet , quam legem offendit ? in Exodo , in Levitico , in Deuteronomio , qui sunt Ca-
nones

nones & Codices ex quibus vos dirigitis, nullus invenitur textus, qui illud prohibeat: ignorantiae igitur imputabitur? auctoritati & dignitati Tribunalis vestri profectò derogaret, qui talem de ipso præsumeret. Omnium rationem paucissimis verbis dedit Euthymius: *Itaque totares est invidia*: Jam non miror Sacerdotum Principes in ipsa bonitate repetisse crimina, culpas in ipsa innocentia, in Christo peccata: nam in Tribunalibus seu publicis, seu privatis præfidente invidia, virtutes sunt crimina, culpæ sunt merita, & qualitates bonæ seu opera sunt vitia.

Euthym

Saul die quâdam melancholiâ & tristitiâ oppressus, instrumentis musicis benè ludere callentem inquiri sibi petiit; num ad relevandam potiùs, quàm augendam melancholiam nescio. Accurrens mox aulicorum quispiam, dixit, Majestatem suam ad hoc meliorem David: invenire non posse; nam præterquam quod bene sciret psallere, simul juvenis esset Generosus, robustus, rerum bellicarum bene peritus, prudens, & super omnia virtutibus insignis, Deumque timens: *Vidi filium Isai scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicum, & prudentem in verbis, & virum pul-*

chrum, & Dominus est cum eo. Num quid amplius in laudem & Encomium Davidis dici potuit? Dicere mihi videntur omnes quotquot audierunt, multum in eo situm, si quis amicum in aula habeat; & illum verum esse Davidis amicum, qui sciret pro ipso tam splendida Regi præsentare officia. Ingenium hoc est mûdi, ut excellentioris amicitiae argumenta sæpenumero æstimet, quæ non nisi absolutissima sunt odia. Doctores Hebraici, quos Nicolaus de Lyra refert, Aulicum hîc locutum, Capitalem Davidis hostem, Doëg fuisse affirmant. Infensissimus Davidis inimicus, & tam rethoricè laudes ejus depromit Capitalis Davidis inimicus, & tam vili & abjecto ex fundamento, quale est saltem seu citharæ dum esse, occasionem sumendo tantam qualitatum ipsius feriem! sic se res habet. Intentionem ejus Lusitanus nostræ societatis expositor gravis egregiè explicavit: *Sciebat Saulem esse invidum, & alienis laudibus incredibiliter cruciari: laudat igitur Davidem apud Saulem, ut Saul invidia stimulis agitat us interficiat Davidem, q. d. Noverat Doëg, Saulem singularem esse æmulum Davidis, invidiaq; stimulantem valde ipsi infensum: quoniam verò in judicio invidorum merita sunt cul-*

1. Reg. 16
v. 18.

par, & excellentiores qualitates sunt delicta & vitia, coram Saule laudibus extulit Davidem, quò Saul, pro ut fecit, mortis in Davidem sententiã pronuntiaret. Prudentem, bellicosum, generosum, virtuosum, omnibusq; aliis bonis qualitatibus affatum eum dotatum prædicavit: proinde totam hanc elogiorum Lytaniã rectè audiens, non incongrue pro Davide dicere potuisset: *Orate pro eo*. Capitula ac articuli contra eum Regi præsentata, non minus quam læsæ Majestatis reum ipsum agebant. Videbantur laudes, & erant accusationes: videbantur recomendatiõnes, & erant Calumniæ. Innocens in suis virtutibus calumniam patiebatur, & ex bonorum operum suorum meritis reus agebatur, neque innocentia sua defensus, neque bene meritis adjutus: quia iudex erat invidus,

Quã bene illud hoc modo idem David intellexit! Confirmationem nobis præstet, qui probationem nobis præbuit. David Juvenis persecutionem fugiens, ad aulam Regis Achis, regnumque Saulis Regis regno inimicum se contulit, ideoque tutus videbatur. Pergebat solitarius & incognitus; sed quia suam secum famam circumferebat, hæc verè

nunquam novit servare secretum: mox ut increbuisse Generosum advenisse Israelitam, qui Goliath Gigantem interfecisset; ille scilicet, cui Hierosolymitanæ mulieres compositum à se, & omnium ore tum temporis versatum, decantassent versum: *Percussit Saul mille, David decem millia*. Ecce quã admirabile, quod sequitur! Mox ut audivit David quod acciderat, inquit scriptura, quod formidaverit in conspectu Regis Achis comparere: *Posuit David sermones istos in corde suo, & eximuit valde à facie Achis Regis*. Denique resolvit inde fugiendo speluncam subire: *Fugit autem inde in speluncam Odolam*. Qualis tua, ô David est solutio? Quid te movet solitarius agere in deserto, quando te vides tanto opere commendatum in aula? Quid causæ est, quod tanta laudis fama ornatum te videns, apud Regem, ab ejus præsentia fugis? Intellegebat illud David ut prudens; & operabatur ut expertus. In tribunali invidiæ Laudes sunt accusationes: proinde quia David se videbat ad eò laudatum, factus est inimicus. Videre se laudatum, erat videre accusatum: qualitates suas videre relatas, erat cul-

1. Reg. 21

v. 11.

Ibid. v.

12.

1. Reg. 22

v. 1.

pas suas videre probatas. Gravissima igitur ratione motus semetipsum humiliando, tam à se quam ab hostibus fugit. Sarrapè, et primique Regis Achis Ministri magnis contra Hebræos stimulis exagitabantur invidiæ, quo pacto igitur manus eorum evadere poterat David, in eademque degere aula, de suis victoriis criminofus, & de fama tuareus? Porrò si traductus fuisset David, de crimine falsi, de perjurio, de adulterio, furto, homicidio, & aliis, si quæ enormiores dari possint, infamæ notis, David securus obambulasset in aula, & perquam fidenter palatium Regis fuisset ingressus: Ibi quippe servitia ista sua habent præmia; vel saltem transeunt impunita. Verum tot tantisque prædicatis de ipso virtutibus, excellentiis, tot facinoribus heroicis, tot qualitatibus, prudenter sanè egit sese humiliando & fugiendo: siquidem omnia illa elogia, & laudum præconia erant contraria personæ Regis & familiarium ejus erimina, & irremissibilia contra leges invidiæ delicta. Meo quidem iudicio mandata dabuntur legis invidiæ, prout præcepta dantur legis Divinæ. Præcepta Dei

mandant, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices: Leges invidiæ dicunt, non honoraberis, non ditaberis, non æstimaberis, prudens non habebertis, ad iunq; non eris prædicator bonus: & casu quo divina vobis favente gratia ad dignitatem aliquam fueritis evecti, manu gladium stringatis, sitis generosi, divites & honorati eodem momento in tribunali invidiæ delictorum rei tenemini, quia mandata ipsius & præcepta estis prævaricati. Hæc ob culpas David in tam periculoso versatus fuit statu: ob eandem culpas hodie Christus Filius ejus, quem sic in Evangelio appellarunt turbæ, fuit condemnatus: *Hosanna Filio David*. Celeberrimus erat prædicator, multorum mirabilium patrator, infirmorum sanator, mortuorum suscitator, porrò quia hæ excellentiæ vel culpæ, applausibus, acclamationibus, amore, concursu & sequela populi erant probatæ; *Multi abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum*: Decretum primum fuit confirmatum, & sententia secunda prolata, ut moriatur Christus: *Ut & Lazarum, id est, ut Christum, & Lazarum interficiant.*

S. III.

Sed esto, justè seu injustè ut quid verò Lazarum condemnant? naturalis ipsi non denegetur defensio. Si illum condemnant, uti dicunt, quia Christus ipsum resuscitavit: quàm, quæso, reatus speciem habet hominem esse à morte resuscitatum? tam remotus, hoc casu, fuit à culpa, ut nec in actu eam habuerit, nec in potentia; neque illam habuerit, neque habere potuerit. Christus adolescentem à nativitate cæcum curavit, & Discipuli appositam valde ad rem movere se putantes quæstionem interrogarunt: *Domine, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quæstionem hanc meritò derident Expositores, & singulariter Theophilactus: si enim adolescens natus fuisset cæcus ob peccata sua, sequeretur necdum natum peccasse: & quid ineptius & impertinentius dici potest, quàm hominem habere peccata, antequam habeat esse: ante esse peccatorem, quàm hominem? non minus innocens isto erat Lazarus. Erat mortuus quando Christus illum resuscitavit, & beneficio non Entis vel non Existentis erat impiccabilis: ita ut hoc casu ipsi quadrare possit, quod de maximo amicum suorum Eurialo Nisus af-

seruit: *Nihil iste, nec ausus, nec potuit.* Non habuit culpam, nec habere potest: innocens actu, & potentia. Verum enim verò licet hoc ita se habeat, tam lyncè invidiæ sunt oculi, ut in hisce peccandi impossibilitatibus, morte dignas retexerint & deprehenderint culpas: *Ut & Lazarum interficerent.* Et quare? *Quia* (ecce culpam) *Quia multi propter illum credebant in Iesum.*

Super Joseph consilium inierunt fratres ejus: mortem ipsi decreverunt, & eisdem quasi verbis, qua hodiernum habet Evangelium: *Cogitaverunt eum interficere.* Nota est causa: Jacob præ cæteris teneriùs eum amabat, & præter quotidianum habitum pastoritium fecerat ei *tunicam polymitam*, qua diebus festivioribus indutus cæteris pastoribus præfulgebat. Eheu quot tales hodie in mundo dantur Josephi! Invidia, detractionibus, aliisque insidiis imperiti! Quare? *Quia* fortunæ favore meliore sunt veste induti. Hoc pacto insons cõdemnatus erat adolescens, quando fortuna ipsius & felicitas mercatorem Ismaelitam eo deduxit, qui viginti eum argenteis licitatus est, quando cupidissimi fratres numero decem, singuli pro duobus argenteis, qui se contingebant, & fratrem suum, & conscientias suas vendiderunt.

Invi-

Gen. 37.
v. 18.

Invidiarum fomite & causa, scilicet tunica, jam eum exuerant; & Joseph tergum vix verterat, & venditores illam apprehensam in frustra dilacerant. Sed heus sistite hic Fratres ingrati, sistite, respondete; Verbis vobiscum contendere statui. Nunquid Joseph venditus est? Nunquid ira, & indignatio vestra jam exsatiata est? Nunquid furori vestro satisfactum est? Tunica hæc quid reatus commisit, aut contrahere potuit? Ut quid eam dilaceratis? quare in frustra conscinditis; probè novi quod ad respondendum mihi verba vos deficiant: sed pro vobis Rupertus Abbas respondebit: *Fraterna Gloria monumentum impeccabile* (notate bene illud impeccabile) *fraterna Gloria monumentum impeccabile laceratur: adeo nec morte, nec venditione satiatur invidia.* Omni culpa vacabat Josephi tunica; sed enim, quomodo illam habere poterat sericum, seu lana insensibilis & voluntate carens? Nihilominus in naturali incapacitate, & impossibilitate peccandi, Josephi fratres aliquam invenerunt; & tanquam instrumentum Josephi Gloriæ deservivit: *Fraterna Gloria monumentum.* Tunica hæc singularis Jacob affectus erat Symbolum, Jo-

sephi erat ornamentum, quo cæteris præfulgebat fratribus, quo honorem & respectum sibi conciliabat apud extraneos; & hoc sufficiebat illi pro culpa, ut scinderetur sine culpa: *Monumentum impeccabile laceratur.* Ignoro sanè num in tota Scriptura sacra inveniri possit casus, seu locus, qui magis ad vivum id declarare possit, de quo agimus. Culpæ nihil admisérat, nec admittere poterat Lazarus, quando illum suscitavit Christus, prout vidimus; Porro in hac summa innocentia, imò in hac impeccabilitate absolutissima, invidia culpas, & quidem morte dignas detegere novit, quæ instrumentaliter Gloriæ Christi deservierunt: *Quia multi propter illum credebant in Iesum.* Celebris fuit, immò cunctis celebrior Lazari fuit resurrectio, admirante & obstupescente populo, quod viderent per plateas Civitatis Jerusalem obambulantem, quem noverant quatrduanum mortuum in sepulchro; Et quia stupor hic omnis & admiratio in famam Gloriamque redundabat suscitatoris, eo quod instrumenti adinstar Gloriosæ huic famæ subserviret, & Lazarum reum mortis agunt: *Vt & Lazarum interficerent:* Non fecius ac invidia fratrum Josephi, non contenta vindicta & rabie in

Rupert.
Abbas.

Pars V.

Aaa

fra-

fratrem, etiam ex fonte tunica indignationis fuit leuimen & latetatem quaesivit: *adeo nec morte, nec venditione sattatur inuidia.*

§. IV.

PRonunciata in Christum, & Lazarum sententia iniusta; sic ut Innocentia, quando magis tacet, tanto melius coram Deo profese allegat & perorat. Sic silentium illud in divino ipsius tribunali pro appellatione seruit. Nec diu tardavit expeditio (nam caelesti in iudicio dilationibus non est locus) quod inde emanavit, duo fuere decreta contra duos Pontifices hoc modo. Primum, ut lata contra Lazarum sententia necdum executioni daretur, ut suspensa maneret, *Cogitauerunt*. Secundum ut Christus altero die triumphans Ierusalem ingressus, cum ramis palmarum, & honorificis acclamationibus a populo exciperetur: *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.* Ita habet thema. Sed argui mihi videor. Nonne promissam in principio, in sententiarum revocatione Iudices fore contemnentes? ubinam istae sunt condemnationes? ubinam istae sunt poenae? Gratia loco hoc est habendum, quod sint, & non appareant. Mortem Lazari executioni non dari, prima fuit poena: Christum triumphantem ingredi Ierusalem,

poena fuit secunda. Visa prima, mox transibimus ad secundam.

Job lepra erat operatus, simulque doloribus aliusque arumnis oppressus & circumseptus, quod toties auditum & de clamatum, & nunquam cordi dignè exaggeratum est in pulpitis; in querimonias erumpens sic dice: *eccepit: Dies mei transferunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.* q. d. Dies mei simul cum oblectamentis quae habebam in eis transferunt; qui ut non durarent diu, meos esse sufficiebat, *Dies mei*; Conceptus quidem aliquos formaverem, *Cogitationes meae*. Sed hos fortuna fecit abortivos, nec ad executionem pervenerunt, *Dissipatae sunt*; & hoc, inquit

Job, tanquam poenarum omnium acerbissimum, gravissimè fero: quotquot enim tunc fuere conceptus & cogitationes, tot modo animam meam excruciantes, patior carnifices cor meum torquentes, *torquentes cor meum*. Mirari sat nequeo, quod homo tanta praeditus prudentia, ut magni faceret tormenta, cum simili prodeat querela. Enim verò tu patientiae Exemplar, tantus es fortunae amicus, ut de rebus tantillis conqueraris? Nunquid facultatem & bonorum iacturam fecisti, nunquid filiorum mortes audivisti, nunquid Domus stratusque tui everfionem perpeffus es, nunquid

Job. 17.
v. 11.

quid

quid dolores, tristitias, derelictiones, miserias, corpusq; tuum totum in vulnus unum conversum sustinisti? quàm, quæ so, comparationē habent ista omnia ad cōceptus cogitationē sive tuas relata, ut de hisce tantummodo querimonias emittas, quod finem intentum non fuerint consecuta, *Cogitationes meae dissipatae sunt?* Tanquam insignis Patientiae Magister fuit locutus, Job expertus fuerat omnia, quid dolor, quid pœna, quid deniq; tormentū esset; proinde quia nihil dolorem tam excessivum, pœnam tam atrocem, tormentum tam intolerabile inferre deprehendit, quantum cogitatio finem non assecuta, intērio executione frustrata, cogitationes tantum suas & intentiones, in tanta querimoniarum materia, sine suo caruisse lamentatur, *Cogitationes meae dissipatae sunt.* Quoniam verò tam difficulter exaggerationi huic fidem habendam prævidit Job, illam Expositorū alicui credere recusans, commentatoris ipse partes desuper in se suscepit versiculo sequenti: *Si sustinuero, infernus domus mea est.* Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, & soror mea, vermicibus. Nemo Hyperboles esse putet aut exaggerationes phantasticas, id quod dico, revera enim tormentum quod patior adeo intolerabile & desperatum existit, ut si vel pau-

lulum protelatū fuerit, *Si sustinuero*, ad sepulchrū usq; deducere me sufficeret: Id quod mortui absque sensu experiuntur in sepulchris, hoc in me meæ exequantur cogitationes: non enim est corruptio adeo penetrans & annihilans, non sunt vermes cadaver aliquod adeo comedentes & erodentes, sicut cogitationes ipsæ cor meum mordicant, animamq; rodunt. Porrò pessimum est, quod occidēdo me non cessent, sed interficiendo me regenerent, ac si parentes mei essent, ad magis me execuciandum: *Putredini dixi: Pater meus es tu: Mater mea, & soror mea, vermicibus.* Agite comparemus seu coaferamus illud Job, *Cogitationes meae*, cum illo, *Cogitaverunt*, Judicum nostrorum; & videbimus utrum mancant condemnati, Intenderunt Lazarum interficere, *Cogitaverunt ut Lazarum interficerent.* Intentiones hæ executione frustratæ in aërem abierunt, *Cogitationes meae dissipatae sunt*, & sic sunt illas non executi carnifices & lictores respiraculum animæ obstruentes, *torquentes cor meum*, sententiam Dei in eis exequentes, sententiam non misit, quàm mortis & sepulchri, *Si sustinuero, sepulchrum domus mea est.*

Agendum curiosis nunc satisfaciamus. Supposito sententiā hanc sententiam fuisse mortis, & in-

Ibid. v.
Ez. 14.

ter sententias mortis tot tamque varias dari, interrogabit me fors quispiam, de quo genere fuerit mortis? Nomen illi imponere ignorans, dico, de illo mortium fuisse genere, quæ quantò magis torquent & excruciant, non tamen perimunt. Mors est interior sensibilis quidem, sed non explicabilis, tam inmitis & sæva, ut si Deus omnes istos Sacerdotum Principes, contra forum dignitatis ipsorum, ad palum seu patibulum suspendi mandasset, nimis quàm benigna, & mitis sententia reputanda fuisset. Achitophel consilium dedit Absoloni, quo executioni dato actum utique fuisset de Davide, contra quem impius rebellisque filius inturrexerat; Disponente cœlesti numine Absalon illo dimisso diversum omnino & contrarium à Chusai datum amplexus est. Quo viso sine mora Achitophel (casum auscultate rarum & stupendum) conscenso equo domum festinat, rebusque suis dispositis, immisso trahi laqueo se suspendit: *Abiit in domum suam, & disposita domo suâ, suspendio interiit.* Multæ super hoc casu quæstiones moveri possunt. Illa Canonistarum ad manum est, hoc movens, utrum iste in loco sacro sepeliendus sit necne: Porro scriptura ait, quod se-

pelierint ipsum in sepulchro Patris sui: *Sepelierunt eum cum patribus suis.* Veruntamen hoc non format argumentum; siquidem temporibus istis nec sepulchra erant in Ecclesia, neque conditum Capitulum, *Placuit.* Et posito, unum alterumve Sanctorum & Doctorum super hoc casu scripsisse; unustantum Rabbinus Achitophel iudicio turbatum fuisse asserit. Si fuit turbatus (modò quæstio mea subintrat) si Achitophel sanus erat iudicio sibi; præsens, quomodo tam insanum commisit actum, qualis est propriis sibi manibus suspendio vitam tollere? Scriptura istud affirmat, & mirificè intentum nostrum probat: *Videns quod non fuisset factum consilium suum, abiit in domum suam, & suspendio interiit.* Una & sola ratio & motivum, quare Achitophel se suspendit, inquit Scriptura, fuit, videre non executum fuisse consilium suum, *videns quod non fuisset factum consilium suum.* Equis rem tam atrocem crederet, quotquot demum Doctores eam assererent, nisi Spiritus sanctus illam affirmasset. Tam crudelis executor est consilium non executum: tales dolores, tales cruciatus, tales tor-
turas

turas infert animæ cogitantis & considerantis, ut homo integro iudicio, sibi que præsens, juxta prudentiæ dictamen è malis minus eligendo, propriis maluerit manibus appetitum mori in furca, quam tormenti ~~in~~ atrocis sustinere cruciatus. Sic illud expertus est Achitophel; utque eodem illud modò invidiosi experirentur Pontifices, ordinavit Deus, ut executionem non fortiretur initum inter ipsos consilium, Lazaro tollendi vitam; eodem ipso non executor remanente ipsis pro carnifice & tortore proprio ad eandem, seu fortè multò etiam truculentiorum inferendam mortem, quam Lazaro inferre decreverant: *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent.*

§. V.

Primà iniuste latà, contra Lazarum sententià, còdemnatos habemus iudices. Secundæ contra Christum latæ longè atrocior erat iniustitia: Quod ut pari pacto in ipsum met pœnam & acerbiorem transfret torturam, iussit Deus, sicut diximus, ut Christus triumphans Jerosolymam intraret; *Acceperunt ramos palmarum, & procefferunt obviam ei.* Pœnæ hujus acerbitas in absurdissima aliqua na-

turali invidorum conditione fundatur, quâ magis alienis discruciantur bonis & gloriâ, quam malis propriis & tormentis. Ingressus die quâdam templi Hierosolymitanum Christus, videntque in illo columbas, capras, agnos, immò & vitulos vendi, super irreverentia tanta zelo succensus, ex funibus quibus animalia illa fuerunt alligata, quasi confecto flagello venditores illos & emptores flagellare cepit. Nundinationes in Ecclesia factas Deus propria castigat manu, non commissa alii delictorum similium punitione, nullo habito dignitatis suæ respectu. Porro ego homines istos non usque adeò patienter laturos existimabo sic tractari à Christo, & siquidem à violenta manuum injectione abstinere, non tamen à blasphemis sibi temperaturos. Veruntamen revidendo textum, ne vel inadæquatam verbum contra Dominum, quâ talem ipsum agnoscentes, prolocutos fuisse inveni. S. Joannes Chrysostomus igitur locum hunc cum aliis vitæ ipsius diversis conferens, hanc format considerationem. Si quando, Christus sanavit mutum, illum sugillârunt velut dæmoniâc: si cælo illuminato, quomodo nunc eos flagellantem & velut mancipia tractantem, multò minùs honorifico

S. Chry-
sost. 2.

verbo impetunt? quare non accu-
sant? quare ipsum non lapidant?
quare non interficiunt? divine S.
P. Chrysoſtomus. *Animadverti-
tis invidiam incredibilem, & quo-
nam pacto in alios collata beneficia
magis eos irritabant? q d Nunquid
invidorum horum probrum vidi-
tis, quod magis bonis defervientur
alienis, quàm malis propriis: Quod
Christus infirmos curaret, mor-
tuos suscitaret, bona erant aliena,
hinc illud tam graviter ferebant, ut
Christum lapidare & occidere vel-
lent: à Christo flagellari, & tan-
quàm mancipia tractari, mala erant
propria. Proinde tam leviter ea
senserunt, ut ne durius quidem
verbulum Christo responderint.
Ulterius. Patrata à Christo mira-
cula famam gloriamque ipsi con-
ciliabant: flagella quibus illos casti-
gabat, pœnam ignominiamque il-
lis inferebant; sed quia gens invi-
diæ malo laborabat, acerbius fama
& gloria Christi, quàm pœna ig-
nominiaque propria loquebantur.
Excessum invidiæ non solum verè
admirabilem, sed & incredibilem!
Invidiam incredibilem. Exaggera-
tio videbitur quod confirmationis
ergo adducam: sed si de jussore non
carer.*

Ardebat in inferno dives epulo,
indeque Lazarum in Abraham si-
nu contemplatus, in hæc verba

prorupit: *Pater Abraham, miserere
mei, & mitte Lazarum, ut intingat
extremum digiti in aquam, ut refri-
geret linguam meam.* Luc. 16.
v. 24.

Abraham hanc illi refocillationem non iu-
dulsit: sed quia avaritiæ tam pro-
prium est petere, petitionem dives
epulo iteravit: *Rogò te Pater ut mit-
tas eum in domum patris mei, habeo
enim quinque fratres, ut testetur illis,
ne & ipsi veniant in hunc locum.* Ibid. 28.
Vel ego decipior, vel petitiones hæc
aliud referunt aliudque prætendunt.
Si inferni flammæ tam sunt truculen-
tæ, ut novimus, & dives epulo
noverat per experientiam, quo-
modo est possibile, ut extingui eas,
aut linguam tantillo aquæ refrige-
rari posse putaret, quantillum ex-
tremo digiti intincto aquæ adhæ-
reret? Amplius. Si in inferno nec
charitati, nec amoris locus est, nam
si hæc cibi darentur, non infernus,
sed paradysus esset: qua ratione fie-
ri potest, quod damnatus tanta er-
ga fratres suos charitate flagret, ut
prædicatores ex altera vita ad ipsos
mitti petat, ut convertantur: quan-
tùm magis, quod incedendum aliis
æquè bene ac Lazarus refrigerare
potuisset; multique alii melius
Lazaro, fratribus prædicare
potuissent. Quam igitur ob cau-
sam, utraque in petitione non
alium quàm Lazarum mitti po-
stulat; primò, *Mitte Lazarum:*
Secun-

Secundò, *Rogo ut mittas eum* ? ardet flammæ. Petebat & efflagitabat ut Lazarus per suam exitum requie aquam larutus ad refrigerandum : & refrigerium non consistebat in aqua, quam debebat afferre, sed in quiete quam debebat derelinquere. Tanquam invidum magis ipsum concrenabant alienæ Gloriæ, quas videbat, quam proprius infernus in quo ardebat : *Zelo magis incenditur quam gehennâ.* Ad hocæ pœnæ punishmentque genus Deus injustos condemnavit Sacerdotum Principes, & convenientissimè quæ tales. Invidia laborabant, ut vidimus; proinde quia pœnarum nihil magis ipsos afflictorum erat quàm Gloriæ Christi, ipsis intuentibus Christum triumphans cum universali applausu Jerusalem ingreditur filius David, & Rex Israël celamatus cum faustissimis & ore & manibus factis apprecationibus : *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.*

S. Chry. sol. *Quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui : Zelo magis incenditur, quam gehenna.* Notis, inquit sanctus Chrysológus, quare dives tot excogitat & querit artes, & modos, ut vel brevi temporis spatio, si valuerit, Lazarum ex Abrahæ sinu educat, nullo alio ad hoc motivo impellitur, nisi quod invidia contumescat, cum in tanta nunc videat felicitate & Gloria, quem in tanta aliàs despexerat miseria : *Zelo magis incenditur quam gehenna.* Ecce considerationis hujus subtilitatem ! dives agit in inferno, divitis verò infernus potius est in sinu Abrahæ, quàm in ipso inferno : magis enim ipsum excreciat quies & felicitas in sinu Abrahæ, quàm ibidem frui & gaudet Lazarus, quàm in gehenna ipsæ quibus

ardet flammæ. Petebat & efflagitabat ut Lazarus per suam exitum requie aquam larutus ad refrigerandum : & refrigerium non consistebat in aqua, quam debebat afferre, sed in quiete quam debebat derelinquere. Tanquam invidum magis ipsum concrenabant alienæ Gloriæ, quas videbat, quam proprius infernus in quo ardebat : *Zelo magis incenditur quam gehennâ.* Ad hocæ pœnæ punishmentque genus Deus injustos condemnavit Sacerdotum Principes, & convenientissimè quæ tales. Invidia laborabant, ut vidimus; proinde quia pœnarum nihil magis ipsos afflictorum erat quàm Gloriæ Christi, ipsis intuentibus Christum triumphans cum universali applausu Jerusalem ingreditur filius David, & Rex Israël celamatus cum faustissimis & ore & manibus factis apprecationibus : *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.*

Ego sanè affirmare potuissém, majorem hoc ipsis fuisse torturam, quàm si Deus centum illis infligi jussisset tictus, quod negotiantibus in templo per plateas publicas fieri solenne est : dicere potuissém, acerbius toleratu hoc illis accidisse, quàm si statim in flammis coniecti fuissent

sent infernales instar epulonis: sed paulò mitiùs, quàm magis propriè procedere volo. Notum est, pœnam quam Juristæ *Talionis* vocant, præ cæteris omnibus magis esse proportionatam. Proinde pœnam hanc pontificum crucis tormentum fuisse assero. Volebant illi crucifigere Christum; & Christus crucifigebat illos. Hæc non mea consideratio est & tententia, sed eximii Ecclesiæ Doctoris S. Augustini: *Quam crucem mentis irvidentia Iudeorum, perpeti poterat: quando Regem suum Christum tanta multitudo clamabat.* Quid vobis videtur, quomodo invidiosis placuerit Pontificibus intrare in Jerusalem Christum Triumphantem? quid vobis videtur, inquit Augustinus, nonnisi fuisse ad puniendos illos & crucifigendos? acclamationes illæ populi promulgationes erant, injustitiæ ipsorum delicta publicantes: prælatæ illæ manibus palmæ cruce erant, quibus visibilibus erant crucifixi in anima, *Cruce mentis*. Probè memineritis utique illius de Amanno Assueri intimæ Historiæ. Mandavit Aman crucem erigi in suspendium Mardochei, quod vice quadam transeunti sibi genu non flexerit. Sic insolescunt & superbia intumescunt, familiares & intimi qui fortunâ reverenter uti, si-

S. Aug.

bique imperare nesciunt. Veruntamen fortuna commutante manus, & ad Tribunal superius revocatâ sententia, Aman cruci fuit affixus. Idem Principibus Sacerdotum evenit. Ipsi suo in tribunali crucifixum volebant Christum, Tribunal verò divinum ad puniendam illorum injustitiam, ut in ipsis propriam suam exequeretur sententiam disposuit, ut illi essent crucifixi, non in una cruce, siquidem erant multi; sed in tot crucibus, quot palmis honorabatur triumphus Christi: *Acceperunt ramos palmarum, & exierunt obviam ei.*

§. VI.

ABSOLVI cum Evangelio, promissis meis feci satis. Satisfaciendum restat loco exilii, cuius devotio in hoc Sabbatho tam frequens auditorium coëgit, Diu multumque mecum expendi, quàm sermonis præsentis portionem illi accommodarem: & quia nullam ipsi congruentem inveni, concludendo decrevi & totum ipsi accommodare respondi. Quicquid hucusque dixi fuit representatio exilii Christi. Pro considerationis hujus intelligentia supponendum est, Judices Christum condemnantes ad mortem, quando

Pater

Pater æternus illam commutavit in exilium, non solum fuisse Herodem, ut videtur, sed Herodem simul & Diabolum. Probo. *Astiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus:* Congregati sunt Reges terræ, & Principes vota unierunt contra Christum, ait David: neque exigua Prophetiæ hujus est difficultas, Si intelligatur de morte quam Christus realiter sustinuit, non nisi unus fuit Rex, scilicet Herodes: si accipiat de morte, Christo nato mox intentata, etiam non nisi Rex unicus fuit, idem nomine sed non persona Herodes: tyrannum quippe innocentium occisorem triginta vivere annis fas non erat. Age Chrysof., audiamus: *Nunquid Herodes Reges? q. d. Nunquid Herodes est multi Reges? Nunquid Herodes multi principes? clarum est quod non. Si igitur unus tantum est Rex, & unus tantum princeps, quo pacto David inquit, quod Reges & principes sese contra Christum collegierint & congregati fuerint: Astiterunt Reges terra, & principes convenerunt in unum?* Responsum ejusdem S. Patris est, quod dixi: *In Rege Herode peccati quoque Regem ostendit.* David oculis videbat prophetis, qui visibilia & invisibilia

contuenter, & hinc Reges & principes contra Christum convenisse asseverat: qui enim illum condemnarunt ad mortem, non solus fuit Herodes, sed Herodes simul & Diabolus. Herodes Rex Judææ, Diabolus Rex peccati: Herodes princeps terræ, Diabolus princeps inferni. *In Herode peccati quoque Regem ostendit.* Porro ritè considerantes motivum, quo Herodes & Diabolus ad interficiendum Christum, nec non innocentes ipsius occasione exilii, fuerunt impulsii, idem protinus inveniemus, quod invidia Sacerdotum principes movit ad occidendum non solum resuscitatorem, sed etiam resuscitatum. Hi, quia Christum pro Rege Israël & acclamatum & agnitum, multosq; in eum credere videbant: *Multi abibant ex Judæis, & credebant in eum:* Herodes verò ac Diabolus cum eo, quia statim à nativitate eum à Regibus orientis quaesitum & adoratum videre ceperant, nec non in ipsa Herodis aula Messiam Regemque Judæorum pronunciatum audierant: *Ubi est, qui nazus est Rex Indæorum.*

Visa nunc similitudine condemnationis Christi in Tribunali hominum; videndum sequitur non minus propriè condemnatos esse in Tribunali Dei. Prima pœna ad quam Principes Sacerdotum Deus condemnavit, fuit, ut

Psal. 2. v. 2.

S. Chrysof.

Joan. 3. 14. v. 11.

Matth. 2. v. 20.

Pars V.

Bbb vid.

Ibid. 8.

vidimus, ut irrita manerent eorum consilia & decreta: similis fuit illa Herodis. Herodes dixerat Magis: *Itē, interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis, renunciate mihi, ut ego veniens adorem eum.* Ista Herodes ore proferebat; porro corde dicebat, itē, diligenter inquirendo discite, ubinam & quisnam sit, ut è medio ipsum tollam, millenosque alios; pro ut innocentes tot sustulit. Quid verò Deus? vel per seipsum, vel per Angelum suggestit Magis, ut per aliam redirent viam: & Tyrannus delusum videns suum intentum, *Videns quoniam illusus esset à Magis*; Dicat nobis idem sanctus Joannes Chrysoströmus, quid passus fuerit. *Considero quoniam Herodem pati probabile fuerit, qui certè suffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit, cum se ita illusum atque irrisum videret.* Pœnam quam Herodes sensit videns artes dolosque suos in cassum abiisse, intentionemque suam sine frustratam, consideret & expendat, quid sit invidia, sciens; quod verba explicare non sufficiunt. Millies urique accepto laqueo vitam sibi sustulisset (condigna planè tam indignè coronato capite pœna) & mirum est, quod cholericus iste

Ibid. 16.

dolor furorem illi inducens non etiam instar laquei ipsum suffocârit. De Achitophèle meminit Scriptura: *Videns quod non fuisset factum consilium suum, abiit, & suspendio interiiit.* Eodemque modo Chrysoströmus de Herode pronunciat: *Videns quoniam illusus esset à Magis, suffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit.* Proinde nos modò videamus, utrum condemnatio Herodis illi Principum Sacerdotum queat æquiparari. Illi condemnati, quia decreta eorum tantum residerunt in intentionibus: *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent*: Et ille condemnatus, quia intentio ipsius sine suo fuit frustrata, & Magi illuserunt ei: *Videns quoniam illusus esset à Magis.*

Secunda pœna secundo obvenerit iudici Diabolo: quæ fuit videre Christum triumphantem ingredi Ægyptum, sicut Principes Sacerdotum triumphantem procedere ipsum viderant per mediam Jerusalem. Quod nobis admirabundè depingit Isaias Prophetæ; *Et ascendet Dominus super nubem levem, & ingreditur Ægyptum.* Hæc nubes levis (inquit sanctus Ambrosius) est beatissima Virgo Maria, eisdem viri-

pueruli mater, quæ suis illum brachiis detulit in Ægyptum: nubes, quia illa à radiis Solis iustitiæ protegit; & levis, quia ipsa sola inter omnes creaturas peccati pondere nunquam gravata fuit. Et quid Diabolo confpecto hoc triumpho accidit? idem Propheta hoc innuit; *Et commovebuntur à facie eius simulachra Ægypti.* Id est, ad conspectum triumphalis huius ingressus, in terram prostrata corruent omnia Ægypti Idola. Ita factum est; parvulus enim exul, postquam evasit manus Herodis, cum vivus & triumphans maternis gestatus manibus ingrederetur plateas Ægypti, mox in templis & altaribus falsorum imagines Deorum, in quibus Diabolus fuerat adoratus, collapsæ in pulverem redigebantur.

Indubitatum est Theologiæ asseritum, quod, Deo Angelos rebelles & apostaticos deturbante ex cælo, nonnulli eorum statim descenderint in abyssum inferni, aliis in regione hæc aëris remanentibus, quos propterea sanctus Paulus *aereas potestates* appellat. Ita ut eodem in loco multi nos audiant Dæmones, & utinam illi invisibiles tantum. Consilii huius divini rationem divinè S. Bernardus assignat: *Diabolus in*

pœnam suam, in aere medium inter cælum & terram sortitus est, ut videat, & invideat, ipsaque invidiâ torquetur. q. d. In majus Diaboli tormentum Deus illi liberum hunc aëris carcerem assignavit, elementum cælum inter & terram medium; ut vidente ipso homines de terra ascendere in cælum, & de hac Ecclesia militante, ubi eos persequitur, pergere ad fruendum & gaudendum gloria in triumphante, ex visione & huius invidentia triumphigraviores impantantur infernum in aëre morantes, quàm in pœnis ardentibus. S. Petrum Chrysologum audivimus asserentem, mitiorem diviti epuloni intulisse pœnam flammam quas patiebatur, quàm gaudia & glorias quibus Lazarus in Abrahamæ sinu frucebatur. Proinde hæc fuit pœna plus quàm infernalis, ad quam Deus diabolum in ipso condemnavit exilio, quo filium suum de manibus ipsius liberavit: ut triumphantem illum Ægyptum intrare videns, magis tortus invidia contabesceret, deficiens, non aliter, ac marmora & imaginum simulachrorumque metalla deficiente sunt collapsæ, in quibus adorabatur: *Et commovebuntur à facie eius simulachra Ægypti.*

S. Bern.

§. VII.

ABsolvi. Et supposito quod Evangelio, locoq; fecerim satis, pars quædam justitiæ videtur, eandem ab auditorio satisfactionem exigere: in Evangelio Christum triumphantem habemus in Ægypto. Justissimum igitur protinus est, Auditores, ut etiam Christus, seu per Ægyptum, seu per Jerusalem animas nostras ingrediat, triumphans. quid, amabo, aliud est anima, ubi altare erigitur Veneri, idolo turpitudinis; ubi sacrificia offeruntur Marti, Idolo vindictæ: ubi adoratur Jupiter, Idolum vanitatis: quid, quæso, est inquam, animarum harum quæpiam, nisi idololatria Ægyptus? triumphans igitur Ægyptum animæ hujusmodi intret, *Et commoveantur à facie ejus simulachra Ægypti, & cuncta ad pedes ejus prosternantur & corruant ista Idola.* Cadat turpitudine, corruat, vindicta, colabatur vanitas & tam parum Christianæ deficiant Idololatriæ. Quid ex opposito est anima, ubi regnat ambitio; ubi leges dat invidia; ubi omnia gubernat odium: quid est, inquam, talis quædam anima, nisi Jerusalem depravata & perdita, ubi per odium, ambitionem, & invidiam contra Christum ipsum mortis

sententia pronunciat? Age nunc Jerusalem, Jerusalem, *Convertere ad Dominum Deum tuum.* Expirent odia; cessent invidia, desinant ambitiones; ad pedes Christi corruant omnia ista vitia, erigantur in manibus omnium palmæ in signum victoriæ: *Acceperunt ramos palmarum, & exierunt obviam ei.*

Nullus dubito quin id faciant omnes, Christiano nomine insigniti, non meorum vi & efficacia verborum permoti, sed à temporis sanctitate obligati. Hebdomadam sanctam ingredimur, in qua Christianorum nullus tam modicæ & infirmæ dabitur fidei, & pietatis tam tepidæ, qui non victum se prosternat ad pedes Christi. Veruntamen quod ego recommendatum persuasumque cuperem omnibus, est, ut caveamus ne nobis eveniat quod illis Christum triumphantem comitatis. Hoc animadvertit, & admonet S. Bern. Christo per plateas Jerusalem incendente, multi sublata ab humeris pallia sternebat in via, ut super ea graderetur; mox verò ut Christus rantiaret, palliū quisque suum resumebat, & humeris restituebat & imponebat ut ante. Idem nobis hæc hebdomada usuenit, exuimus, vel exuisse videmur pravos vitiorum nostrorum habitus, ad pedes Christi illos projecimus, ut desuper

erucem humeris portans transeat. sed mox præterita, & transacta Hebdomada sancta, præsentem jam Paschate, ad eadem quilibet vitia revertitur, ut se iisdem reinduat, ac si peccata non fuissent: ah cum Christo mortuo ea sepeliamus, eorumque habitus non secus ac Christus mortuales vestes in sepulchro, derelinquamus! Coram Beatissima Virgine Maria proposita faciamus firmissima ipsius nec non filii ejus servitio perpetuo nos mancipandi, illum se-

quentes, & ubique servientes, vel in Ægypto sicut exules hujus mundi, vel in Jerusalem, velut eidem mundo mortui: nullo labore, ærumna, seu felicitate, neque fortuna prospera, neque adversa, ab ejus servitio, ab ejus obedientia, ab ejus amore & gratia nos separante; ut viventes & morientes cum, & pro illo, ipsum comitemur ad vitam, ubi mors exultat, per omnem æternitatem,
Amen.



S E R M O

D E

S. Joanne Baptista

In Professione

Dominae

M. Sor. Mariæ de Cruce,

Filia

Excellentissimi Ducis de Medina Sidonia,

Neptis

Reginæ Lusitaniæ.

Religiosa

Ord. S. Francisci in Monasterio Beatiss. Virg. Mariæ,
Das Framengas in Alcantara.

Expositum fuit Sanctissimum Sacramentum: astite-
runt suæ Majestates

Rex & Regina.

Dixit R. P. A. V. S. I. Prædicator Regius.

Anno 1642, 24. Junii.

Elisabeth impletum est tempus, & reliqua,

Luc. 1.

§. I.



N die quo nascitur
vox Dei; justè si-
lent voces homi-
num, diei hujus re-
thorica, sunt ad-
miraciones, *Mirati sunt universi:*
Actus hujus eloquentiæ timores
sunt & tremores, *factus est timor*
super omnes vicinos eorum. Hodie
dies est, ut loquantur corda, & lin-
guæ

guæ taceant : hinc lingua Zacharia obmutuit , & habitantium in Montanis corda loquebantur, *posuerunt in corde suo dicentes*. Et si in qualibet Baptistæ die loqui periculosum est , quid erit hodie in tantarum materiarum concursu, ubi timoris causæ, admirationis que rationes & motiva ad eò addensata videntur? si in Baptistæ nativitate stuporis omnis causa erat, videre quod Deus animæ cuidam amici porrigeret manum, *Etenim manus Domini erat cum illo* : Quotò potius hodie admirationem nostram attonitam hæere necesse est videndo , quod Deus alii manum præbeat sponsi, *Etenim manus Domini erat cum illo*? Non ignoro Originem dicere, quod Deus manum dederit Joanni Baptistæ, idem fuisse, quod animam sibi desponsare : verum utraque sponsalia valde differunt , quia utraque valde differunt & discrepant loca. Deum se desponsare in desertis, est ordinarium : sed Deum se desponsare in Palatiis, Deus desponsatus in Palatio, mirabilium omnium maximum est. Ego in hoc casu totam mihi scripturam contrariam invenio. Oseam Prophetam revolventes , inveniemus Deum cum animalia se desponsaturum dicere : *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, Jeremiam Pro-

phetam legentes inveniemus , quod Deus commemorando locum , quo cum Jerusalem se desponsavit , desertum illum fuisse innuit : *Charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* *Jerem. 2.* Si Cantica Salomonis inspexerimus, reperiemus , quod sponsalia cum anima Deo præ cæteris dilecta , in uno sint deserto contracta, & in altero consummata : *Qua est ista, qua ascendit per desertum?* Ait *Cant. 3.* cap. 3, & cap. 8. dicit , *Qua est ista, qua ascendit de deserto, innixa super dilectum suum?* Sed quid opus est accumulare Scripturas, cum sponsus ipse præsens ab onere probandi nos liberare possit? Mysterium quo mediante se Deus cum animabus vel maximè propriè desponsat, est sublimissimum Eucharistiæ Sacramentum; in illo enim (ut doctè notat S. Augustinus) mediante unione Corporis Christi verificatur inter Deum & Hominem : *Erunt duo in carne una.* Porro si *S. Aug. c* inquiserimus ubinam locorum Deus figurative ista celebravit sponsalia, tam in veteri, quàm in novo testamento deprehendemus loca principaliora fuisse deserta. In testamento veteri potissima Sacramenti figura fuit Manna, quod quadraginta duravit annis, & omnes degebant in deserto: *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto,*

serio. In Testamento novo potissima figura fuit miraculum de quinque & de septem panibus, quod utrumque contigit in deserto: *Desertus locus est, & non habent quod manducarent. Unde eos quis potest hic saturare panibus in solitudine?* Agedum, quamnam est ratio (& quo majore ex fundamento admiremur omnes, repeto) quamnam est ratio evincens, quod Deus se semper desponset in desertis? Nunquid ipse universalis est Monarcha mundi? Nunquid ipse æternus est Gloriæ Princeps? ut quid igitur inæqualiter se desponset in terra? ut quid minore saltem imparitate sponfam non quærit in aulis palatiique Regum: sed in solitudinibus & desertis.

Ratio est ista, quia sponsa ad Dei complacentiam & placitum qualificata non invenitur in Palatiis! invenitur in desertis. SS. Sacramentum posuit nobis dubium: S. Joannes dabit ejus solutionem; Christus panegyrim de Baptista protulit (tanti enim viri Encomiastes solus Deus esse potest) verba facere numero pauca, sed Emphasi & energiâ multa, & hoc modo Christus exorsus est. *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in Domibus Regum sunt.* q. d. Scitis quis sit

Joannes iste, quem omnes videre existis? Est homo (inquit Christus) in deserto vivens, & non ex hominibus qui morantur in Palatiis. Dictum notabile! Pace tua, Domine Jesu Christe, num thema hoc assumis prædicaturus de Baptista? Concludurus quod non sit major inter natos mulierum, discursum in eo fundas, quod in deserto, & non in Palatio vivat? Ita omninò. Tota perfectio ad compendium reducta, ut ajunt Theologi, in prosecutione & fuga consistit, id est, in sectando virtutem, & vitium fugiendo. Hinc Ecclesiæ Divinaque præcepta alia sunt affirmativa, alia negativa: affirmativa mandant prosequi bonum: Negativa præcipiunt vitare malum. Christus igitur ut solidè & paucis perfectionem Baptistæ probaret & exprimeret, quid fecit? Dixit illum hominem esse sequentem omne bonum, & fugientem omne malum. Et ut demonstraret quod prosequeretur omne bonum, dixit, & optimè quidem, quod viveret in deserto: & ut probaret quod fugeret omne malum, eundem in Palatio non vivere asseruit. Per locum Christus explicavit vitam: & ut inueneret quis qualisve esset, ubinam habitaret

ape

aperuit. Nondum benedico : ut insinuaret quis esset , ubi non habitaret, ut hominum esse celestem significaret, desertum ipsum inhabitare affirmavit: ut indicaret terrestrem non esse hominem ipsum in Palatio vivere negavit. Proinde cum Palatia Regum tam parvi æstimentur à Deo, quod Dominum illum , qui se in desertis tantum desponsare consueverat, hodie desponsatum videamus in Palatio : Grande miraculum!

Verum enim verò quare hoc tanta admiratione dignum? quare Deus in desertis tantum se desponsare solitus, hodie desponsatur in Palatio? ratio est, quia Palatium Reginarum Lusitanix, commune quid habet cum propriis desertis. Deus communiter se desponsat in desertis, quia ibidem non invenit conditiones Palatii; Hodie se desponsat in Palatio, quia in Palatio invenit conditiones deserti. S. Job mediis in doloribus mortem sibi vita meliorem ratus, inter querimonias de vita prolatas, agebat. *Et nunc requiescerem cum Regibus & consilibus, qui ædificant sibi solitudines.* Notabilis loquendi modus! *Cum Regibus qui ædificant solitudines!* Si dixisset, cum Regibus qui ædificant Palatia, bene

Pars V.

haberet; sed cum Regibus qui ædificant deserta & solitudines! ergone etiam deserta ædificantur? Adite videamus quinam sint isti Reges deserta ædificantes; quinam isti sunt Reges architecturæ terminos immutantes! Hi sunt Reges illi (inquit S. Gregorius Papa) in quorum Palatiis sic proceditur cum vanitate terrestri, ut principaliter tractetur de veritate cœlesti. Et Palatia, in quibus servitur Deo tanquã in Eremito, deserta sunt potius quàm Palatia. *Qui ædificant solitudines.* Bene dictum est, *Qui ædificant*: Duo quippe dantur ædificandi modi. *Ædificare* scilicet per ædificium, & *ædificare* per ædificationem: ædificium ex desertis Palatia facit, ædificatio ex Palatiis deserta facit. Palatium in quo servitur Deo, est desertum ædificatum: Palatium in quo servitur Deo tantum, & mundo suo tantum tempore patet accessus, ubi clausura convenit cum ea quæ servatur in Religionibus & asceteriis; ubi exteriorum vestimentorum ornatio cultus ciliciorum est velamen, ubi liberras & pompa aulica, ubi in comedias & epulationes prodigalitas, ubi pro aliis vanitatibus exercitia sunt Spiritus; ubi exire de Pala-

Ecc

tio

rio ad novitatum, est mutare domum potius, quàm vitam : Eremum istam aulicam non Palatium, sed desertum appellabo : *Qui edificant sibi solitudines.* De Imperatore Theodosio secundo refert Socrates, tam Religiosum fuisse Principem, sicque Imperatoriam reformasse aulam, ut Palatium Monasterii speciem referret : *Palatium sic disposuit, ut haud alienum esset à Monasterio.* Idem ego maximas inter Regis nostri felicitates refero. Hinc cum in Lusitaniæ Palatiò cœlum tot tantasque deserti habeat prærogativas, quid mirum, quod Deum in deserto sese desponsare solitum, hodie desponsatum videamus in Palatiò? Cessent igitur admirationes cum Monticulis, rumpatur silentium cum illo Zachariæ, & in hoc actu loqui incipiamus, timore & tremore dante nobis copiam ; *Et apertum est illico os ejus.*

§. II.

VERè in tantarum concursu materiarum hodie intricatarum me vidi, cum earum quælibet integrum sermonem exigeret. Ne errarem, Baptistam ipsum consului, cujus doctrinam sequar ; ait enim : *Qui*

habet sponsam sponsum est : amicus autem sponsi gaudio gaudet. Ego sum amicus Christi, inquit Joannes, sponsa est sponsi, festum est amici. Sit ita. Festum erit de S. Joanne ; Dies erit sponsæ : Evangelium sic se accommodabit utrique, ut de utroque scriptum videatur. Progrediamur itaque cum illo, ne larum quidem unguem recedentes.

Elisabeth impletum est tempus : & peperit filium.

Completis novem mensibus, Elisabeth filii unius mater exitit. Verba illa, *Impletum est tempus.* Quibusdam Doctorum superflua visa fuere. Nonne liquet clarè, S. Joannem more cæterorum hominum, transacto tempore, quod natura natiuitati determinavit, fuisse nasciturum? ut quid igitur otiosum quid Evangelista addit, dicens, S. Joannem tempore completo natum, *Elisabeth impletum est tempus?* Cardinalis Toletus, nec non Scholastici omnes, notam istam superfluum negant ; immò verò necessariam affirmant, supposito quod in S. Joanne leges naturæ tantum sint anticipatæ, ut sex mensibus à conceptione elapsis, rationis jam habuerit usum : Et qui tot annis usum anticipasset rationis, natiuitatem anticipasse cogitari posset aliquot

aliquot mensibus. Sed ut hoc non factum constaret, Evangelista S. Joannem tempore impleto natum asserit, *Elisabeth impletum est tempus.* Hic genuinus textus hujus est sensus: sed quò verior, eo magis dubium meum confirmat. Quod natus dicatur S. Joannes tempore impleto, eo quod nativitatem non anticipavit, bene dictum est: sed quare non anticipavit? Quare non anticipavit tempus nativitatis, sicut anticipavit tempus usus rationis? Usus rationis juxta ordinariam naturam legem, anno à nativitate septimo incipit, nativitas mense nono à conceptione contingit. Quæro igitur, si usum rationis tot anticipavit annis, quare nativitatem non anticipavit aliquot mensibus? ratio est ista, quia nativitas vitam concernit naturæ: usus rationis, vitam concernit Gratiæ: & in rebus temporalibus quod solet facere tempus, bene est ut faciat tempus: in rebus spiritualibus quod facere solet tempus, melius est ut hoc faciat ratio: ad nascendum mundo faciat tempus, quod facere ipse est: ad nascendum Deo, quod faciendum est tempori, id ipsum faciat ratio. Ibat Christus ex Bethania Jerusalem versus, vidit eminus in via ficulneam, appropinquavit ei, cumque nihil in ea præter folia inveniret,

maledixit illi: & advertit S. Marcus Evangelista (quod reverà notatum erat dignum) non fuisse tempus fructum afferendi pro illa arbore: *Non erat tempus scorum.* Deus bone! Hic attoniti mirantur Doctores omnes. Enim verò si non erat tempus fructus, quare Christus illum quæsiit? Et si illum non invenit, quando tempus non erat, quare arborem punivit? si punivit, ergo fructum ferre debuit: si verò non erat tempus, quomodo debuit? debuit (dicit Chrysostomus) licet enim, eo quod verum esset, fructu tempori non debebat: Deo exigenti debebat ex ratione, & debita rationis non est quod expectent spatia temporis. Ad fructificandum mundo, tempus faciat quod tempus est: *Elisabeth impletum est tempus:* ad fructificandum Deo, quod est temporis, exequatur ratio, *exultavit in fœtus in utero.* Hæc excellentiarum & prærogativarum una est quam inter cæteras in Baptista singulariter veneror, scilicet, quod sit homo, in quo fecit ratio, quod alius in hominibus fuit tempus. Quod anni expectent rationem, commune est omnibus: sed quod ratio præveniat annos, & hoc faciat, quod faciendum erat tempori, istud in solo Baptista invenitur: & hodie gloriosè videmus imitatum.

O quam gloriosè hodie æquivo-

catum habemus annum , Aprilem mutatum in Septembrem, & fructus quibus maturitatem dare debebat tempus, in ratione maturos: quis autumnum frugum ; in ver convertere poterat florum, nisi dilecta Christi sponsa ? *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit*: Sic obediunt tempora, ubi sic dominatur ratio. quod jam mundus & vita nesciant decipere, quod tantas circumspeditiones videamus vitæ, in tam paucis vitæ annis, quid est hoc? non aliud quam ratio fecit, quod tempori facere incumbere. Ut cautelæ sequantur annos, est, quod tempus faciat, quod suum est ; sed quod cautelæ præveniant annos, est quod ratio faciat, quod temporis erat. *Querebatur Marcus Tullius, quod cum homines rationales essent, nihilominus plus in illis discursus valeret temporis, quam discursus rationis ; ait hodie rationis discursum temporis discursui videmus prævalere. Non sufficerent nonaginta anni ad iudicii prudentiam impertiendam Heli, & sufficiunt decem & octo anni ad eandem conferendam Samueli ? O grandem rationis victoriam contra illam temporis sine ratione ; Cauta contra fallacias juventus, maxima est rationis victoria. Sa-*

ra comam non abscindit ut canos tollat ; & Absolonis aurei capilli in ætate aurea sentiant rigorem ferri ! Maria Magdalena à Christi pedibus lachrymas capillis suis abstergit, nec abscindit ; & alia sit Maria, quæ oculis siccis rescissos capillos ad pedes Christi ponit ! quod Jacob Rachelem sepeliat in ætate vere, inconstantia adscribendum est vitæ ; sed quod Rachel in vere floreque vitæ sepeliat seipsum, grandem prodit rationis vigorem. Dare Deo vitam dum eam ipse attrahit, est violentiam dissimulare ; illam Deo reddere cum ipse donat, est voluntatem sacrificare, Deo dedicans annos ultimos, id facit quod Christianus timore mortis ; primos illi consecrans annos, id facit, quod Religiosus amore vitæ.

Rationis lucta cum annis est bellum, in quo pauci plus resistunt quam multi. Quod ratione multi vincantur anni, non est multum ; sed quod vincantur & convincantur pauci, magnum arguit rationis vigorem, majoremque ex eo si spectetur resistentia cui locus faveret. *Quod pauci anni, & in montanis*

Cicero

1. Reg. 1.

LUC. I.

nis (quales Baptista: erant) non se defendant vi rationis, multum non est: sed quod anni pauci, & in palatio delusi & convicti! victoriæ magnæ nomen meretur. David Berceilai magnam obtulit dignitatem in palatio, & ipse octogenarius jam quid responderet? *Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine.* Respondit (eo quod tot jam annorum spatio, ab aula sibi cave-re didicisset) ut Rex in posterum quietè & solitariè ipsum vivere, & de sepultura sua disponere permit-teret, ita tamen ut locum acceptaret & dignitatem oblatam pro juniore filio suo dicens: *Est servus Chamaam, ipse vadet tecum.* In actu isto amor patris ampliare videtur; sed mundi fallacia sese benè explicat: docuerunt Berceilai multi anni sui, non sibi Palatium affectare: & de ceperunt illum anni pauci alieni, palatium prenfare pro filio. Nescio quid inter se habeant palatium & anni pauci, dum, licet palatium cognoscunt anni multi, nihilominus illud relinquere, vel unicum illi remittere non audent anni pauci: scrivit senex cur palatium desereret; ad idem consulendum juveni animus ipsi defuit; cum facilius sit suggerere consilium, quàm præbere exemplum: Berceilai præbuit exemplum non

ausus dare consilium; imò videret pater se substituisse in annos filii, ut in juventute lucraretur aliena, quod in senectute non valebat propria: & cum mundum deserere non valeret, quem mundus desererebat, è converso hodie in juventute mundum subicere voluit pedibus, quæ ipsum antea gestabat in capite, ô quàm benè se hodie humana transponit natura! S. Paulus aiebat: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quando mundus crucifixus erat Paulò, Paulo terga vertebat mundus: quando Paulus crucifixus erat mundo, mundo terga obvertebat Paulus. Et si ego tergum obvertam mundo, dum ille mihi facit idem, nihil est magnum: sed si læta mihi fronte ab-blandienti mundo, austeriorem exhibeam vultum majoris est virtutis. Si irridente vos mundo, ex affectu ploretis pro illo, magna infirmitas! verùm si illum blandè vobis arridentem rideatis, generosa magnanimitas!

Magnanimitas hæc tanta est, ut cum rationis viribus sit propria, S. Paulus tamen non eam illi, sed temporis potestati adscripserit. De Moyse loquitur S. Paulus dicens: *Moyse grandis factus, negavit se esse filium filie Pharaonis magis eligens*

CCC 3

affli. Heb. vi.

2. Reg.
19.

Ad Gal.

affligi cum populo Dei. Ubi noto & expendo verba illa, *Grandis factus.* Quorum hic tangitur ætas? S. Paulus de Moyſis generoſa reſolutione & non de annis ejus tractabat; porro ſi reſolutio in animo & in annis conſiſtebat, quare Moyſen grandem factum aſſerit, quando ſe filium filia Pharaonis denegavit, magis eligens affligi cum populo Dei: dicam quare. Quod Moyſes in palatio Regis Pharaonis educaretur, totum gratiæ favorique filia Principis Ægypti debebatur, quæ ipſum in filium adoptarat; & quæ talis habebatur & honorabatur cum reſpectu & magnificentia regali: ſed quod aulæ majestatem & delicias deſereret, ſancto Paulo factum fuiſſe viſum eſt, non quod de annis paucitale quid præſumendum eſſet, proinde reſolutioni adjunxit, *Moyſes grandis factus.* q. d. de heroico iſto Moyſis actu non eſt quod quis dubitet; jam enim grandis erat, actusque talis annis ipſius congruebat. Conceſſo igitur, quod reſolutionem Moyſis tempus evicerit: de glorioſo hoc actu, quem celebramus hodie, cum ſit illi per omnia ſimilis, de hoc inquam actu glorioſo, non temporari quicquam, ſed rationi glo-

riandum eſt: Hic operata eſt virtus rationis, quod ubi fecit vis temporis; *Elisabeth impletum eſt tempus.*

§. III.

ET audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Deus misericordiam ſuam cum illa. S. Joanne nato (ait Evangelista, mox in tota circumjacente regione fama percrebruit, quod Deus cum Elisabeth misericordiam ſuam magnificasset: *Quia magnificavit Deus misericordiam ſuam.* Dicitum notabile Textus hujus confequentia quadrare non videtur: quod perregionem percrebruit, id tantum eſſe fas erat, quod in domo Zachariæ accidit, aliud contingere, & aliud divulgari aulis tantum ſolemne eſt; in quibus adulationibus & malitiis locus eſt; non domibus ſimplicibus & montanis. Evangelium inquit: *Divulgabantur omnia verba hæc*, id eſt, divulgabatur quod acciderat: ergo ſi quod accidit, fuit Baptiſtam eſſe natum, *Elisabeth peperit filium.* Quo pacto ait Evangelista percrebruiſſe, quod misericordiam ſuam Deus magnificasset? *Et audierunt, quia magnificavit Deus misericordiam ſuam.* O grande Baptiſtæ encomium! quando in Zachariæ ædibus Baptiſtam

tistam natum voces clamabant, in Montanis resonabat echo, quod Deus misericordiam suam magnificasset: ubi enim Joannes prodit in mundum, Dei amplificatur attributa; Joanne nato, crescit Deus. Istud AA: non excessum sed planam manifestamque innuit veritatem; hoc ipsum S. Joannes sed modestè asseruit: *illum (ait) oportet crescere, me autem minui*. Verbum istud, *illum*, non nisi ad Verbum incarnatum refertur. Sed quomodo hoc futurum quæro? Deus enim, etiam quâ homo factus, crescere nequit: quomodo igitur S. Joannes inquit, *illum oportet crescere*? Et dato, quod crescere possit, quo pacto incrementa Dei à Baptistæ imminutionibus dependent? Deus absolutè magnus à nemine dependet; quomodo ergo dicit, *illum oportet crescere me autem minui*? Estne possibile quod Deus crescat? estne possibile ut crescere ipsius à Joanne Baptista dependeat? est planè. Licet enim Deus, cùm sit infinitus, crescere non possit in seipso, per esse intellectu humano limitatum, in æstimatione nostra crescere potest; & in æstimatione hominum Deus crescere nequibat sine decremento Baptistæ; nec Baptista minui sine incremento Dei. Animadvertite quomodo olim formatus

de Deo conceptus fuerit talis, ut natus in mundo Baptista putatus fuerit Deus. Opinioni huic convenienter exhibent homines in deserto ipsum venerandi ergo: Ubi S. Joannes Baptista veritatem ipsis declaravit. Et quia Deus & Baptista in hominum opinione erant æquales, eatenus ut testimonio ipsius, opinio hæc evanuerit, Deus necessariò crevit, & Joannes Baptista est imminutus. Imminutus est Joannes quia Deo minor est factus; crevit Deus, quia major factus est Joanne. Ita ut postquam Baptista venit in mundum, Deus major factus sit æstimatione hominum quàm ante: ante enim habitus fuerat ut Baptista, postmodum cœpit haberi major: unde in eximium Sancti hujus laudem infertur, quod Baptistæ sit mensura, minorem esse Deo; & mensura Dei sit majorem esse Baptista. Meliorem concisionis hujus confirmationem non habeo, quàm S. Augustinum, qui ait: *Quisquis Joanne plus est; non tantum homo, sed Deus est*. q. d. Scitis quis sit Joannes? minor est Deo; scitis quis sit Deus? major est Joanne: cum hac nihilominus differentia, ut scilicet, quousque S. Joannes hoc non assereret, essent æquales, ipso hoc attestante, Deus cœperit esse major. Quid igitur mirum quod Deus

Deus in suis crescat attributis, Joanne Baptista nascente in mundo? *Et audierunt quia magnificavit Deus misericordiam suam.*

Hoc modo Deus isto crevit tempore, & ego similiter hodie (nisi meame consideratio fallat) ipsum crevisse multum video. Tunc crevit imminuto Joanne; hodie crevit imminuto mundo. Apparuit Nabuchodonosori, illa toties decantata prodigiosa statua: viditque Rex lapide pedibus fictilibus illiso statuam comminutam & in cineres redactam, lapidemque crevisse in montem magnum: *Factus est mons magnus, & replevit terram.* ad intelligendum figuræ hujus ænigma, scire nos oportet, quis lapide, quisve statua significetur. Conformiter sensui Sanctorum Ambrosii & Augustini, statuam mundus, lapide figurabatur Deus. Attendite. Si lapide exprimitur Deus, quo pacto lapis crevit? num Deus crescere potest? & si statuam significatur mundus, quo pacto statua imminuitur? quomodo mundus imminuitur? Hæc omnia humani sunt iudicii & æstimationis effectus; juxta æstimationem de Deo & mundo conceptam, vel statua crevit & diminuitur lapis, vel lapis crevit & diminuitur statua. Si Deum ponimus ad pedes mundi, mundus crevit diminuto Deo: si

mundum ponimus ad pedes Dei, crevit Deus diminuto mundo. Deum derelinquere pro nihilo mundi, est Deum minoris æstimare nihilo; sed relinquere omnia mundi amore Dei, est plaris æstimare Deum quam omnia mundi, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: Benedictus ille, cum Deum toties videamus tam parvum & parvifacium in aulis Regum, illum hodie tantum, tantumque crevisse videamus! tantum accrevit auctusque est in sua magnificentia, quantas mundi glorias ad pedes ipsius prostratas videmus.* Statua Nabuchodonosoris statuam suam repræsentabat glorias, materiam divitias, & mysterio statuam & terras: & hæc omnia igne cordis hodie concremata ad Christi pedes rediguntur in cineres. Nemo melius mundum sacrificat, quam qui illum in statua offert: mundus quippe in statua major quam in se ipso est. Ad prosternendum lapide Goliath Davidis funda sufficit: ad dejectendam lapide alio Nabuchodonosoris statuam (licet invisibiles) necessarii fuere brachii divini impulsus. Habebat Goliath altitudinis cubitus sex, statua sexaginta, licet in pompaticis mundi gloriis, Gigantes statuis semper majores existant. Machinæ vivæ somnatarum mensuram nunquam adæquant,

Dan. 2.

Psal. 66.

1. Reg. 17

Dan. 3.

æquant. Phantasia somniat, spes promittit, desiderium prophetizat, imaginatio repræsentat; quamvis somniorum istorum interpretatio, promissorum istorum adimpletio, Prophetiarum istarum placitum, repræsentationum istarum veritas nunquam eveniant. Attamen amor divinus gloriosius triumphat, tam phantasticum, quam verum, tam speratum, quam possessum conculcans. Derelinquere antequam possidere, est usura merédi; quia plus dans plus meretur: & qui bona dat adhuc sperata, illa dat unde sunt majora; Bonorum hujus vitæ pars melior, est illa sperare: plus ergò præstat, ad illa speranda sese inhabilitans, quam eorum se possessione privans. Hinc Christus vocavit Apostolorum Principes, quando retia mittebant, & non quando trahebant, *mitten-*

Math.

A.

Rom. II.

tes rete in mare. Plus enim præstat retia relinquens laxata, quam tracta: retia dum mittuntur, jactu quolibet spem faciunt, dum trahuntur missa, vacuum frequenter rete trahitur. O quantæ, quamq; benè fundatæ spes! ô quantæ, quamque benè intellectæ magnificentæ pio hodie sacrificio honorant altaria Christi! S. Paulus ad Romanos dicit: nemo potest deo dare, nisi quod accepit ab eo: verum ego spiritum hodie tam ingeniosè liberalem in-

tueor, qui postquam à Deo accipit, plus adhuc deo offert, quam accepit ab eo. Natus ambigit, quin mundus liberaliter sit, in suis bonorum temporalium pronissionibus, quam Deus in suis liberalitatibus. Non assolet Deus tantum dare, quantum mundus solet promittere: ergo benè sequitur, quod Deo plus dat mundi promissa offerens, quam sua illi dona reddens. Deo tantum dona sua reddentes, dabitis multum: sed mundi promissa ipsi offerentes, multò plus datis. O quam liberalis est erga Deum, qui eminentes dando glorias, adhuc artes inquit, ut illas auctiores exhibeat: sed enim quæ ars bona magnificentiasque mundi ad augendi dari potest? ego dicam, aliud fieri nequit, nisi ut multum hoc agendi exemplo discamus. Gloriæ bonaq; mundi falso vocantur bona, eò quod sunt mala, & sine ratione vocantur magnificentias; quia sunt exiguitates. Quid igitur remedii ad faciendum de exiguitatibus magnificentias, & bona ex malis? remedium est & illa, & sperata relinquere: illa enim nuncupativa munda bona, solum sunt bona quando relinquuntur; solum sunt magnificentia quando sperantur: spes ipsis magnificentiam, contemptus bonitatem ipsis conciliat: despecta sunt bona; sperata sunt magnifica:

proinde plus dat qui sperata despiciet, quàm qui possit illa donat. Hæc & illæ possessæ & speratæ magnificentiæ cinerum sunt spolia, quæ hodie ad supernos lapidis hujus divini redduntur impulsus. O quomodo statua disparet! ô quomodo mons crescit! nostris imminutionibus & decrementis Deus suam auget gloriam; nostris despicientiis suam amplificat majestatem.

Illud S. Joannes in sua vidit Apocalypsi, viginti quatuor seniores depositas ex capitebus coronas ad Throni Dei pedem mittentes contemplatus: *Mittentes coronas suas ante thronum.* Evangelista ad videndum reversus, in Dei capite multas vidit coronas. *Et in capite ejus diademata multa.* Agendum hic querro, si coronæ mittebantur ad Dei pedes, quomodo Deus eas in capite gestat? Respondeo, quia Deo tantum gloriæ accrescit, quantum homines ejus amore despiciunt. Coronæ in Dei capite, erant incrementa ipsius magnificentiæ: coronæ ad Dei pedes, humani erant amoris despectus, iisdemque coronis quas despectus humanus deponebat, divina confirmabatur majestas: tantum enim Deo accrescit magnificentiæ, quantæ sint, quas ad pedes Dei amor noster ponit, gloriæ. Dicatur igitur, Deum crevisse & magnificentum

hodie fuisse dupliciter. Semel commensuratum sancto Joanni, iterumque commensuratum mundo. Antepositum esse mundo, & prælatum esse Joanni, est Deum in æstimatione sui multum crescere, & in attributis suis valde magnificari. *Quia magnificavit Deus misericordiam suam.*

§. IV.

ET venerunt circumcidere puerum. Supposito quod puer iste S. Joannes erat, circumcidendus non fuisse videtur circumcisio tempore illo remedium erat peccati originalis, sicut hodie Baptismus. Ergo si S. Joannes à peccato originali jam erat liberatus; si gratia Dei jam sanctificatus erat in utero matris, quare circumcisionis se subicit rigori? Ratio est, quia licet peccatum originale ab ipso non auferret circumcisio, à quo jam liberatus; gratiam ipsi adaugebat justificationis quæcum sanctificatus nascebatur: Et hoc vel maximè in servis Dei gratiam perficit, quod in augmentum gratiæ, labores & molestias subeant, quos in remedium culpæ Deus reliquit. Circumcisio aliis in hominibus remedium erat culpæ: in sancto Joanne augmentum erat gratiæ. Et

S. Joan-

Zach. 9.

S. Joannem in augmentum gratiæ remedium subire culpæ, à quo liber & immunis erat ! ô facinus grande, & ingens sacrificium ! Zacharias, de maximo legis gratiæ sacrificio, de SS. scilicet Sacramento loquens ait ita ? *Quod bonum ejus ; & quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines ?* q. d. *Quid Deus fecit bonum, quid Deus fecit pulchrum nisi panem electorum, & vinum castorum ? quod sacrificium Corporis & Sanguinis Christi Eucharistici bonum sit & optimum, nullus erit qui neget : sed quod Propheta asserat, nihil illud ad æquare bonitate : Quod bonum ejus, & quod pulchrum ejus ?* quomodo hoc concedendum sit ignoro. Porro ut terminis insistamus : nonne sacrificium corporis & sanguinis in cruce, bonitate sacrificio corporis & sanguinis in Sacramento est æquale ? est æquale ? est idem substantialiter. Ut quid igitur Zacharias sacrificium corporis & sanguinis Christi in Sacramento omnibus melius pronunciat ? rationem excellentiæ dabo. Sacrificium corporis & sanguinis Christi in Cruce sacrificium fuit in remedium peccatorum : sacrificium corporis & sanguinis Christi in Sacramento, Sacramen-

tum est in gratiæ augmentum. Quamvis Christus non haberet peccata propria, nec sibi indigeret gratia: nihilo fecius in se satisfactionem pro peccatis nostris, justificationisque nostræ media susceperat, & Christus in Eucharistia tantum sacrificet, pro augmento gratiæ, quantum in cruce pro remedio sacrificavit culpæ ! corpus & sanguinem suum, tantum ad augenda impendat innocentie merita, sicut corpus suum & sanguinem impendit ad obtinendam peccatis veniam ! Hæc sacrificii circumstantia est tanta, ut de eadem identitate accipiat differentias, & de æqualitate eadem accipiat excellentias : *Quod bonum, & quod pulchrum ejus ?* Hujuscemodi fuit circumcisi Baptistæ actus reliquorum Adæ filiorum circumcissioni comparatus. Carnem & sanguinem, quem alii subjecerunt pænæ dolorique circumcissionis in remedium culpæ, sanctus Joannes exposuit (quia culpa carebat) in augmentum gratiæ. Et quod innocens se offerat, ut in gratia crescat, ad idem, quod faceret netur peccator ! O heroicum Baptistæ actum ! verum facinus idem ista vice non fuit suum scilicet.

Hodie duas habemus innocentias culpæ remediis subjectas, ambas ad pœnalitates & austeritatem pœnitentiæque habitum condemnatas, quia similes illis injustitias divinus facere novit amor: hic innocentias censurat ut culpas; merita corripit ut delicta. Magnos peccatores magnas quoque agere pœnitentias justo consonat: quia pœnitentia peccati remedium est: sed quod Baptista in deserto fugiat, ad cilicium se damnet, corpusque jejuniis mancipet & maceret: O Puer, in quonam tua deliquit innocentia? corpus tenellum ad tantam asperitatem damnatum! innocens anima tantis rigoribus subjecta! si Baptista maximus extitisset peccator, quid nisi istud facere debuisset? verum istud fecit, quia maximum Sanctum illum evadere oportebat. Ardentissimum sanctitatis desiderium ulterius pertingere nequit, quàm ut peccati sese remediis subjiciat innocentia privilegii gaudens.

Sanctus Paulus amorem Christi erga homines commendans, Corinthios hoc alloquitur modo: *Qui peccatum non noverat, pro vobis peccatum fecit.* Insolita sententia: Nunquid Christus

erat innocentissimus, immò in innocentia ipsa? nunquid etiam ratione unionis cum verbo, anima ejus impeccabilis erat? ipsa hoc verba innunt: *Qui peccatum non noverat.* Quæro igitur, quomodo peccatum in innocentiam cadere potest? quo pacto impeccabilis peccatorem se facere potest, *Pro nobis peccatum fecit?* Respondeo, Impeccabilis peccatorem se facere nequit, quoad culpas; ast peccatorem se facere potest quoad pœnas: peccatum committere nequit quoad culpam: sed quasi illud commisisset, peccati se pœnalitatibus subicere potest. Hoc ipsum Christus amore nostri fecit, quodque sanctus Paulus in amore ipsius plurimum commendat, *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* Ad majus extremum amor pertingere nequit; ad majorem subtilitatem pervenire non valet; quàm peccati pœnis se devovere à culpis immunem. Peccator ex culpis peccatoris subiens pœnas, in pœnitentia peccatorum suorum remedium quærit: sed peccatoris subire pœnas immunem à culpis, est in pœnitentia refrigerium sui quærare amoris. Pœnitentia in peccatore solvit,

& pœnitentia in Innocente obligat: in illo solvit, quia offendit: in illo obligat, quia amat. Vide quænam Deo magis placuerint, num satisfactiones in offedente, an obligationes in amante?

O amate non minus quam amans Domine: æqualitatis admittite terminos, quantum Divinum inter & humanum permittitur, cum videamus hodie amoris tui excellentias cum obligationis nostræ certare redditis debitis. Animam unam innocentem à culpis, sed peccatricem in pœnis; Innocentiam unam in pœnitentiæ habitu, tibi hodie offert terra, Sponsæ Cœli: isti enim tui sunt colores conceptus; isti tui sunt amoris ornatus: istæ tui sunt purpuræ Regni, *Filiæ Babylonis induuntur purpura & bysso*, (in simili actu dicebat S. Bernardus ad virginem Sophiam,) & *subinde conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, moribus sordent: E contra tu foris pannosa, intus speciosa resplesces, sed divinis aspectibus, non humanis, intus est quod deletat, quia intus est quem deletat*: ista solum repetam verba, *E contra tu foris pannosa, intus speciosa resplesces.* S. Bernardus vult dicere, tu ô Sponsa Christi, sicut intus habes cui placere satagis, sic intus speciosos habes ornatus; foris grossis vestita pannis, intus splendoribus,

Foris pannosa, intus speciosa resplesces. Verè dum ista considero verba, extremi iudicii Diei signa ob oculos mihi versari videtur. Ex iudicii diei signis erit unum (ut S. Joannes in Apocalypsi sua testatur) quod Sol factum induet cilicium: *Sol factus est niger tanquam saccus Cilicinus.* Porrò si modo solem vestitum videamus cilicio, si lucem ejus mortificatam, si radios ipsius sub tam densarum Eclypsum asperitate pœnitentes, quid dicemus? finem adesse mundi dicemus? appropinquare iudicii diem dicemus? per propriè sic dici potest; quia melius nomen meretur diei iudicii iste in quo relinquatur mundus, quam in quo finitur: Quantò magis mundus finitur illi, qui propter illum finit cum illo! sicut quilibet nostrum suum habet mundum mundus universalis finit cum omnibus, mundus particularis finit cum singulis. Et quid mirum, quod hodie diei iudicii signa videantur in anima, cui hodie finitur mundus? interrogarem potius solem, quare pœnitentiæ indicat amictum? num propter culpas? Non: quia natura ipsum condidit innocentem, Cur igitur? oculis hominum, propter luctum; oculis Dei, propter ornatum: Sol innocens pœnitentiæ assumit amictum, quia non est pulchrius, neq;

Apo. 6.

S. Bern.

acceptius oculis Dei sacrificium ,
 • quam innocentia pœnitentiæ ha-
 bitu illustri.

Pelles istæ quibus Deus primos
 vestivit dominos mundi , valdè
 malè ornabant Adamum : sed
 optimè Abelem. Adamum or-
 nabant valdè malè , quia amictus
 erat peccati cum pœnitentia : A-
 belem ornabant optimè , quia ve-
 stes erant pœnitentiæ sine pecca-
 to. In Adamo habitus erant pœni-
 tentiæ deputatus , in Abele habi-
 tus erant pœnitentis: Hoc discrimine peccatorum , & innocentum pœnitentia distat : quod pœ-
 nitentia peccatorum est remedi-
 um ; & pœnitentia innocentum est
 virtus. Dicere nolo quod pœni-
 tentiæ actus in peccatore & inno-
 cente semper non sint virtuosi , hoc
 solummodo dico , quod peccato-
 res subeant remedium pœnitenti-
 æ , quia habet virtutem. Unde se-
 quitur , quod pœnitentia peccato-
 res honorat , innocentes honorant
 pœnitentiam : pœnitentia hono-
 rat peccatores , quia infamiam illis
 aufert peccati ; innocentes honorât
 pœnitentiam , quia pœnitentiæ
 auferunt mixturam remedii. O fe-
 lix Baptista ! ô felix tui imitatrix a-
 nima ! ambo in pœnitentium habi-
 tu , & ambo pœnitentiam ho-
 norantes. Felices vos , qui in-
 strumenta pœnitentiæ facitis tro-

phæa victoriæ , prerogativa gau-
 dentes pœnitentium , abique quod
 habeatis cuius vos pœniteat ! in
 vobis est virtus quod in aliis est re-
 medium : in vobis est electio , quod
 in aliis est necessitas. In vobis solis
 non est remedium peccati pœni-
 tentia ; cum solum vestra pœnitentia
 remedium esse possit peccati ;
 non meritas enim Dei offensas , so-
 la non merita innocentum pœnæ
 persolvunt. O quantum est Sacrifi-
 cium illud apud Deum ? Christus
 dixit in Evangelio majus esse gau-
 dium in cœlo super uno peccatore
 pœnitente , quam super justo non
 pœnitente. Advertite. Si inno-
 centia justis placet multum , & pœ-
 nitentia peccatoris placet magis :
 quantum excellens status place-
 bit ille , qui amborum complecti-
 tur perfectionem , & pœnitentiam
 peccatoris cum innocentia justis
 conjungit ? istud hodie S. Joannes
 in circumcissione fecit , innocen-
 tiæ exemptiones remedii subji-
 ciendo peccati : *Et Venerunt cir-
 cumcisci dere puerum.*

Luc. 15.

S. V.

ET vocabant eum nomine patris
 sui Zachariam. Completo
 circumcissionis actu , de nomine
 puero imponendo tractatum est :
 Porrò

porro circumstantes nomine Patris sui Zachariam vocari volebant. Quo audito Elisabeth, nequaquam cum ita nuncupatum voluit. Et quare? cur non vocetur Zacharias Zachariæ filius? nunquid nomen erat sanctum? nunquid nomen erat illustre? nunquid nomen erat autoritativum? nunquid nomen erat gloriosum? erat sanè: sed erat nomen patris, *vocabant eum nomine patris sui*. Et nomen parentum quantum illustrius, quantum gloriosius, tantò minus illud assumere fas est eum, qui Deo se servituum profitetur, sicut profitebatur Baptista: in nomine perennat parentum memoria: in Religione perennat parentum oblivio, *Obliviscere populum tuum & domum patris tui*. Et quia Baptista esse debebat (prout etiam fuit) primus religiosorum fundator & exemplar: prudens S. Elisabeth nomen illi imponi noluit Zachariæ; non enim justo consentaneum erat, ut memoriam parentum conservaret in nomine, qui parentum oblivionem profitebatur vitâ. Zachariam vocari vultis, quia nomen est sui patris? contra vos allegatis: immò verò quia nomen est sui patris, non ita vocari debet: *Vocabant eum nomine patris sui Zachariam: & ait Maser ejus, nequaquam,*

Quàm propè expressum!, immò quantum excessum videmus hodie illud magni Baptistæ exemplum! S. Lucas, qui scribebat pro memoria sequentium, hoc loco enarrationi genealogiæ parentum S. Joannis Baptistæ immoratus est. Loquenti mihi ad oculos præsentium haudquaquam necessarium est, materiæ adeò notæ & manifestæ diu immorari; uti etiam in tam amplo assumpto impossibile esset. Multùm præstitit qui nomen tandem Zachariæ tiam honoratum reliquit: multò verò plus præstitit, quæ gloriosissimum nomen de Guzman reliquit (nomen in cælo & in terra gloriosum) cujus Regio clarioque sanguine omnes Europæ purpuræ semper sunt tinctæ, & hodie gloriâ majore, quàm in ullo regno alio (posito quod majestate æquali in tot & tantis) nomen illud coronatum videmus, & videbimus in progenie immortalis, in nostro Protugaliæ Regno. Nomen istud famosissimum in omnibus sæculis: eminentissimum in omnibus personis: singularissimum facinoribus: celebratissimum omnibus historiis nomen de Guzman: & istud nomen derelictum hodie videmus pro humili nomine crucis. Nescio utrum
 ia

Psa. 44.

in hac electione, vel virtuosum vel discretum admirari debeam. Sit ut fit; & virtus & discretio omnia mihi angelica esse videntur.

Angeli ad sepulchrum Christi interrogando Marias, quid quærent, pro differentia Evangelistarum, differentibus sunt terminis usi, Angelus apud S. Matthæum rogavit, *Iesum qui crucifixus est, queritis?* Angelus apud S. Marcum, sciscitatus est, *Iesum queritis Nazarenum Crucifixum?* Hic quæro, si Angelus apud S. Marcum Christum vocat, *Iesum Nazarenum Crucifixum*: quare Angelus apud S. Matthæum illum nominavit, *Iesum Crucifixum*, tantum? subicens *Nazarenum*? Optimus in Evangelistas Commentator Maldonatus prudenter notavit, quod Angelus apud S. Matthæum apparuit ut Angelus; & angelus apud S. Marcum, ut homo apparuit: *Matthæus angelum, Marcus hominem appellat.* Correspondet textus. Nam S. Matthæus dicit ita: *Angelus Domini descendit de Cælo, qui dixit mulieribus: Et S. Marcus hoc modo dicit: Intrantes monumentum viderunt juvenem sedentem.* Proinde quia ille apud S. Marcum Marias allocutus, erat homo, & apud S. Matthæum erat Angelus. Hinc ille apud S. Marcum

Christum vocavit, *Iesum Nazarenum crucifixum*: & ille apud S. Matthæum illum tantum *Iesum Crucifixum*, appellavit, subicens *Nazarenum*. Hic noto. Inter Nazarenum & Crucifixum, ista in Christo erat differentia, quod *Nazarenus*, nomen erat parentum; & *Crucifixus* nomen erat Crucis; & nomen *Nazarenum* anteponere *Crucifixo*, nomen parentum præponere nomini *Crucis*, Angelorum est, qui homines referunt: suscipere nomen *Crucis* dimisso nomine parentum, Angelorum est in figura angelica apparentium. Angelus apud S. Marcum ut homo terrestris locutus, *viderunt juvenem sedentem*, præponit nomen parentum nomini crucis, *Iesum queritis Nazarenum Crucifixum*. Angelus apud S. Matthæum, ut Angelus locutus cœlestis, *Angelus Domini descendit de cælo*, Assumpto nomine Crucis, nomen parentum dereliquit: *Iesum qui crucifixus est queritis*. O discretio plus quam humana! O electio vere angelica! Scio equidem Marias Angelos audivisse: sed nulla earum nomen didicit mutare. Maria Magdalena non se, de Cruce, sed Magdalenam nominavit: Maria Cleophæ non se, de Cruce, sed Cleophæ nominavit: Maria Salome non se, de Cruce, appellavit, sed

nomen Salome retinuit, Nesciebant istæ Mariæ nomine parentum dimisso, Cruceis nomen assumere; quia Religiosa ista excellentia & prærogativa alii reservabatur Mariæ, quæ devotione Marias erat superatura; & prudentiâ Angelis æquiparanda.

Sed sicut in domo Zachariæ exorta fuit quæstio super nomen Baptistæ: æquum est similem hic hodie super nomen Crucis instituere quæstionem. Ibidem nomini S. Joannis contradicentes personæ erant autoritate præfulgentes, quæ festi celebritati intererant, *Qui venerant Celebritatis gratia*, commentatur Cardinalis Toletanus. Hic impugnaturus nomen Crucis similiter maxima præfulgens autoritate erit persona Festi hujus Celebritati assistens. Et quis ille? Christus in Sacramento. Enim verò sicut dicebant ibi, quod non vocari deberet Joannes, sed Zacharias: sic dicit hic Christus, quod non Maria de Cruce, sed de Sacramento sit appellanda. Hoc non mea fundamento carens est speculatio, sed verissima & congruentissima ex ipso textu desumpta applicatio. Nomen quod imponere volebant Baptistæ erat *Zacharias*. Quod interpretatum significat, *Memoria Domini*. Istud ipsum est Sanctissimum Eucharistiæ Sa-

cramentum, hoc est memoria Domini, quam nobis in absentia sua pignoris loco reliquit: *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*. Argumentum est solide fundatum. Ergo nunc quæro, quænam Christo sit ratio in Sacramento, quod nolit nomen esse de Cruce, sed de Sacramento? ratio est multum urgens: quia Religionem profiteri, potius est in Sacramentum abire, quam crucifigi: omnes sancti statum Religiosum vocant: crucem: sed bonâ ipsorum veniâ & pace ego statum Religiosum plus de Sacramento, quam Cruce participare affirmo. Rationis meæ fundamentum est, quia Christus in Cruce semel duntaxat mortuus est: in Sacramento singulari moritur diebus. Crucis Sacrificium fuit cruentum, sed fuit unicum: Sacrificium Altaris fuit incruentum, sed est quotidianum. Maxima amoris excellentia est mori: *Majorem charitatem nemo habet*. Verùm Excellentia hæc magnum involvit inconueniens, dum quillam exhibet opere, aliam exhibere impeditur. Excellentia est maxima sed extrema & ultima. Porro Christus tam extremè amans homines, videns quod morte sua in Cruce cessatura esset excellentissimi amo-

Toletus.

ris sui materia, quid fecit? miraculosè adinvenit modum sine fine moriendi in Sacramento, ut moriendo dare posset vitam, & sine fine posset repetere mortem. De hac excellentia in Christo gloriatur an or ille quem nobis exhibuit in Sacramento, præ illo quem nobis exhibuit in cruce. In cruce mortuus est semel; in Sacramento moritur quotidie. In cruce dedit vitam; in Sacramento pe-
 rennare fecit mortem. Christi sponsa, utpote melior æquior-
 que gloriarum istarum æstimatrix prærogativæ hujus veritatem nobis indicabit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Amor intensus (quod innuere vult dilectio) similis est morti: intensior autem (quod dicere vult æmulatio) similis est inferno. Dicitum notabile? quia de causa Salomon, amorem vehementem morti, vehementiorem verò comparat inferno? ego dabo; quia inter mortem & infernum hoc distat, quod mors vitam tollit; infernus mortem continuat. Idcirco amor intensus morti, & intensior comparatur inferno; quia plus est mortem continuare quam vitam tollere. Vitâ privati est mori semel,

Cant. 1.

mortem continuare est mori semper. Ecce amoris Christi in cruce, & in Sacramento inæqualitatem! contenderunt amor Christi in Sacramento, & amor ejusdem in cruce: amor crucis fuit instar mortis, qui vitam tollere venit; *fortis ut mors dilectio!* Amor Sacramento fuit instar inferni, quia transit ad continuandam mortem: *Dura sicut infernus æmulatio!* Multò plus fuit perpetrare mortem quam tollere vitam: vitâ privati est mori instanti, mortem perpetuare est tota vita mori.

Ecce rationem, quare status religiosus Sacramento magis quam cruce assimiletur: in cruce obitur mors tantum semel, in Sacramenta obitur mors quotidie. Scio equidem quod S. Augustinus dicat, solos Martyres Christo solve excellentiam illam, quam exhibuit se relinquendo in Sacramento, qui moriuntur pro illo, qui pro ipsis moritur: *Qui accedit ad S. Augustini mensam principis debes similia præparare, hoc beati Martyres fecerunt.* Verum enim verò ista sancti Augustini ratio (pace luminis Ecclesiæ) facillimè oppugnatur: multi quippe mortes non una morte tantum persolvuntur. Christus in Sacramento moritur singulis diebus

bus, Martyres moriuntur tantum semel: ergo Martyres non correspondent Christo in Sacramento. Quid igitur dicimus ad hoc? Martyres Christo in cruce; religiosos Christo in Sacramento correspondere affirmo. Martyres correspondent Christo in cruce, quia moriuntur semel: semel enim pro ipsis mortuus est. Religiosi correspondent Christo in Sacramento, moriuntur enim quotidie pro eo, qui indies moritur pro ipsis. Num quis hoc dicit? ita plane. Nec religiosus minus, quam omnium exemplar, S. Paulus, *Quotidie morior*. Ita ut quemadmodum Christus in Sacramento modum adinvenit moriendi sine fine, ut moriendo dare possit vitam, & non finiendo iterare possit mortem: sic Religionum Patriarchæ judicantes nimis tepidum & remissum esse amorem non mori, & minus generosam esse mortem, semel tantum mori, hinc istum miraculosè naturalem moriendo vivendi invenere modum: ut in morte multiplicarent inducias vitæ, & in vita perpetua- rent sacrificia mortis.

Sanctus Basilus Religionum Protho-Patriarcha loquitur de Religionum strictiorum cellis, a-
gens: *O cella dominice sepulture æmula!* Quid, quæso, simile habet cella cum tam nobili compa-

rato collata? Quomodo præsumptuosa ad eò fundatur æmulatio? ut cella cum qualibet comparetur sepultura, similitudinis limites non excedit: ubi enim habitus mortuorum est amictus, ubi lectus feretrum refert, ubi angusti parietes modico illustrantur lumine, sepultura merito nomen sortitur. Sepultura? Ita: sed non alia nisi Christi. Quare? quia aliis in sepulturis mors sola moratur: in sepultura Christi morata fuit mors simul cum vita. In sepultura Christi fuit vita mortua, & mors resuscitata: Et tales sunt cellæ vestræ ð religiosi spiritus! *O cella dominice sepulture æmula!* *S. Basil.*
que mortuos tuos suscipis, & reviviscere facis. O cella verè Christi sepulture æmula, cum in te vita est mortua, & mors resuscitata: Vita mortua, quia usibus & exercitiis destituta; & mors resuscitata, quia alimenta habet mortis. Cella gloriosa est mortis suspensio: & vita (licet cum pœna gloriosa) ubi anima inter vitæ mortisque limites constituta, rigidissimum indecisè participat cum utroque: insensibilis instar mortuæ quantum ad oblectamenta vitæ, sensitiva instar Vivæ, quantum ad pœnas mortis. In te

multiplicatum videtur naturale Phœnicis miraculum, cum sis patria quotidianumque sepulchrum, ubi moritur vita & mors nascitur deficientibus cineribus, & non deficientibus incendiis. In te (& vel maxime propriè hodie) Horizontium metaphora vera esse videtur; cum Oriens & Occidens simul existis, ubi Sol eodem instanti mortuus & ortus, in Hemispherio exurgit uno, quando sepelitur in altero, Denique in te (cum optima paradisi sis portio) sine figmento verificari videtur fabula de inferno, cum quilibet Religiosus Spiritus sit Tityus in felicitate pœnarum, qui cum mori non possit, ut mori possit: sapius vitam habet mortuam, & mortem immortalem, semperque renascens non perit, ut possit sæpe perire. Nec miri quippiam habet, quod in Inferno comparationes inveniatur pro maximo Sacramento: de utroque affirmari potest similitudine satis propria, *Dura sicut Infernus æmulatio*, Et quemadmodum Sacrificium Religionis, eo quod sit mors perpetua Sacramento potius assimilatur quàm Cruci: & officium sit nomen declarare essentiam rerum; hinc Religionem professurus non, de cruce, sed, de Sacramento nuncupandus videtur, *Et vocabant eum*

nomine patris sui Zachariam, id est, memoriam Domini,

§. VI.

Nihil fecit S. Elisabeth respondet, *Nequaquam*: & quidè non sine gravi ratione. Et quænam illa? non alia, quàm quæ hoc persuadet. Enim verò si nomen de Sacramento, totum quod in religioso statu est exprimit, & nomen Crucis minus, ex hoc ipso capite assumendù nomen crucis, dimisso nomine Sacramenti. In electione magna occurrit differentia, à finibus pro quibus eliguntur desumpta. Nomina assumpta per veritatè, exprimunt totum; nomina assumpta per vanitatem, exprimunt plus: Nomina assumpta ex humilitate dicunt minus, Proinde quia humilitas eadem quæ Paternorum nominum Magnificentiam despexit, nomen Religiosi elegit: improprietas discretà, nomen diminutivum Crucis assumpsit, in quo plus est quod tacetur, quàm quod dicitur. Quemadmodum Christo respondeo in Sacramento; sic eodem Sacramenti nomine responsum confirmo, Altaris Sacramentum, Corpus & Sanguis Christi vocatur; quo nomine Christus ipse illud vocavit; Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei. Quorum quid amplius in Sacramento continetur? Continetur & ani-

anima, & divinitas. Age dum si in Sacramento non tantum corpus & sanguis, sed etiam anima & divinitas continetur: quare Sacramentum non vocatur corpus & anima, sanguis & divinitas Christi, sed corpus & sanguis tantum? Ratio est, quia nomen istud Christus illa hora Sacramento imposuit, quâ humillimum se exhibere parabat. Hora, quâ humillimum se Christus ostendit, fuit illa, quâ corporis sanguinisque sui Sacramentum instituit, disponens Apostolos mundicie lavacri, & semet humiliter pedeseorum lavando. Et sicut Christus mysterio huic nomen imposuit humilis alicujus insigniis, hinc minus tantummodò quod in continebatur declaravit: nomina enim quæ Humilitas componit minus semper sonant, quàm continent. Quod dicit, est corpus & sanguis: quod subtrahet, & anima & divinitas. Idem in nostro accidit casu: quia licet à Sacramento nomen non est desumptum; præclare tamen exemplum est imitatum. Relinquitur nomen Sacramenti, quia plus dicit; assumitur nomen crucis quia plus exprimit: verus etenim amor ab eo æstimatur quod est, & non ab eo quod significat. Sufficiat Religioni quod crux sit ex vi verborum, quamvis multò plus sit ex concomitantia. Itaque

tam justum fuit, dimittere nomen Zachariæ, tum significatione, tum realitate: *Et ait mater ejus: Nequaquam.*

S. VII.

